19 A d

COMMENTARII
DE REBVS
IN
SCIENTIA NATVRALI
ET
MEDICINA
GESTIS.

VOLVMINIS XXV. PARS I.

LIPSIAE MDCCLXXXII.
APVD IOH. FRIDERICVM GLEDITSCH.
Venduntur etiam
Londini apud Fr. Elmsly, Edinburgi apud Io. Balfour, Lugd. Bat. apud Fratres Luchtmann, Parisiis apud Barroi senior. Venetiis apud Io. Bapt. Pasquali, Milano apud Ios. Galeazzi, Augustae Taurinor. apud Laurent. Giraud, Holmiae apud Magnum Swederum.

Jos: Banks

I.

Journal de médécine, chirurgie, pharmacie etc. Tome XLIX. à Paris 1778. 8. c. f. pagg. 576. et Tome L. ib. eod. pagg. 576.

i. e.

Diarium ad medicinam, chirurgiam et pharmaciam pertinens cet. Tom. XLIX. et L.

Tom. XLIX.

Menſe ianuario.

1) Cl. DUNANT in epiſtola olei ricini virtutem tradit, quam alibi *) narrauimus. p. 44.

2) Cl. BOUTEILLE obſeruationes de virtute antiepileptica et vermifuga valerianae continuat. p. 63.

Menſe februario.

1) Alcali volatilis fluidi (*l'alcali volatil fluor*) virtus et huius remedii nouitas hic omnino negatur. p. 97.

2, 3 et 4) Hi tractatus pertinent ad ſectionem ſymphyſeos oſſium pubis, de qua nuper diligentem collectionem **) indicauimus. Auctores ſunt SIGAULT, GRANDELAS, DESCEMET cet. p. 127.

5) Continuat hic Cl. BOUTEILLE obſeruationes de valerianae contra epilepſiam infantum cum hydrophobia, atque in genere contra rabiem a morſu canis rabidi. p. 165.

Menſe martio.

1) De polypo vteri. Auctore MILLERET. Hic polypus feliciter ſeparatus ponderauit quadraginta et quatuor vncias. p. 214.

*) v. comm. noſtr. Vol. XXIV. p. 496.

**) ibid. p. 648.

p. 222. 2) De dyſenteria epidemica. Auctore PICQUE DELOURDE, quae adſcribitur aëris vicisſitudinibus et aeſtati calidae; haec in annum CIↃIↃCCLXXVII incidebat. Febris et ſymptomatum habita ratione, duas effecit Noſter huius epidemiae ſpecies, ſeu gradus; methodus vero medendi ſecundum febrem et ſymptomata dirigebatur.

p. 231. 3) Cl. EVESQUE tumorem oualem paene oſſea duritie in dextra gena, tredecim pollicum latitudine et octodecim linearum altitudine conſpicuum, incidendo, dilatando et emollientia cet. applicando ita feliciter tractavit, vt tumor diſpareret.

p. 233. 4) De partu difficili obſeruatio. Auctore IOS. GALETTI. Caput non ſolum inclauatum erat, ſed pectus hydropiſi laborabat, quo aperto, magna profundebatur aquae copia. Puerpera ſeruata eſt.

p. 240. 5) Epiſtola Cl. FILLEAU ad Cl. BOUTEILLE de vſu antiſpaſmodico corticis Peruuiani, quem declarat duorum aegrotorum epilepſia cum febre intermittente laborantium, hiſtoriis.

Menſe aprili.

p. 303. 1) Hiſtoria morbi exanthematici, vere varioloſi, poſt variolarum inoculationem diu praegreſſam hic traditur a Cl. D'ARCET.

p. 323. 2) De electricitatis vſu medico cauto. Auctore Cl. MAUDUYT. Qui cernitur in praeparandis aegris, in ſoluenda materie peccante, nec ea in nobiliores partes deriuanda cet.

p. 333. 3) Obſeruationes de vſu olei ricini anthelminthico *), Auctore Cl. ODIER.

p. 356. 4) Obſeruatio de magno tumore exſtirpato. Auctore Cl. ROCHARD. Sedebat hic tumor per ſedecim

*) vid. ſupra p. 3.

cim annos in ilio ſiniſtro, qui ambitu ſuo triginta duos pollices aequauit et quatuordecim libras liberauit. Continebat ille adipoſam materiem, vaſculaque eius in centro potiſſimum poſita, eaque orta ab expanſione aponeurotica muſculorum gluteorum et faſcia lata.

5) De partu quodam artificiali. Auctore ROUGIER filio. Femina, decem annis matrimonii praeterlapſis, grauida eſt facta. Non potuit autem, appropinquante partus tempore, eniti ob vaginam hymene occluſam, foraminulis tamen praeditam ad emittendum lotium et menſtrua, et ex parte cartilaginoſam. Qua diſſecta partum Agripparum Noſter inſtituit viuum ſalua matre. p. 358.

Menſe maio.

1) De corde ſub diaphragmate collocato. Auctore Cl. RAMEL. Puella decem annorum, haemorrhagiis narium, dolore capitis, congeſtionibus ſanguinis ad caput cet. vexata, palpitationes cordis ſub diaphragmate ſenſit. Noſter inquirens in hanc rem, reperit cor ſub cartilagine xyphoidea, vbi ventriculus, cuius verum ſitum non detegere potuit, ſolet poſitus eſſe. Ceterum haec puella, vitato ab ea vehementi omni corporis exercitio, valet. p. 423.

2) Epiſtolae Cll. SIGAULT et DESPRES DE MENMEUR concernentes ſynchondrotomiam oſſium pubis *), quas ſequuntur animaduerſiones eandem et partum caeſareum ſpectantes a Cl. BONNARD. p. 428. et p. 433.

3) Continuatio diſputationis de vſu olei ricini **), Auctore Cl. ODIER. p. 450.

*) vid. ſupra laudatam diſſertationem p. 3.
**) vid. ſupra ib.

p. 498. et p. 501. *Menſe iunio.*

1. 2 et 3) Varia de electricitate medica hic a Cl. SANS proponuntur, quae potiſſimum paralyſin attinent.

p. 523. 4) Sectionem ſymphyſeos oſſium pubis feminae, in interna oſſis ſacri ſuperficie exoſtoſi laboranti, adhibitam fuiſſe hic narratur.

p. 528. 5) De noxa ſuffimigiorum in aſphyxiis. Auctore Cl. COSTE.

p. 533. 6) De variolis, ſcarlatina et febre miliari ſtipatis. Auctore Cl. DESESSARTZ.

Tom. L. Progredimur ad tomum ſequentem.

Menſe iulio.

p. 30. 1) Obſeruatio de noxiis antimonii et mercurii effectibus in colicis ſymptomatibus. Auctore Cl. LABORDE. Mercurio, in colico morbo, in ileum demum transeunte, adhibito, paralyſis ſpaſmodica aegrotanti ſuperueniebat, quam adſcribit Noſter commorationi mercurii in corpore humano, ſeſe in vaſa abſorbentia inteſtinorum inſinuantis, cum ſanguine commiſcentis, multaque creantis mala. Propter grauitatem enim, moramque in corporibus mercurium virulentiam nanciſci, et per quodcunque acidum in corporibus mutari in ſublimatum corroſiuum Noſter opinatur. Huic praeterea aegro et nocuit antimonium, quod in fibras nerueas agendo ſtuporem profert, in tenſionem demum abeuntem.

p. 39. 2) Obſeruatio de morbo quodam veſicae vrinariae. Auctore LA CROIX. De ſcala lapſus ſibi vulnus perinaei cum contuſione vrethrae et haemorrhagia procreauerat. Quo ſanato, remanſit ſtranguria, quae, cum cerei adhiberi nequirent, punctura eſt ſanata.

p. 44. et p. 131. 3) De pyrophoris ſine alumine et de inflammabili oleorum, carbonumque agit Cl. PROUST. Diuerſis hypotheſibus ſuper ratione, qua pyrophorus

rus flammam concipit, enarratis, methodum horum conficiendorum ſuam Noſter proponit.

4) De morbo ſingulari loquitur Cl. BONNARD. p. 60.
Virgo quadraginta octo annorum, praeterea ſana, dolores faciei vagos ita acutos, vt lacrymae profluerent, ſentit, quos praeſagiunt rubor faciei, labia clauſa et in rugas contracta, vel aperta, muſculorum faciei talis dislocatio, qualis ab ingrato ſapore oriri ſolet, cum ingenti clamore et ſaliuatione, dicitque aegra, dolores multos ſcintillantes ſeſe ſentire, parte doloroſa rubente. Originem morbi tribuit virgo puſtulis in brachio venaeſectione diſſipatis, remanentibus rheumatiſmis, quibus ſublatis, acceſſit hic morbus. In iuuentute odontalgia et rheumatiſmis cum genarum intumeſcentia laborauit.

5) Cl. D' ASSY D' ARPAJEAN pergit in phthi- p. 64.
ſeos pulmonalis deſcriptione atque hic inflammatorium periodum inprimis perſequitur et exemplis illuſtrat. Porro vlcerum pulmonum naturam de- p. 144.
clarat.

Menſe auguſto.

1) Cl. BARON obſeruationes hic tradit naturae p. 109.
vires attinentes in morbis abigendis. Chorea St. Viti, variis remediis incaſſum adhibitis, ruſticatione eſt ſanata. Puella a febre lenta, exulceratione pedis cet. ſolius naturae ope liberata eſt.

2) De tendinis ACHILLIS ruptura exemplum p. 118.
hic proponitur a Cl. DE VILDE.

3) Fulmine tactam feminam ſuffocatiue exſpi- p. 129.
ratam eſſe narrat Cl. RAGNEAU.

4) De natro. Hoc Cl. PROUST ad alcali mine- p. 142.
rale admodum purum referendum eſſe putat, quod experimentis ſuis declarat.

p. 152. 5) Corticis Peruuiani defenditur vis antiſpaſmodica a Cl. FILLEAU.

p. 155. 6) Cl. CAMPARDON obſeruationes de quamplurimis cranii fracturis, inprimis de ſpecie illa a Graecis φλασις dicta, additis tribus exemplis, tradit.

Menſe ſeptembri.

p. 193. 1) De reconualeſcentia, Auctore Cl. BALME, quae a Noſtro dicitur ſtatus medius inter morbum et ſanitatem. Dein agit de ſignis et attendit tres periodos, initium, progreſſum et perfectam conualeſcentiae conditionem.

p. 230. 2 et 3) Cl. SVMMEIRE confirmat hic vſum cinerum geniſtae in hydrope, qui ſequebatur morp. 233. bum exanthematicum epidemicum, inque hemicrania periodica corticis Peruuiani vtilitatem praedicat.

p. 235. 4) IDEM obſeruauit ouum gallinarum fractum, ex quo poſtero die aliud propullulauit magnitudinem oui alaudarum propemodum aequans, in quo vitellum non centrum, ſed latus occuparat.

p. 236. 5) Cl. MAUDUYT *) de effectu electricitatis in paralyſi diſſerere hic pergit.

p. 239. 6) Cl. SOUVILLE exemplum mortis ſubitae, rupto aneuryſmate vero arteriae ſtomachicae, quod ex ſectione cadaueris apparuit, tradit. Vehemens nimirum motus hanc rupturam effecerat.

p. 242. 7) Quartam **) obſeruationem collegit Cl. CAMPARDON de fracturis cranii. Attinet haec obſeruatio fracturam oſſis frontis tormento bellico factam, quae icone eſt illuſtrata.

p. 264. 8) Experimenta de vrina camelorum recenti et putredine deſtructa Cl. ROUELLE inſtituit quoad odorem, colorem, qualitatem mucilaginoſam, saponaceam-

*) vid. ſupra p. 4.

**) Antecedentes non diu ante ab EO ſunt hic inſertae et a nobis ſupra indicatae.

naceamque, grauitatem ſpecificam, additis acidis mineralibus, violarum floribus, vini aceto cet. Item comparauit hanc cum hominum, vaccarum, equorum vrina cet.

Menſe octobri.

1) Finit hic Cl. BALME tractatum de reconuale- p. 307.
ſcentia, cuius paulo ante mentionem fecimus. Diſpeſcitur ea in diuturnam et malam, ſubitam nec animaduerſam, periculoſam cet.

2) Enarrat Cl. LALLEMENT exemplum puellae p. 320.
octo annorum natae, quae ita ſtupida erat, vt nec parentes noſceret, nec alias diſtinguere res poſſet.

3, 4, 5, 6 et 7) Reſpondit Cl. LONGAVAN ad p. 323.
caſum morbi in virgine a Cl. BONNARD menſe iulio propoſitum et a nobis ſupra indicatum, cuius morbi indolem a materia arthritica repetit, quae venaeſectione, alterantibus, euacuantibus cet. remediis eſt tentanda, ita, vt, humoribus correctis, irritatio ſpaſtica fibrarum impediretur. Cl. LAUGIER p. 331.
hunc morbum refert ad morbos ſyſtematis nervoſi, qui in primis viis habent ſuam praecipuam ſedem. Cl. DES-ONDES ſuadet in hoc morbo eua- p. 336.
cuantia, topica et ſuffimigia, cet. Cl. MENVRET p. 338.
omnia huius morbi ſymptomata explicat ex principio, neruoſa organa irritante, et proponit corticem cum decocto bardanae, cet. Cl. DUPOUY omnem p. 340.
hunc morbum a catarrho deriuat et extractionem dentis ſuadet et diſquiſitionem, num caries adſit?

8) Cll. TRUYART et ALLOUEL obſeruationem de p. 344.
grauioribus ſymptomatibus in lichenibus, repercuſſis ab vſu mercurii ſublimati corroſiui et aquae vegeto mineralis GOULARDI tradiderunt. Femina hyſterica impetigine vexata in conuulſiones, aliaque ſymptomata incidebat, quae ex materia, a cute ad cerebrum delata ab his medicamentis, repetuntur.

p. 352. 9) Cl. CAMPARDON finit ſuas obſeruationes de craniī fracturis, quarum aliquoties iam paulo ſupra fecimus mentionem.

p. 365. 10) Cl. WARNIER puellam per quatuor horas merſam, et ſuffocatam reuocauit in vitam.

Menſe nouembri.

p. 409. 1) Cl. VIESSEUX obſeruatio de eryſipelate inoculationem ſequente, quod, ex bilioſa materia ortum, vſu purgantium remediorum ſanabatur.

p. 419. 2) Cl. SAYOUX animaduerſiones in Cl. MAIAULT diſſertationem de fiſtula ani *), filo plumbeo tractata. Attinent hae obſeruationes ligaturas, quae quoque iuuant, cum Cl. MAIAULT methodus ingentes gignat dolores.

p. 427. 3) Puellae octodecim annorum epilepticos inſultus atque periodicos, ex retentione menſtruorum, pediluuiis calidis, venaeſectione et purgante remedio cet. Cl. GUIGOU ſanauit.

p. 431. 4) A Cl. HERBIN fil. vniuerſale emphyſema cum hernia inguinali eſt curatum.

p. 434. 5) Cl. I. GAGNIERE effectum fulguris hunc narrat. Gladio ſcilicet in ventre ita ictus aeger erat, vt inteſtina et epiploon prodirent, repoſitione facta, vulnus conſolidatum fuit. Oborta autem tempeſtate a fulgure, ingentes ibi ſenſit dolores, qui, ceſſante tempeſtate, euanuere. Inquirens in cauſas huius doloris, nullas circa cicatricem reperit.

p. 436. 6) Cl. CH. LEROY obſeruatio de gemellis monſtroſis inter ſe vnitis et icone illuſtratis cum animaduerſionibus in ſectionem ſymphyſeos oſſium pubis **).

Menſe decembri.

p. 494. 1) Cl. MAUREL magnam caluae depreſſam foveam, in iuuene ſedecim annorum a lapſu, ſomnolentia,

*) v. comm. noſtr. Vol. XXII. p. 478.

**) v. ſupra p. 3.

lentia, alienatione méntis cet. ſtipatam, recuſata a parentibus operatione, diaeta, venaeſectione et topicis remediis ſanauit.

2) Morbum conuulſiuum a colica quadam ex vſu interno vegetabilium ſtupefacientium ortum ſanauit Cl. LETUAL. p. 504.

3) Cl. GAULTIER DE CLAUBRY hic deſcribit methodum neonatos, qui videbantur mortui, ad vitam reuocandi. Cernitur in vmbilicalis funiculi immiſſione in vaginam vteri matris, cuius calor motum ſanguinis conciliat, et in inflatione leni aëris in pulmones. p. 512.

4) Cl. BARRAL commemorat caſum mortuae virginis, ex eſu ceraſorum cum nucleis. p. 519.

5) Obſeruatio de morbis cutaneis equorum, Auctore Cl. HUZARD. p. 524.

6) Cl. GUENEL methodum tradit haemorrhagias ſiſtendi poſt caſtrationem. Eſt lamina plumbea ductilis cum foraminulis, in cuius cauitate agarici portio ad haemorrhagiam impediendam ponitur. p. 528.

7) Epiſtola Cl. BONNEL DE LA BRAYERESSE continens cariem femoris, quae per quindecim annos durauit et multis adhibitis incaſſum remediis, inter quae et operatio erat, lethalis facta eſt. p. 530.

II.

ALBERTVS HALLERVS de partium corporis humani praecipuarum fabrica et functionibus. Opus quinquaginta annorum. Tom. III. Bernae et Lauſannae, ex prelis Societatum Typographicarum, CIↃIↃCCLXXVIII. 8. Plagg. 18 et $\frac{1}{2}$.

Locuti ſumus nuper *) de prioribus quatuor novae phyſiologiae Hallerianae editionis libris, ſimulque

*) vid. Comment. noſtr. Vol. XXIV. P. I. p. 29. P. III. p. 466.

ſimulque praecipuorum ſupplementorum, quibus eos auctos deprehendimus atque locupletatos, brevem exhibuimus recenſum; iam, quid vel noui, vel mutati nobis quintum librum, qui in hoc volumine ineſt, perlegentibus obuenerit, exponamus.

Aduertit autem primum in hoc libro HALLERVS animum, ad ſanguinis in vaſis viui hominis fluentis copiam atque indolem, et variorum de humana natura Auctorum ſuper hac ipſa re placita diiudicauit; tum de elementis, ſeroque ſanguinis diſſeruit, ac tandem de proportione et vtilitate variorum huius liquidi elementorum mentem ſuam reddidit cognitam.

p. 3. Ipſius ſanguinis in viuis animalibus circumeuntis quantitas definiri, Noſtro iudice, accurate haud poteſt, quod omni dubio procul in liquidi huius ad reliquam corporis molem ratione varietas locum

p. 6. obtinet. Nam ſaepe annotatum eſt, multos homines inſignem cruoris copiam intra breue tempus ex naribus, aliisue partibus amiſiſſe, multos vero fuiſſe repertos, in quibus ſanguinis penus ita exhauſta deprehenderetur, vt fere nihil rubri humoris ſupereſſet. Sic, vt quaedam tantum exempla addamus, TISSOTVS de homine, qui intra annum CCCCXII libras ſanguinis amiſerat, retulit et HENKELIVS meminit haemorrhagiae viginti et vltra librarum, cet. WILHELMI III e contrario funus totum exſangue fuit inuentum. De animalibus variis ſimiles proſtant HARVEII, KINGII, aliorumque obſervationes, ex iisque quiuis, pro diuerſa ſanguinis, quam e corpore animantis eduxit, copia, humoris huius ad reliquas partes rationem diuerſo modo definiuit. Hinc, quae ſit habenda variis variorum

p. 8. calculis fides, clarum eſt atque perſpicuum. Reliquis tamen phyſiologis, qui hanc rem perſcrutati ſunt,

ad

ad verum propius aut FRANCISCVS QVESNAIVS, aut FRID. HOFMANNVS acceſſit, quorum prior viginti et ſeptem, alter vero viginti et octo ſanguinis libras in adulto, ſanoque homine circumire ſtatuit, quae ratio eſt ad mediocrem hominis molem, vt 1 ad 5. Ceterum iuniori homini, aut animali, experientia teſte, plus ineſt ſanguinis, quam ſeni, vetuloue; hinc recens nato infanti vniuerſa cutis, ipſaque cornea oculi tunica rubet, quae pariter ac communia tegumenta, ſanguinis portione diminuta, ſenſim per aetatem alba euadit. p. 9.

In feri animalis canalibus etiam maior huius liquoris quantitas mouetur, quam in domeſtici vaſis, et in vniuerſum ſanguinis pondus ad reliquum corpus eandem rationem, quam cor obſeruat, obtinere HALLERVS contendit.

Arterioſum ſanguinem a venoſo admodum differre, illumque calidiorem et rariorem, hunc frigidiorem et magis ponderoſum eſſe, multi arbitrati ſunt. At nullis fere idoneis argumentis haec ſententia nititur, neque opiniones DAVIDIS, atque WILSONI, quorum ille venoſum calidiorem, hic eum magis animaliſatum arterioſo eſſe ſtatuit, experientia confirmantur; etenim neque SPALLANZANVS, qui pariter, vt HALLERVS, multum laboris in contemplando ſanguine poſuit, neque alii clari viri quicquam diſcriminis detegere potuerunt. p. 10.

Verus hominis et plerorumque animalium ſanguis rubro, eoque in ſano corpore eleganter florido gaudet colore, qui coccum aut aequet, aut ſuperet. Atque ita potiſſimum Europaei et albi hominis ſanguis comparatus eſt, is vero, qui in aethiopis vaſis mouetur, ab illo coloris reſpectu quodammodo dictus eſt differre; nam obſeruatum fuit nuper, ſanguinem p. 21.

guinem aethiopis emiſſum fuſcum primum apparuiſſe, et exiguas ipſi nigras particulas fuiſſe admixtas, deinde eum floridum euaſiſſe et in centro placentae nigrum, in ambitu fuſcum eſſe redditum. In diuerſis animalibus aliqua forte in ſanguine coloris diuerſitas eſt, prout victus et vitae genus aliud fuerit; etenim, quamquam ipſe HALLERVS cum in frigidis animalibus, velut in rana et bufone, tum in calidis, vt in incubato pullo, ſanguinem rubro colore conſpicuum et concreſcendi virtute praeditum vidit, in piſcibus tamen, iisque anguillarum ad modum teretibus ſanguinem in corde nigrum et coactum, in cartilagineis e contrario rubrum et ſplendentem eſſe, cet. ſe legiſſe refert. In maioribus quadrupedibus, vt in equo, denſior ſanguis et magis viſcidus, quam in minoribus, eſt; in cane eundem liquorem Noſter glutinoſum magis et ad coëundum proniorem, in ouibus vero, iisque potiſſimum iunioribus, fludiorem inuenit.

p. 22. At vero, vt ad colorem ſanguinis regrediamur, videtur non ſtatuendum eſſe, hunc humorem rubro colore aut in omni aetate, aut in omni temperamento nitere, aut in eiusdem hominis venis omne illud liquidum ſincero eſſe rubore conſpicuum; experientia quippe edocti ſcimus, humano fetui minus pulchre ſanguinem rubere, eiusque colorem obſcuriorem atque fuſcum magis, quam in adulto, eſſe, et notum praeterea eſt, BÜTTNERVM in immaturo humano fetu humorem flauum in aorta arteria ſanguinis loco conſpexiſſe, cet. Sanguis in celluloſas telas effuſus, quando reſoluitur, ex pene nigro rubore per coeruleum et viridem colorem in flauedinem tranſit, vt adeo a ſanguine flauedo omnino haud aliena videatur, quamuis ſani, adultique hominis, aut animalis ſanguis etiam in aqua dilutus nullum flaui coloris veſtigium oſtendat. SPALLANZANVS quidem nuper flauum globulorum

p. 24.

rum ſanguineorum colorem haud admiſit, ſed eum potius refractae luci, qua HALLERVS vſus eſt, tribuit; at vero lentis vitreae vſum in colore certe mutando nihil efficere potuiſſe, Auctor contendit; nam in robuſto animali ſolitarios globulos, eosque meſenterii vaſa vnica ſerie percurrentes, ruberrimos ipſi viſos eſſe, aut certe albos fulgidos cum laeto rubore, nec vnquam flauos, languidi contra animalis glomeratos globulos, cum eadem luce vteretur, conſtanter flauos apparuiſſe, refert. Ceterum in viuis etiam animalibus albido quaſi, aut ſubcaeruleo ſanguinem nonnunquam colore gaudere Noſter addit; chylus quippe, isque ſuis proprietati- p. 25.
bus ſatis conſpicuus, ſaepe per ſanguinea vaſa oberrat, et humoris in iis contenti mutat colorem, quemadmodum BOHNIVS, BERGERVS, HALLERVS, aliique obſeruarunt. HEWSONVS album p. 27.
illud liquidum, quod ſanguini innatat, ſerum eſſe, idque flauos globulos habere, neque aut chylum referre, aut vnice a paſtu reperiri, cum ſero vero candorem ab adipe communicari, perhibuit, et TARGIONVS hydropicum liquorem etiam album vidit, cui nulli globuli eſſent. Eam autem albam materiem, quam cum ſanguine per vaſa circumire Auctor obſeruauit, paucis a cibo ſumto horis omnino euaneſcere, et porro totam ſanguinis maſſam ſincere rubere monet; hinc, colligit, tempus aliquod eſt, in quo conſpicuus cum ſanguine chylus circumeat, neque tamen inficiatur, humorem alium mucoſum quandoque in ſanguine contineri.

Omni ſanguinis maſſae commune eſt, et in p. 29.
omnibus, quantum conſtat, animalium claſſibus accidit, vt vitalis humor ſpiſſeſcat, et in ſano homine continuo, vti ex vena emiſſus eſt, in craſſioris, minusque cohaerentis gelatinae tremulam ſpeciem coëat.

coëat. Hoc autem phaenomenon cum in aeſtiuo aëris calore, tum hiberno tempore obſeruatur, et videtur frigefactus ſanguis ſolidius, calens tenerius coire. At vero ipſa coagulatio haudquaquam amiſſo cālori tribuenda eſt, quod frigidorum animalium ſanguis cogitur, de quo tamen nullus calor decedat. Ea potius poſſet, HALLERO iudice, negari ſententia, qua a quiete ſola in coagulum hunc humorem abire ſtatuitur, cum concuſſus etiam, ſuilli exemplo, coëat, et in viuo homine ſolidam naturam induiſſe viſus ſit. Nihilo tamen minus quies ad coagulationem plurimum confert, ſiquidem ſaniſſimi hominis ſanguis, qui rapide per venas circumibat, fluidusque per aërem ſaliebat, continuo cogitur, quamprimum in patinam receptus, per 7 — 11 minuta prima, quo circiter temporis ſpatio ſanguinem indigere, vt in placentam conſiſtat, varii naturae humanae ſcrutatores experti ſunt, quieuit.

p. 31. Neque vero nulla eſt in denſitate, quam ſanguis variorum hominum ex venis miſſus acquirit, diuerſitas; nam denſior eſt, et vehementius coit in iis, qui rheumaticis, arthriticis, nonnullisque aliis affectibus obnoxii ſunt, aut febribus laborant, quibus inflammatio ſubeſt. In malignis febribus ſub mali initia ſaepe fere cogitur hic humor, etſi in poſterioribus ſtadiis reſoluitur, prout multi, iique peritiſſimi medici, veluti nuper HVNTERVS, annota-

p. 32. runt. Ipſe Auctor in miliari, eoque haudquaquam benigno morbo, et in alia grauiſſima febre de genere eryſipelaceo ſuum ſanguinem coactum vidit, et ROEDERERVS in maligna febre, cui mucoſi morbi nomen dedit, ſanguinea vaſa coacti cruoris plena reperit. In aliis morbis a multis facta eadem obſeruatio eſt, et in vniuerſum acutae febres, variolae, flaua febris Siamenſis, aliique ſimiles maligniores morbi cum craſſamento ſanguinis fere incipiunt, vt

humor

humor in peſte propter tenacitatem in vena haereat, poſſitque vix educi. Cum ipſo autem morbi progreſſu vt putredo in humoribus inualeſcit, ita ſanguis diſſoluitur, vt demum ipſi HALLERO in tertiana febre pulli ſanguine vix craſſior e ſecta vena liquor flueret, et in malignis febribus totus diſſolutus per omnes corporis poros exſudaret. Hinc recte ſub initia huiusmodi morborum acida, aliaque cum putredini, tum ſpiſſitudini ſanguinis contraria medicamenta, in progreſſu vero cardiaca exhibentur, cum diſſolutum ſanguinem debilitas ſequi ſoleat; neque enim deſperari de diſſoluto ſanguine debet, qui cum vita ſuperſtite natiuam denſitatem recuperet. Ceterum polypi *), qui quandoque in corde, vaſisque viui hominis generantur, ex ipſo coagulato ſanguine originem habent, iique interdum, MORGAGNO, WALTHERO, HAENIO, cet. Auctoribus, cunctis arteriis, venisque tanquam chordae inhaerent, et vermium quaſi induerunt naturam, pro quibus a nonnullis medicis habiti ſunt.

Calor ſanguinis in variis hominibus, animanti- p. 47.
busque varius eſt, isque mox valde imminutus, mox auctus vehementer deprehenditur. Nimirum, vt de animalibus ſileamus, quosdam homines morbis nonnullis, veluti dyſenteria affectos in corpore inſigne frigus ſenſiſſe, et diu interno calore eos caruiſſe, ſaepe repetita experientia conſtitit. Ipſe nuper MORGAGNVS ſanguinem e viuo homine venaeſectione eductum frigidum fuiſſe obſeruauit; vero autem eſt, inquit Noſter, admodum ſimile, hunc humorem alicubi quieuiſſe, id quod in grauibus deliquiis nonnunquam fit, et cum motu calorem ami-

*) vid. comment. noſtr. Vol. IX. P. II. p. 267.

amiſiſſe. De ſummo aeſtu, quem homo tolerare poſſit, non eandem omnibus ſententiam fuiſſe conſtat; hinc, vt problema hoc ſolueretur, nuper varii Londinenſis ſcientiarum Societatis Sodales tentamina inſtituerunt, quorum euentus HALLERVS hic inſeruit. Nos olim de his ipſis experimentis, eorumque effectibus ad Lectores noſtros retulimus *).

p. 64. Electrica materies in humano ſanguine perinde, vt in omni alio fere corpore reperitur, eaque in ſolito corporis humani ſtatu nullum ſui indicium edit, quod aequali ratione, vt videtur, per vniuerſum corpus diſtributa eſt; quando autem in torrentem per frictionem incitata, vel in corpus humanum congeſta ſe in vicinum corpus, minus vbertim ea dotatum, exonerat, vel viciſſim ex corpore electri pleno in noſtrum, eo elemento minus diues, recipitur, inſignes vtrobique ea effectus producit. Scintilla nempe ex quacunque corporis parte educta ignis vim habet, eaque vini ſpiritum accendit, et in noſtro corpore dolorem facit atque concuſſionem, immo, ſi validior fuerit ictus, minora animalia, laceratis eorum vaſis et effuſo ſanguine, occidit. Idem elementum in torrentem incitatum pulſum accelerat, reſpirationem auget, ouorum
p. 69. praecipitat excluſionem, cet. Ortum haec electrica materies a phlogiſto, quod alimentis ineſt, habere videtur, neque tamen omne phlogiſton in electrum ab animali natura transmutatur; nam alia inflammabilis principii portio in rubra ſanguinis parte ineſt, alia, eaque ſuperflua ex pulmone exhalat. Ceterum inter potentiſſimos ſtimulos electrum pertinet, quod muſculos et cor ad motum ſuſcitet, quanquam ad omnes alios ſtimulos hae partes obſurduerunt.

Rubra

*) vid. Comment. noſtr. Vol. XXIII. P. III. p. 449. 461. 462.

Rubra ſanguinis portio, ſiue cruor ex rotundis p. 89.
particulis conſtat, quae per liquorem, eumque ne microſcopii quidem auxilio conſpicuum, feruntur. Continuatus autem motus hoc tenue liquidum demonſtrat, quando, vno globulo ex quiete in motum acto, alius longe ab illo diſtans, et demum plures ſimiles particulae in motum reuocantur; nam haec communicati motus veluti continuitas locum habere haud poſſet, niſi primus globulus cum ſecundo per inuiſibilem liquorem coniungeretur. Hos ipſos Noſter in ſuis oculis globulos ſaepe vidit, cum ciliis candelae lumen excludebat; tunc enim in linteo oppoſito, vel in charta, et cylindrica vaſa, et globulos per ea celeriter motos nudo oculo poſſe conſpici fatetur. Quae autem vera horum globulorum indoles ſit atque natura, nondum inter phyſiologos ſatis conſtat; etenim quanquam nuper in his ipſis cruoris particulis contemplandis DELLA TORRE, FONTANA, HEWSONVS, SPALLANZANVS, aliique verſati ſunt, euentus tamen, quos quisque horum virorum ſe obſeruaſſe retulit, varii admodum fuerunt, vt HALLERVS neque inter ſe, nec cum ſuis numeroſiſſimis contemplationibus eos poſſit conciliare. Et DELLA TORRE quidem eas p. 96.
cruoris partes, quas globulos vocant, membranoſos complanatos ſacculos, eosque lymphae plenos, eſſe, et ex 3-6 particulis oblongis fieri ſtatuit *), HEWSONVS vero ſimplices quidem dixit particulas, eas tamen planas eſſe et veſiculas liquoris cuiusdam plenas ſiſtere perhibuit. At enim vero, licet vterque tentaminibus variis ſuam ſententiam vero reddere ſimilem ſtuduerit, Noſter tamen fatetur, ſe a propoſita olim **) opinione diſcedere non poſſe, quod numeroſiſſima eiusdem ſemper euentus ex-

 peri-

*) vid. comm. noſtr. Vol. XXIV. P. II. p. 309.
**) ibid. Vol. IX. P. II. p. 268.

perimenta fecerit, et peritiſſimos viros FONTANAM, SPALLANZANVM et CAESAREVM POZZIVM conſentientes habeat.

p. 97. Magnitudo his moleculis conſtans a LEEUWENHOEKIO tributa eſt, SPALLANZANVS autem nuper in ſalamandra duorum generum globulos, oblongos alios, alios minores et ſphaericos facit, ceterum in omni animali aequales eos reperiri contendit, et HEWSONVS aliam, aliamque in diuerſis animalibus molem eſſe, in cete v. c. minorem, quam in frigidis piſcibus, in pullo maiorem, quam in gallina, cet. ſtatuit; veruntamen Noſter, etſi ingenue profitetur, accurata ipſi ad haec diſcutienda haud ſuppetere experimenta, nihil ſe animaduertiſſe refert, quod inaequali eos magnitudine
p. 108. eſſe ſuadeat. Ceterum hos ſanguinis globulos nuper IOH. HENR. LANGIVS pro filorum glomeribus habuit, qui ita ſint in globoſam figuram compacti, vt altero fine in centro coniungantur, altero ſe per ambitum diffundant; nullus vero vnquam clarorum virorum, qui in indaganda globulorum natura laborarunt, huiusmodi fila detegere potuit.

p. 126. Accedimus cum Noſtro ad ea ſanguinis elementa, quae per alia admiſta corpora innoteſcunt, neque ſua ſe ſponte in ſani, viuique animalis ſanguine oculis offerunt. Non repetemus autem, quae quondam, ipſo HALLERO duce, de ſalibus, oleo, terra, ferro cet. huius humoris diximus *) cum additamentorum potiſſimum rationem nos
p. 143. habere conueniat. Et ad naturam quidem ſanguinis quod attinet, ſatis per experimenta euictum eſt, hoc liquidum in putredinem abire, ſi vel aër illud ambiens

*) l. l. p. 270. ſeqq.

ambiens calidior redditus, vel muſculorum motus auctus fuerit, vel fixum aliquod ſal ipſi ſanguini adiectum. Iam vero huiusmodi putreſcens, ſiue, quod idem eſt, alcaleſcens ſanguis, (verum nuper putredo ab alcalina natura a quibusdam fuit ſeparata,) foetidum primum vaporem exhalat, qui quandoque, potiſſimum ſi in vaſe anguſti colli ſedem putredo habuerit, admodum grauis eſt atque iis, qui eum inſpirant, periculoſus. Neque tamen is modo ſanguis, qui in mortuis animalibus ſtagnat, aut ex viuorum vaſis eductus eſt, in putredinem abit, verum etiam viui homines putreſcente quandoque ſanguine laborant. Sic in malignis febribus frequenter foetet totum aegroti corpus, et in aliis exitialibus morbis ſudor cadaueroſi foetoris exhalat. Similes in ſanguine effectus volatilium ſalium abuſus, victus mere carneus, nimius aëris calor, cet. producit; potentius his autem et cunctis aliis putredinis adiumentis noſtros humores corrumpit ipſa putrilago vtcunque in corpus recepta, veluti putridus cibus et animantium lue peremtorum eſus. Praeterea foetidi funerum et coemeteriorum vapores, aër exhalationibus hominum copioſioribus praegnans, putreſcentis braſſicae acerui, cet. peſtiferas febres excitant, quibus tollendis vix vlla medicina par eſt.

Ceterum effectus putredinis variis modis ad- p. 154.
miſſae in ſumma virium et irritabilis naturae deſtructione potiſſimum cerni, multis nuper tentaminibus, iisque ſumma cum cura inſtitutis euictum eſt. In nonnullis humoribus, et potiſſimum in iu- p. 167.
niorum animantium ſuccis manifeſtus etiam acor reperitur, isque in adipe, in ſucco folliculi dentium, cet. inprimis euidens eſt. Etenim, quanquam multi hoc acidum principium in dubium vocarunt, COLLINVS tamen ſe de eius in viuis animalibus

praeſentia certum reddidit, reperitque in omnibus experimentis in putredinis principiis aliqua non duratura acidae degenerationis ſigna, vt acor praecederet, aliquamdiu cum putredine partitas teneret vices et ab ea denique ſuperaretur. Solet autem acor, qui putredinem praecedit, ingratus, et a vero acido, eoque grato odore et ſapore conſpicuo, diuerſus eſſe, quod in putreſcente animali corrupti olei rancor ſe, vt videtur, cum euoluto acido coniungat. At enim vero inter perpetua ſanguinis elementa acidum Noſter non recipiendum putat, id tamen hactenus credit oſtenſum eſſe, acorem in animalium humoribus latere, qui aeque ac putredo in funere ſe manifeſtius exſerat, etſi vtique haud perinde, vt alcalina degeneratio, conſtans eſt, ſed tandem ipſa diuturniori euolutione ſua in putredinem abit.

p. 213. Seri, ſiue flaueſcentis et aquoſae ſanguinis partis non ſimplex natura eſt; alia quippe eius portio coagulabilis deprehenditur, alia perpetuo fluida manet, et alia mucoſa vtitur natura. Neque vero nuperi quidam Angli audiendi videntur, qui duas in ſero partes, quae alio et alio calore cogantur, diſtinguunt, lympham nempe, quae 114, 120 et 140 gradu Fahr. coëat, et ſerum, quod 150, aut demum 160 gradu ſolidam induat naturam; namque cum nullum aliud diſcriminis ſignum hi phyſiologiae doctores addiderint, videtur, Noſtro iudice, alia pars ſeri ſanguinis aquae plenior et difficilius coagulabilis fuiſſe, alia vero gelatina magis abundaſſe,
p. 223. et proinde minori calore coiuiſſe. Cruſta, pleuritica dicta, huic ſanguineo ſero, cuius attractilis vis ita aucta ſit, vt ſeroſae partes ad ſimiles vehementius accedant, a cruore minus trahantur, omnino originem debet; etenim etſi multi eam a diſſolutione

ſangui-

ſanguinis, quae ipſa ſit inflammationis effectus, repetierunt, HALLERVM tamen multa cum ea inſtituta tentamina de eius cum ſero conuenientia reddiderunt perſuaſum. Pus etiam a ſero ita oriri, vt ex eo per putredinem generaretur, et ſedimentum a ſero puri ſimile ſubſideret, nuper dictum fuit, HALLERO autem inflammabilis natura in pure nimis manifeſta eſſe videtur, quae cum a ſero, tum a pleuritica cruſta abſit. p. 226.

Multi animalis corporis ſucci, velut oui albumen, exhalans pericardii, pleurae, peritonaei, et ventriculorum cerebri vapor, liquor hydatidum, aquae hydropicae, cet. ſero valde ſunt affines. Et oui quidem albumen ab acidis eodem, quo ſerum, modo afficitur, neque a coagulabili lympha, niſi admiſtis membranis et natura mitiori, differt. Siccatum hoc liquidum in friabilem ſuccini ſpeciem mutatur et pleuriticae cruſtae eſt ſimillimum. Hydropica aqua, dum recens eſt et a putredine aliena, ſponte in membranas praeter naturam coaleſcentes abit, et a calore non minus, quam ab alcohole et acidis liquoribus cogitur. Ipſe etiam mucus ſolidus euadit, ſi autem aſſeruatur, per putredinem coagulabilem amittit naturam, aut minorem retinet. p. 228.

Ceterum media ſalia quemadmodum rubrum ſanguinem, ita etiam ſerum diluunt, reddunt illud magis liquidum, ſimulque efficiunt, vt etiam ab igne difficilius cogatur. Simili in hoc liquidum ratione agunt ſalia alcalina cauſtica et volatilia, aqua calcis viuae, cet. pleuritica autem cruſta in ſale lixiuioſo fixo et ſpiritu alcalino volatili, non item in aqua, et vix in aquoſa nitri ſolutione, deliqueſcit, ac ſua etiam ſponte in foetidum oleoſum liquamen diſſoluitur, quod tamen coagulabilem ab igne et

ab acore meraco naturam, GABERO *) Auctore, retinet.

p. 245. De commodis, quae ex variis ſanguinis elementis in animale corpus redundant, nihil addimus, in quibus quippe recenſendis, illuſtrandisque HALLERVM ab eo, quem olim laudauimus **), tramite haud deflexiſſe, neque multa iis, quae olim docuerat, adieciſſe, animaduerterimus.

III.

Vermiſchte mediciniſche und chirurgiſche Schriften von Lic. IOH. ERNST GREDING, *ehemaligen Arzte im Armenhauſe zu Waldheim, herausgegeben von* KARL WILHELM GREDING. *Altenburg* 1781. 8. *Seitt.* 320.

h. e.

IOHANNIS ERNESTI GREDINGII miſcellanea medico-chirurgica edita a CAROLO WILHELMO GREDING.

Varia hic Celeberrimi GREDINGII ***) reperiuntur ſcripta, non ſolum ad artem medicam ſpectantia, ſed etiam chirurgicam, quae ipſe vt in publicum proderet, conſtituerat quidem, ſed fato cedere coactus eſt ****).

p. 3. Ac primo quidem videmus in hoc libro *obſeruata quaedam de hydroceles cyſticae varia ſede, ortu, atque compli-*

*) Vid. Mélanges de Philoſophie & de Mathématique de la Société Royale de Turin, pour les années 1760, 1761. pag. 92. comm. noſtr. Vol. XII. P. II. p. 335.

**) vid. comm. noſtr. Vol. IX. P. II. p. 275.

***) vid. Aduerſar. med. pract. Lipſ. et comm. Vol. XVII. p. 488. Vol. XIX. p. 103. Vol. XX. p. 674. Vol. XXI. p. 176.

****) v. ib.

complicatione, cuius rei ſententias, vt PLATNERI, SHARPII, MONROI, BERTRANDI, aliorumque ſcriptorum diuerſas nemo erit, qui neſciat. Quam in rem b. Auctor, quum ipſi copia eſſet, veritatem huius controuerſiae penitius inueſtigandi, ſectiones nonnullorum cadauerum adiutore SCHMIDIO, chirurgo dexterrimo, fecit, vbi in cadauere primo, remotis ſcroti vna cum membrana dartos integumentis, ſaccus, vt putabatur, hernioſus, elaſticus, craſſus in conſpectum venit, qui multis ſtratis muſculoſis, ſibi inuicem incumbentibus, ſat craſſis atque in longitudinem ſacci excurrentibus, tectus erat. Haec ſtrata muſculoſa poſtquam cultro anatomico caute ſeparata erant, alia longe tenuior, pellucida, at vero denſa et polita membrana, ex qua, quum cultri cuſpide ex improuiſo laeſa eſſet, aquae citrinae et inodorae libra vna cum ſemiſſe ad minimum magna cum vi proſiliret, apparuit, quae, effluxo liquore illo, nil niſi teſticulum cum funiculo ſpermatico contineret.

Sectio cadaueris ſecunda binos hydroceles cyſticae caſus extra teſticuli tunicam vaginalem ſiſtit, vbi in primo teſticulus prorſus non, in altero vero obſcurius tantum et quidem non infra tumorem, ſed a latere eiusdem verſus ſeptum ſcroti tactu percipi poterat. p. 10.

Tertia denique ſectio proponit duas verae hydroceles diuerſiſſimas ſpecies, vna cum oedemate tunicae vaginalis amborum funiculorum ſpermaticorum praeter oedema ſcroti in inferiore eius parte obſeruatum, atque varia pericula, in quae chirurgus hac in operatione incidere poſſit abſque vlla culpa, oſtendit. p. 17.

Sequuntur *tentamina quaedam de corticis fibrarum radicis hellebori albi viribus et efficacia in melancholico-maniacis et epilepticis morbis tollendis, vel ſubleuandis.* In initio huius tractatus retulit Auctor p. 24.

nonnulla de veratro albo ipſo, eius natura, indole atque patria, tranſit deinde ad tempora antiquiſſima, vbi hanc radicem in manibus medicorum veterum tanquam remedium contra hos morbos grauiſſimos celebratiſſimum et efficaciſſimum videmus, quod diligentiam experientiſſimorum in ſe conuertit omnem. HIPPOCRATES certe huius radicis, vt medicamenti iam diu notiſſimi, mentionem facit, quo ſaepius, at ſumma adhibita cautione, vſus eſt, quam in rem, qui huius remedii vim experiri deberent, ii aliquot dies ante praeparati ſunt, vbi ſimul ad anni tempora attendit. Quo certius autem de huius plantae efficacia fieret Auctor, hanc verno tempore in montibus Luſatiae (*Rieſengebürge*) conquiri curauit, atque radicum fibrillis in vmbra egregie ſiccatis, educto filo ligneo, quod ſupererat, in puluerem redegit, ſaccharoque mixtum aegris primum parciſſima doſi, ſenſim ſenſimque vero aucta exhibuit, ita, vt ſpatio XXIV horarum elapſo vnum tantum granum ipſis daretur. Neque tamen vero in puluere ſolo exhibendo ſubſtitit, ſed extractum quoque ex eodem cortice fibrillarum methodo Stoerkiana paratum, atque vel eodem puluere corticis fibrillarum radicum hellebori albi, vel puluere radicis valerianae ſilueſtris maioris, vel puluere viſci in pillulas redactum aegris praebuit. Sed quum experientia edoctus mox intellexiſſet, pillulas ex puluere hellebori confectas longe minorem, ex ſecundo autem et tertio puluere paratas fere nullum, ratione euacuationum corporis auctarum, producere effectum, has omnes breui ſepoſuit, et puluerem primo loco deſcriptum aegris exhibuit. Effectus non ſemper reſpondit votis, ita, vt pauciſſimi ſuam recuperarent ſalutem.

p. 89. Quo minus autem experimenta cum helleboro albo inſtituta reſponderunt exſpectationi Auctoris, eo

eo felicius ceſſerunt tentamina cum *aconito* facta. Quae quidem tentamina etſi numero admodum pauca ſunt, attamen vero ad illuſtrandam huius plantae in morbis curatu difficillimis vim et efficaciam multum conferre videntur. Succus ſcilicet ex hac planta expreſſus in vaſe terreo leni igne in ſpiſſi extracti conſiſtentiam redigebatur, cuius grana octo cum ſacchari Canarienſis vncia vna in puluerem ſubtiliſſimum trita vſui ſeruabantur, et in initio quadrihorio quouis ſcrupulus ſemis quotidie aegris dabatur, haec doſis autem ſenſim aucta eſt. Huius extracti Aconiti effectus in tollendis glandularum colli tumoribus ſcirrhoſis eximius facile incitabat Auctorem, vt idem medicamentum in paralyſi eaque iam inueterata compeſcenda et in aſthmate depellendo tentaret, atque adeo ſucceſſus videret feliciſſimos.

Habemus *obſeruata nonnulla de effectu cicutae in cancro mammarum curando*, quae excipiunt aliae quaedam obſeruationes *de vi et efficacia cicutae in affectibus oculorum.* Haec experimenta etſi non admodum admiranda ſunt, eo magis dolemus, mortem praematuram Auctoris, cuius ſtudium indefeſſum homines ſuis doctrinae copiis adiuuandi haud dubie multa alia, eaque grauiora addidiſſet, ex quibus fortaſſe certi quid conſtitui potuiſſet, niſi in medio laborum ſuorum curriculo ablatus eſſet. p. 114. p. 122.

Aphoriſmi de melancholia, variisque cum hac coniunctis morbis. Per longum temporis ſpatium obſeruauit Auctor, maniam et melancholiam in aliis dimidiam anni partem, in aliis quadraginta vnum et ſupra perduraſſe. Raro moriuntur tales miſeri mania, quorum duo tantum fuerant, vnus, qui vehementer inſaniret, quemque mater melancholica enixa eſſet, erat vndeuiginti annos natus, alter, qui per ſex annos hoc morbo affectus fuerat, vitam p. 128.

ſuam

ſuam anno vigeſimo ſexto finiuit. At enim vero qui inde a pueritia corripiuntur epilepſia iis meta vitae paruis cancellis circumſcripta eſt; alii enim anno aetatis vndeuigeſimo, alii, qui hoc malo iam aetate euecti afficiuntur, anno quinquageſimo, immo ſexageſimo ablati ſunt, vt et ii, qui ſtupidi naſcuntur, vſque ad annum vndeuigeſimum, alius ad quadrageſimum primum, alius ad quinquageſimum quartum, et alius ad vndequinquageſimum vixerant. Plurimi horum hominum ante diſceſſum e vita in tabem incidunt, atque hydrope pectoris copioſiſſime afficiuntur, nihilo tamen minus reſpiratio difficilis atque catarrhus ſuffocatiuus in iis frequens reperitur. Quemadmodum autem obſtructio, quae melancholiam et maniam fere comitatur, tandem hos homines ad finem vitae relinquit; ſic aſcite, conuulſionibus, ſubita morte, carie oſſium, atque gangraena correpti pauciſſimi auferuntur. Caluae volumen ad hos morbos parum afferre videtur, quanquam ex maiore capite, reſpectu reliquarum corporis partium, mentis plerumque imbecillitatem vel praeſagiendo primo iam intuitu diiudicare ſolemus; tamen natura hanc ſibi legem omnino non praeſcripſiſſe videtur, vt omnes ſtupidos, fatuosque capitones effingeret. At vero notatu dignum eſt, plurima crania ex his aegris admodum craſſa, variaque ſingularis craſſitiei reperiri *), ratione figurae autem a naturali non magnopere recedere. Reliqua in his aphoriſmis contenta agunt *de dura, piaque matre: de cerebro in genere: de ventriculis lateralibus cerebri: de tertio ventriculo: de glandula pineali: de cerebello in genere: de quarto ventriculo: de glandula pituitaria: de baſi cranii: de thorace: de pericardio: de corde.*

Finem

*) v. Aduerſar. medico practica, Vol. II. P. III p. 451. Vol. III P. IV. p. 501. v. comm. noſtr. Vol. XIX. p. 103. et Vol. XX. p. 674.

Finem huic libello imponunt ſectiones variae p. 218.
cum melancholico-maniacis, epilepticis, epilepticoſtupidis, epileptico-maniacis, aliisque morbis demortuis inſtitutae, vbi b. Auctor omnes res, in qualibet corporis parte detectas ſingulares et a ſtatu naturali abludentes mutationes, demortuorum aetatem, vitae genus, morbi ortum, progreſſum et finem candide et ingenue annotauit. Relationes autem morborum accuratiores, amplioresque tradere, etſi ſecum conſtituerat Auctor, tamen, quin plures minus perfectae eſſent, euitare non potuit, praeſertim, cum conſideramus, quod aegri ſumma plerumque mentis imbecillitate affecti ad quaeſtiones propoſitas vel prorſus non, vel confuſe reſponderent, ita, vt veram cauſarum et ſymptomatum morbi rationem non vbique detegere potuerit.

IV.

D. ADOLPH FRIDRICH VOGEL, *der Arzney-und Wundarzneykunſt Practici in Lübeck, chirurgiſche Wahrnehmungen, zweyte Sammlung. Lübeck bey Iverſen und Comp.* 1780. 8. *Seitt.* 88.

i. e.

Obſeruationes chirurgicae. Faſciculus II. Auctore ADOLPHO FRIDERICO VOGEL.

Supplemento tertiae decadis noſtrorum commentariorum ſecundo, quod iam editur, relationem de primo faſciculo harum obſeruationum chirurgicarum inſerendam curabimus. Iam videamus ſolummodo de ſecundi faſciculi contentis, qui dicatus Noſtri Patri IACOBO LEONARDO die eius natali octogeſimo et ſexto. Chirurgiam practicam quantum fieri poteſt, leniorem et ſuauiorem reddere vult Cl. Auctor.

1) De

p. 13. 1) De abſceſſibus in muſculo lumbari interno, quorum latentium diagnoſticum ſignum vix vllum conſtat Noſtro. Lumborum dolorem intermittentem, durum, inſenſilemque in inguine ſiniſtro, tumorem tandem celeriter creſcentem, Noſter hic obſeruauit. Quo mollito et aperto, ſinus ad vertebras lumborum vſque pertingens aderat, ex quo magna puris craſſi copia promanauit, eoque magis inde auctus eſt dolor, quo profundius inſtrumentum penetrarat, inprimis cum pedem in rectum porrigeret. Mortuus eſt hic aeger febre lenta. MORGAGNO *) et ex parte TOMLINSONO **) non aſſentitur Noſter. Origo huius mali ruptis vi vaſis, ſcorbuticae, rheumaticae, vel alius generis acrimoniae, vel metaſtaſi adſcribitur. Plurima haec apoſtemata repetenda ſunt a nimia pſoae extenſione et vi externa. Ac in eo caſu Noſter ſuadet venaeſectionem ſi opus eſt, iteratam, veſicatoria, diaetam tenuem et parcam, decocta herbarum et radicum cum ſalibus mediis et quietem, vt internae inflammationi optime officientia remedia.

2) Vulnus ſclopeti per ſiniſtri pectoris cauitatem pulmonis ſubſtantiam penetrans cum fractura duarum coſtarum. Locus, in quo globus dorſum perforauerat, quatuor pollices et dimidium a vertebris diſtabat, prope ſiniſtrae ſcapulae angulum inferiorem, exierat vero e pectore in diſtantia quatriunciali a ſterno. Vulnere ampliato, ob pulmonis ſubſtantiam dilaceratam apparebant haemoptoë, pectoris anxietas, aëris pulmonalis exitus e vulnere. Ad euocandum extrauaſatum e pectore non vſus eſt machina a b. LVDWIGIO ***) propoſita, ſed inſtrumento

*) De ſedibus et cauſis morborum. Liber III.

**) *Mediciniſche Bemerkungen einer Geſellſchaft von Aerzten in London, 5ter Band.*

***) v. Aduerſaria medico practica Vol. I. p. 517. comm. noſtr. Vol. XVII. p. 507. it. Vol. XIII. p. 148. et XVIII. p. 32.

mento clyſmatico cum canali corneo curuo, foramine vno pertuſo ſex pollicum. Multis fractis coſtarum particulis exemtis et vulnere depurato, iniectionibus, cortice, antiphlogiſticis remediis cet. ita recuperauit aeger ſuam ſanitatem, vt quiete ruri vivat, appetitu gaudeat, ſomno vero tranquillo, ſi matutinum tempus excipias, quo tuſſis eum turbat, vtatur. Scalarum aſcenſu et inceſſu celeri reſpiratio fit breuior, milliariorum vero itinera tarde facit. Vulnus autem conſolidari poteſt minime, ob anxietates, quae collectionem puris ſequuntur. Quapropter hactenus canaliculo vti cogitur aeger.

3) Extrauaſatio ſanguinis ſub pericranio. Puer nimio impetu capillis ab alio bis leuabatur. Dolores celabat per octo dies, quo tempore magnus tumor capitis detegebatur, qui, occupans ſiniſtram capitis partem, tres pollices altitudine aequabat. Inciſione facta et ſuppuratione peracta, aeger ſanitati eſt reſtitutus. Cl. TENON *), qui balſamum ARCAEI cet. nudis oſſibus applicuit, Noſter aſſentitur et pinguibus eſt vſus in quibusdam exemplis. p. 45.

4) De ſingulari fluxu ſanguineo ex vrethra. Gonorrhoea chordata laborans coitum vrgebat. Quo facto magnam ſanguinis copiam in induſio et braccis detegebat et ſanguinis guttae ex vrethra cadebant. Amico ſuadente, calidioribus vtebatur aeger remediis et fluxus ille ſedabatur quidem, attamen lotii exitus plane erat impeditus. Cathetere applicato et herbarum amararum epithematibus et clyſmatibus cet. adhibitis, malum hoc ceſſit, gonorrhoea p. 51.

*) Mémoir. de l' Académie des Sciences de Paris 1757. p. 372. comm. noſtr. Vol. XII. p. 3. et 593. et Vol. XIV. p. 593.

rhoea vero vehementior fiebat, quae quoque dein ſanabatur.

p. 54. 5) De ranula duplici connata quinque ſeptimanarum aetate, cuius extremitatibus abſciſſis, humor tenuis, turbidusque emanabat atque ita haec ranula diſparuit et infans bene ſeſe habet.

p. 56. 6) De duarum lacrymalium fiſtularum operatione cum deſcriptione methodi Monro-Catianae *), obſeruationibus additis, hanc operationem attinentibus.

p. 73. 7) De ſupergrandi et vere ſcirrhoſa tonſilla ſenſim prorſus ſublata. Erat ſiniſtra magnitudine oui anatis, quae vuulae prorſus officiebat et cadaueroſum ſpargebat odorem teterrimum. Cultro, aliisque in et externis remediis per ſex menſes hic aeger ita ſanitati eſt reſtitutus, vt huius mali ne veſtigium quidem in ore poſſit detegi.

V.

A Treatiſe on the Theory and Management of Ulcers, with a Diſſertation on white Swellings of the Joints, by B. BELL, Member of the college of Surgeons of Edinburgh etc. 1778. 8. pagg. 400. **).

i. e.

BENIAM. BELL tractatus de vlceribus et tumoribus albis articulorum.

Effi-

*) VANDERMONDE Journal de médécine Tom. X. Avril 1759.

**) BENIAMIN BELLS *Abhandlung von den Geſchwüren und deren Behandlung, nebſt einigen Bemerkungen über die weißen Geſchwülſte der Gelenke und die chirurgiſche Behandlung der Entzündung und ihre Folgen. Aus dem Engl.* Leipzig 1779. 8.

Efficiunt vtilem hunc librum tres partes, quarum prima in cauſis et ſymptomatibus inflammationis, altera in vlcerum theoria et chirurgia cernuntur, tertia fiſtit annotationes ſupra tumores albos (*white Schwellings*) ſ. hydropem articulorum.

Inflammationis fines dum perſequitur Noſter, cum Cl. CVLLEN *) ſcirrhum non ad eos refert, cuius theoria cernitur, vel in ſtimulo auctum motum vaſorum efficiente, vel vti CVLLEN **) quoque aſſerit, in ſpaſmo. Ad ſaturnina deinde venit Noſter remedia, quae contra GOVLARDVM in ſphacelo et gangraena atque in ſuppuratione expedienda diſſuadet, nec prorſus negat reſorptionem horum remediorum. Acetum ſolum in cataplaſmate externe applicatum hic Noſtro bonos edidit effectus. Topicas ſanguinis euacuationes per hirudines vel per cucurbitulas in inflammationibus partialibus Noſter laudat, pariter ac venaeſectiones ad febrem cum ſymptomatibus imminuendam, lenia laxantia cet. Sect. I.

IV. ANDR. IOH. RETZIVS experimenta de *acido vegetabili naturali* edit. In commentariis anni CIↃIↃCCLXX legitur eiuſdem tentamen de tartaro vini, eiusque tartari acido, quod ſcriptum hic continuat, etiam paragraphorum numeris inde ab LI continuatis. Nihil vero amplius de ipſo tartaro habet, ſed aliorum acidorum vegetabilium cum acido tartari ſimilitudinem eſt examinaturus. Vocat vero *naturale* acidum vegetabile, quod fermentationem artificialem non ſubiit, hoc autem *fermentatum* appellat. Vbi diſtinguit acidum, quod adfuit fermentationi, ab eo, quod ipſam paſſum eſt. Tartarus adeſt vino fermentanti, ſed alcali vnitum acido, actionem fermentationis in acidum illud impedit, ita manet nil mutatum. Reliqua pars acidi fermentatione naturam mutat, et artificiale, ſeu fermentatum euadit. Quod quomodo contingat, maxime obſcurum pro- p. 130.

nunciat labore chemico illuſtrandum, ſibi vero iam non tempus eſſe ad labores chemicos prolixiores.

p. 133. Primum igitur Tamarindos examinat, e quibus acidum obtinuit acido tartari per omnia ſimile, niſi quod multum materiae extractiuae admixtum habeat. Dederunt vero hi fructus ipſi ſal eſſentiale tartareum et acidum liberum, quod non ſatis alcalini habeant, vt acidum omne in ſal eſſentiale tartareum mutari poſſit. Succo citri recenter ex-
p. 137. preſſo, calefacto, oſtrea fracta indidit, alio tempore lapides cancrorum in fruſta comminutos, (nec teſtae, nec lapides in puluerem, quo certius ex fruſtis reſiduis intelligeretur, quid non ſolutum manſerit). Cum ſaturatus eſſet ſuccus, ſolutio eo vſque pellucida, turbida euaſit, ſolutum ad fundum deſcendit, ſelenitidem tartareum, ſaporis expertem, exhibens, in fluido, quod ſuperſtabat, non amplius ſolubilem, etiamſi calor adhiberetur, et aqua, quae dilueret. Vnde intelligitur, quid valeant in medicina lapides cancr. citrati, et conchae citratae. Rectius abſorbentibus his acetum additur, cum quo efficiunt ſal medium amarum, imperfectum, in aqua tamen ſolubile. Succum citri recenter expreſſum, co-
p. 138. ctum lithargyrio ſaturauit, ex ſolutione, cum refrigeſceret, puluis craſſior deſcendit prioribus ſimilis. Haec cum ſucco fructuum, quales boream verſus mittuntur, ante maturitatem forte decerpti. Igitur quid praeſtet maturorum fructuum ſuccus in ambiguo relinquit. Expreſſum, qui aduehitur, ſuccum, ſucco uvarum immaturarum adulteratum eſſe, ſuſpicione ſaltem ipſi non caret. Sali SEIGNETTE, aut
p. 139. tartaro tartariſato, in aqua ſolutis, ſolutionibus affuſis acido tamarindi, aut ſucco expreſſo citri, aut aceto deſtillato, ſemper cremorem tartari obtinuit.

tinuit. Salia media, quae tartarus ingreditur, nunquam cum acidis praeſcribenda eſſe hinc colligit. p. 140.

V. IOH. L. ODHELIVS de *Aſcaride lumbricoide.* Puella tres vermes eius generis per aluum excreuit, aquae frigidae ſtatim iniectos, quorum binis poſt aliquod tempus faſciculus*) ex corpore prodiit, corpori adhaerens, tertio nihil. Hoc adduci poſſe, credit Noſter, pro ſententia illorum, qui viuipara animalia exiſtimant. Vermes depicti ſiſtuntur. Remedium Noufferianum contra illos nil profuit. p. 140.

VI. *Morum rubram* Americae ſeptentrionalis deſcribit PETR. KALM. Cum interdum maſculi flores in alia arbore, feminei in alia reperiantur, haec diuerſitas deſcribitur. Baccae inter optima fructuum eſculentorum genera referuntur, quae comeſtae non noceant. Lignum vſibus fabrilibus adhibetur, tum propter coloris pulchritudinem, tum quod in aqua tardiſſime putreſcat. Bombycibus nutriendis, cum in illis regionibus eſſet Noſter circa annum CIↃIↃCCLXXX, rarius adhibebantur folia, etſi perquam idonea, cum agricultura incolae parum numeroſi vtilius occuparentur. p. 143. p. 150.

VII. *Lithranthraces* in *Anglia* quomodo *effodiantur* et e fodinis educantur, docet BEN. QUIST ANDERSSON. p. 163.

VIII. *Lignum quercinum, aedibus ſtruendis deſtinatum*, quale a putredine, fiſſuris, vermibus, quam diutiſſime liberum maneat, docet IOH. ACREL. Hyeme caeſum, decorticatum, in figuram lignorum priſmaticam formatum. Frigus fere aeque velociter exſiccat ac calor, neque fiſſuras producit. p. 173

*) v. paulo infra p. 75.

Trimestre tertium.

p. 177. I. TORBERN BERGMAN obseruationes ad *Alumen* pertinentes continuat, quas anno CIↃIↃCCLXVII commentariorum inchoauerat. Inprimis ostendit, de quo dubitauerant aliqui, acidum superfluum impedire crystallisationem aluminis. Id peragit recensendo experimenta instituta cum solutionibus aluminis, quibus oleum vitrioli non forte instillauerat. Eae quae plus acidi continebant, minus crystallorum praebuerunt. Argilla addita soluitur ab acido vitrioli, itaque non tantum impedimen-
p. 185. tum tollit, quod acidum crystallisationi aluminis obiicit, sed ipsa aluminis quantitatem auget, ferri vero multum separat, si alumen vitriolo ferri inquinatum sit.

p. 189. Denique ostendit: sal colcotharis nil aliud esse, praeter vitriolum phlogistico priuatum.

p. 190. II. PETR. IOH. BLADH in itinere maritimo ex Suecia in Chinam instituto *aquae marinae grauitatem specificam* plurimis in locis examinauit, tum cum proficisceretur, tum rediens. Magna copia est experimentorum sollicite institutorum, quae tabula prolixiore exhibet. Corollaria generalia inde deducuntur haec: Propter mutationem voluminis a calore natam non possunt inter se comparari grauitates specificae aquarum diuersimode calentium. Igitur, secundum legem experimentis nixam grauitates specificas aquarum, quas inuenit, reducit ad numeros, quos habiturae essent, si aqua quaelibet caluisset gradu 20 thermometri Suecici. Pro unitate huius grauitatis sumit niuis eodem gradu calentis. Aqua maris Atlantici et Aethiopici grauissima est prope Tropicos, exprimitur eius grauitas numeris, 1,0280 et 1,0283; inde a Tropicis, versus

ſus polos aeque ac verſus lineam aequinoctialem, decreſcit grauitas ſpecifica, leuiſſima aqua inter tropicos non multo grauior eſt illa, quae in oceano boreali reperitur. Illa inter tropicos eſt 1, 0262 vel 1, 0264; in mari glaciali latitud. grad. 74; ex IRVINI experimentis aquae grauitatem computat Noſter 1, 0259 et 1, 0260. Prope aequinoctialem ait leuiorem aquam reddi eam ob cauſſam, quod venti conſtanter vapores omnes ex mari intra zonam torridam aſcendentes, eo vehant, oſtenditque grauitati huic ſpecificae cum aliis ventorum conditionibus conuenire. Alia multa habet hanc hydrographiae partem illuſtrantia.

III. *Oculorum morbum, ſcabie inſita, ſanatum* narrat IOH. GVST. HALLMANN, M.D. Puellae duodecim annorum palpebrae erant rubentes, tumentes, prurientes, vlceratae, pure viſcido acri fluentes, inflammatione occupatae, pariter atque palpebrae inferiores, tunicaque coniunctiua, quae inflammatio cum doloribus oculorum, et materiei vlceroſae effluxu, creſcebat et decreſcebat. Viſu non laborabat, niſi quod muſcarum et nubecularum ſpecies interdum obuolitabant; reliquo corpore bene valebat, etiam cibum appetebat, noctu quieſcebat, niſi cum oculorum dolores impedirent. p. 210.

Morbi originem repetebat a variolis male curatis. Fruſtra tentatis quamplurimis remediis, in eo erat Noſter, vt ad fonticulum, aut ſetaceum confugeret, cum doceretur, puellam infantem ſcabie in pedibus laboraſſe, quae poſt variolas omnino ceſſauit. Suſpicatur igitur, relicta coniunctim ſcabiei et variolarum miaſmata oculos occupaſſe, ſcabiem rurſus excitandam credidit. Igitur balneis tepidis, et cutem, quae ſicca erat, emolliuit, et corpus recipiendo contagio praeparauit. Tandem balneo exiens,

pedibus bene fricatis, induit tibialia lanea, quae per aliquot dies puer ſcabioſus portauerat, pure et cruſtis ſcabioſis foede inquinata. Illa continuo portauit tres dies et noctes. Queſta deinde de doloribus artuum et capitis, accedente febri, qualis morbillos praecedit. Potus loco adhibitum infuſum ſambuci, conatus vomendi iuuati tartaro emetico et decocto hordei, poſtquam pedes inflammati rubuiſſent, ſcabies erupit, quae cum vix octo dies duraſſet, omnia haec ſymptomata a Noſtro ſupra communicata ſubinde ceſſarunt. Scabiei eruptioni promouendae adhibita ſunt balnea tepida, infuſum ligni Guaiaci, oculorum balnea ex aqua frigida, cet. Elapſis ſex ſeptimanis nihil amplius de oculis querebatur, niſi de palpebrarum debilitate, qua fiebat, vt facile collaberentur, quod cataplaſmatibus calidis emollientibus tribuit. Crines etiam ab oculis feceſſerant, vnde lumen diurnum aegre ferebat. Cum nihil ſcabiei amplius erumperet, contra quotidie imminueretur, ne radices profundius ageret hic morbus, ſepoſitis remediis humores depurantibus et ſcabiei eruptionem promouentibus purgantia praebuit. Siccata ſcabies euanuit, redierunt vires palpebris, totique corpori. Anno ſequenti aquas minerales potauit.

p. 214. IV. IOH. LAVR. ODHELIVS addit, iuuenem oculis laborantem plurimis remediis, etiam mercurialibus, fruſtra tentatis, ſanari non potuiſſe, niſi poſtquam ſcabies eruperit.

p. 215. V. *Parabolae normalem ex dato puncto* ducere docet IOH. HENR. LINDQVIST.

p. 216. VI. De *cataleptico* refert ARVID FAXE, M. D. Homo viginti et ſex annorum morbo hoc iam per nouem

nouem annorum ſpatium laborauerat. Poterat progredi, loqui, audire, videre, ſed quam primum conſiſtebat, ceſſabat motus omnis, ſenſus omnis, ſiue externus, ſiue internus, oculi, manus, pedes in illo ſitu manebant, in quo erant cum primum conſiſteret, pulſus tardiſſimus. Percuſſus vt corpori ſuperpondium accederet, et dextro crure verſus corpus adducto, progredi incipiebat et ſenſus recuperabat. Duci poterat per viam ſatis longam, ſed ſibi relictus, rurſus ſtabat, ſemper cum vehementia quadam ſuſcitandus. Medicus humores viſcidos, iudicabat, efficere, vt rigerent fibrae muſculares, et torperent ſenſus. Igitur iuſſit quouis veſpere ſumere cochlear dimidium cremoris tartari, aluum laxauit, nec non potare fecit aquas minerales Runnaburgenſes, ad quas venerat. Septimana quarta conſiſtere, loqui poterat, manus et oculos mouere, minime vero progredi. Suaſit igitur aegro medicus, vt inflexus genu dextrum manu prehenderet, verſus corpus eleuaret, et linquens illud cum corpore ſequeretur; ita didicit corpus ad progrediendum incitare. Plura adhuc ſperat, aquis anno proximo adhibendis.

VII. ELIAS LAGVS *ſtructuras* deſcribit, quae ad *caſtores capiendos* in fluuiis, ante oſtia habitaculorum animalium ponuntur, more quidem in parochia Lapponica *Kuſamo* recepto. p. 218.

VIII. *De plantis, quibus veſcuntur, aut quas intactas relinquunt ſues* diſſerit PETRVS HOLMBERGER. Experimenta ipſe inſtituit. Primo animalia recenſet. Libenter veſcuntur, *muribus* agreſti et muſculo, *grillis*, verruciuoro, ſtridulo, biguttulo, *limace atro*. Sed variorum animalium mortuorum carnem appetunt, a qua vero eſca arcendos ſuadet, p. 221.

det, ne pullis gallinarum, imo porcellis deuorandis adſueſcant. Quas partes plantarum, adultas aut magis teneras, vehementer appetant, famelicae comedant, omnino negligant, ſignis commodis diſtinguit, in nominandis plantis, quibuſcum tentamina ſuſcepit, ordinem ſyſtematis Linneani ſequutus.

p. 234. *Pan Suecicus* plantas 72 numerauerat, quae ſemper a ſuibus ſolent comedi, 12 quae interdum; Noſter his 73 addit, quae ſemper praeberi ſuibus poſſunt, 13 quae circumſtantiis vrgentibus.

p. 234. IX. *De apibus* DAN. MAGN. ALGREN obſeruationes edit. Reginae apum punƈturam ſenſit, aculeum in vulnere remanſiſſe non vidit, mortua tamen eſt paulo poſt regina. Apes volantes ferre reginam vidit, forte quod alae animalis, alis vulgarium non maiores, corpus maius non commode ſuſtineant.

p. 241. X. *De fodinis lithanthracum Anglicis* tradit QVIST ANDERSSON. De aëre inflammabili in fodinis reperiundo; item alio ſuffocante.

p. 250. XI. *Rademachia* nouum genus exaƈtius deſcribit CAR. PETR. THVNBERG, quam faƈtum eſt a RVMPHIO. Arbor eſt RVMPHII *Soceus* Herb. Amboin. 7. 1. p. 110. 112. 114. tab. 32. 33. 34. item p. 104. 107. tab. 30. 31. Locus in ſyſtemate nat. eſt Monoecia Monandria, poſt Ceratocarpum. Characƈter generis: ♂ Cal. o. Corolla 2 petala, ♀ Cal. o. Corolla o. ſtyl. 1. Pomum multiloculare, ſpecies plures, fruƈtus eſculenti. RADEMACHER, *Baillou* vrbis Batauiae, inſignis botanices cultor et promotor, plantam hanc, vt alias, examinandi occaſionem Noſtro praebuit, vnde nomen plantae memoriae eius ſeruandae datum eſt.

Tri-

Trimeſtre quartum.

I. PETR. ION. BERGIVS *vegetabilia Suecica* re- p. 257.
cenſet, quae, *cerealibus exceptis, vinum aduſtum* prae-
beant. Illorum claſſes duas conſtituit, quae *fari-*
naceas partes contineant et quae *ſaccharo* ſimilem
dulcedinem habeant. Quorum recenſum non eo
ſaltem, quem dixit, ſcopo vtilem aſſerit, ſed et eam
ob cauſſam, quod, quae plantae his dotibus praeditae
ſint, eae hominibus etiam nutriendis in annonae ca-
ritate conducunt. Itaque plures plantas nominat,
e quibus fermentatione ſpirituoſa et deſtillatione
ſpiritus obtineatur, ex aliis eductum ſpiritum narrat,
ex aliis educi poſſe propter dictas plantarum natu-
ras aſſerit. Quae cum omnia nequeamus recen-
ſere, narrabimus ſaltem, quae de ſpiritu ex baccis
iuniperi obtinendo habet. Extrahendae ſunt bac- p. 273.
cae in aqua tepida, ea cautione contuſae, ne ſemina
comminuantur, ita habetur materies fermentationi
ſpirituoſae apta, quae ſeiuncta eſt a partibus ſemi-
num oleoſis, et ſpiritus boni ſaporis obtinetur. Vul-
garis methodus oleum ſeminum admiſcet, vnde
ingratus ſapor et calidus ſpiritus.

II. *In curculionem granarium* inquirit IO. CAR. p. 274.
WILKE. Eſt curculio *Sanguineus* Faun. Su. ed. I.
n. 471. Varia inprimis ad oeconomiam animalis
pertinentia recenſentur. Frumento ab inſectis
his liberando haec praeſcribit Noſter: immittantur
grana aquae, ita animalia, laruae ipſorum et oua,
granis excauatis incluſa ſupernatabunt, intacta gra-
na, vt denſiora, merguntur. Poſſunt igitur, quae foe-
data ſunt, ab inſectis ſeparari, optime ſi deferantur
ab aqua ſupra margines vaſis, per canalem ſu-
perne applicatum effluente.

p. 293. III. CLAVD. BJERKANDER, Comminiſter loci Gothene prope Skara, *auium*, quas *migrantes* vulgo vocant (*Zugvögel*), primas, aut vltimas apparitiones pluribus annis obſeruatas edit, et quae inde poſſint ad aëris temperiem cognoſcendam colligi, recenſet.

p. 300. IV. *Sarcophyte ſanguinea* deſcribitur ab ANDREA SPARRMANN. Trecentis circiter horis itineris a Promontorio Bonae Spei in interiore Africae auſtralis parte creſcit *Mimoſa flore luteo*, inter hanc reperitur *Sacophyte* planta paraſitica, radicibus mimoſae, vt videtur, adhaerens. Flores maſculini, calice deſtituti, petalis tribus, aut quatuor conuexis, verſus exteriora excauatis, interius carnoſis, ſtamina 3, aut ſaepius 4, filamentis craſſis baſi petalorum adhaerentibus, breuioribus quam antherae albae. Femineos flores non vidit, cum Ianuario menſe, quo plantam reperit, tempus florendi praeteriiſſet. Caules ex pluribus corporibus pyramidiformibus compoſiti irregulares. Meſſa cum ſecatur, paulo durior cucurbita, coloris rubei, ſed non tingentis. Sapor non adſtringens. Siccata planta et rurſus in aqua macerata, aquam colore fuſco rubeſcente tingit, linteum vero flaueo.

p. 302. V. PETR. OSBEK *de inſectis radices cerealium arrodentibus.* Parum adhuc naſci profeſſus eſt LINNEVS Com. Ac. Su. CIↃIↃCCL. p. 180. (p. 186. verſionis germanicae). Vnum illorum Noſter habet pro larua *ſcarabaei ſolſtitialis.* Alterum deſcribit et delineat, neſcius in quale poſt metamorphoſin ſuam euadat.

VI.

VI. BEN. QVIST ANDERSSON monſtrat modum, quo *lithanthraces* e fodinis auehantur et quo pretio vendantur. p. 305.

VII. BLOM *de Aſcaride Lumbricoide* edit obſeruationes. In verme a puero excreto vidit faſciculum non diſſimilem illi, de quo loquitur trimeſtris ſecundi diſſ. V. Alium obtinuit, abſque faſciculo, cuius interiora examinauit, et colligit, faſciculos obſeruatos non eſſe vermium fetus; nam in tribus exemplaribus, in quibus obſeruati ſunt, in quouis alio loco ex corpore vermes prodierunt. Quem ipſe examinauit, is non niſi membranam vacuam exhibuit. Igitur inteſtina eſſe ſuſpicatur forte anthelminticorum vi ex vermis corpore expreſſa. p. 313.

VIII. ODHELIVS *addit* quaeſtionis in modum a ſe propoſitam eſſe ſententiam de fetubus vermium. Suos ſtatim miſſos eſſe PALLAS, qui faſciculos pro vaſibus ſpermaticis haberi poſſe ſcripſerit. p. 318.

IX. HENR. NICANDER, Secundus Secretarius Soc. R. Sc. examinat *figuram auris* (Streichbret) aratri. p. 320.

X. PETR. IOH. BLADH examinauit *calorem aquae marinae* in Sinu Bothnico et vicinia. p. 324.

XI. CAR. WILH. SCHEELE *chymice examinauit calculos veſicae*. Eorum habuit plures, ex variis ſubiectis vtcunque figura ſuperficie laeui, aut ſcabra, cet. differunt, conſtituentes omnium partes easdem reperit. Itaque in puluerem comminutos cum variis menſtruis tractauit, et haec ex iis, quae expertus eſt, colligit. Nec gypſum ineſſe calculo, p. 327. p. 330.

nec

nec calcem, consistere illum ex acido oleoso, sicco volatili, cui gelatinosi quidpiam additum sit. Ita ob acidum praedominans in aquae purae magna copia leui coctione soluitur, grana octo calculi in puluerem subtilem triti, in aquae vnciis quinque. In vrina omni etiam infantum, solutam reperit calculi materiem, quod vrinae magna copia, euaporatione diminuta, ostendit, quatuor mensuris ad duas vncias redactis, tunc refrigeratum residuum dimittit puluerem subtilem omnino calculo similem. Idem etiam contigit vrina in vase clauso seruata, quae simile sedimentum deponit. Igitur eius sedimenti soluendi menstruum non diuersum est ab ipsa vri-
p. 332. na. Omnis vero vrina continet terram animalem, siue calcem acido phosphori vnitam. Quam, vna cum acido concreto, seu calculi materia addendam monet vrinae partibus constituentibus huc vsque cognitis. Aegrorum vrina plus acidi et terrae animalis continet, quam sanorum.

p. 333. XII. *Calculos vesicae et renum* examinasse se refert TORBERN BERGMAN ignarum, quod iidem SCHEELIVM occupabant. Suis experimentis plerumque confirmari, quae SCHEELIVS edidit. Quaedam ipsi aliter euenisse, forte quod non omnes calculi omnino similes sint. Omnem calculi materiem sibi non solutam esse neque in aqua destillata, neque in acido nitri. Residuum optime agnosci, si adhibeatur cucurbita exigua, vt, quod supereſt, in vnum locum colligatur.

p. 338. XIII. GVST. HEDIN ex parochia *Kraeklinge*, cui praeest, refert, qua aetate ibi tum viri, tum feminae, prima vice matrimonium ineant, quot liberos mater quaeuis pariat, numeris his inter se comparatis.

XIV.

XIV. C. B. SKYTTE *farinam et pultem ex ſolano tuberoſo* confecta diu ſeruari poſſe, experimentis trium annorum oſtendit. p. 342.

X.

Herrn PETER IOSEPH MACQUERS, *Doktors der Arzneygelahrheit von der Pariſer Fakultät, Mitglieds der königl. franzöſiſchen Akademie der Wiſſenſchaften und der königl. Geſellſchaft der Arzneygelahrheit, Profeſſors der Chemie, u ſ. w. Chemiſches Wörterbuch, oder Allgemeine Begriffe der Chemie, nach alphabetiſcher Ordnung. Aus dem Franzöſiſchen nach der zweyten Ausgabe überſezt, und mit Anmerkungen und Zuſätzen vermehrt von D.* IOHANN GOTTFRIED LEONHARDI. *Erſter Theil, von A bis Erh. Leipzig bey M. G. Weidmanns Erben und Reich,* 1781. 2 *Alphab.* 3 *Bogen,* 8.

i. e.

PETRI IOSEPHI MACQUERI Lexicon chemicum, ex Francogallico in Germanicum ſermonem translatum et annotationibus atque ſupplementis auctum a IOH. GOTFR. LEONHARDO. Pars I.

Quanquam inter alias eam nos quoque olim legem nobis ſcripſiſſe conſtat, qua in commentariorum noſtrorum vſus genuinas potiſſimum, quas vocant, nouorum librorum editiones perlegere, de iisque relationes dare, nec vnquam verſionibus in hunc ſcopum vti, nobis propoſuimus; haud raro tamen nos hactenus ſenſimus veluti coactos, vt ab hac conſuetudine recederemus, vel quod principe editione non eſſemus potiti, vel quod verſionem

nem ipsa genuina editione praestantiorem deprehendissemus.

Hinc etiam in recensendo chemico MACQUERI lexico nobis etiam recedendum a consueta lege putauimus, neque de Francogallica editione *), sed potius de Germanica eius versione, quae multis sit supplementis illa auctior, referre apud animum constituimus.

Etenim addidit profecto LEONHARDVS, praeter POERNERI, primae Germanicae versionis **) editoris, et KEIRII, Anglici interpretis huius libri, annotationes, non solum permulta, eaque textui sub notarum forma subiecta supplementa, sed integras etiam immiscuit super variis argumentis disputationes, in quibus chemiae quaedam capita a MACQUERO neglecta, quae nuper demum accuratis virorum doctorum experimentis et obseruationibus sint illustrata, sibi ita explicanda sumsit, vt, quae in MACQUERI libro aegre desiderarentur, adderet, quae tentaminibus recentiorum chemicorum essent contraria, emendaret, hacque ratione perutile hoc opus magis absolutum redderet atque perfectum.

Iam

*) Dictionaire de Chymie, contenant la Théorie & la Pratique de cette science, son application à la physique, à l'histoire naturelle, à la medecine & aux arts dépendans de la Chymie, par Mr. MACQUER, Docteur en Medecine de la Faculté de Paris, &c. Seconde Edition, revue & considerablement augmenté, à Paris, chés I. FR. DIDOT, le jeune, Tom. I. CIↃIↃCCLXXVIII. 8.

**) *Allgemeine Begriffe der Chemie nach alphabetischer Ordnung, aus dem Französischen übersezt und mit Anmerkungen vermehrt von D.* KARL WILHELM PÖRNER, *Leipzig*, 1768. 3 *Theile*, 8.

Iam vero, quanquam ex his, quae ſumus praefati, ſatis patet, quale nos iudicium de hoc libro ferendum cenſeamus, et quam dignum illum exiſtimemus, qui omnibus chemiae cultoribus ſtudioſe commendetur; ampla tamen oratione hoc ipſum iudicium quo minus confirmemus, inſtituti noſtri ratione impedimur. Hinc optime in illo recenſendo nos verſaturos putamus, ſi praecipua quaedam MACQUERI placita enarremus, ſimulque ad ſupplementa Germanicae verſioni addita reſpiciamus, vt, quae Cl. LEONHARDI in hunc librum ſint merita, quodammodo pateat.

Ac primum quidem praemiſit MACQUERUS ipſi lexico breuem *de ortu et progreſſu chemiae* diſputationem, in qua cum antiquiſſimos, tum nuperos chemicos laudat, et, quid eorum quisque ad illuſtrandam, amplificandamque chemiam contulerit, refert; deinde vero ad ipſas chemiae voces mox breuiori, mox prolixiori ſermone, prout res poſtulabat, explicandas acceſſit, et cum ſuis, tum aliorum tentaminibus atque obſeruatis ſua placita ſtabiliuit. Dabimus nos huius rei quaedam exempla. P. XVII —XLII.

MEYERI *de pingui acido* ſententiae etſi MACQUERUS non fauet, profitetur tamen ingenue, librum ſuper hac materie ab illo ſcriptum *) lectu eſſe digniſſimum, in quo accuratae et profundae eruditionis multa inſint teſtimonia. Argumenta ipſa, quibus fuit Noſter prohibitus, quo minus illis aſſentiretur, qui cum MEYERO hoc acidum ignis eſſe ſubolem, illudque corpora reddere cauſtica, ſaporem eorundem efficere, cet. putant, in peculiari tractatione *ſuper cauſtica vi* enarrata deprehendimus, p. 7. p. 38.

*) vid. Comment. noſtr. Vol. XII. P. III. p. 468.

mus, eaque ſunt profecto diluendis aduerſariorum dubiis admodum apta. Redeunt autem, quae erudite diſputauit, eo, vt, quamuis concedat, ignem valde cauſticum corpus eſſe, hoc tamen neget, huic ſoli veluti propriam hanc eſſe virtutem, eumque omnis cauſticae vis, qua alia corpora conſpicua ſunt, ſaporisque omnis cauſam ſiſtere. Colligit proinde potius ex permultis, quae recenſuit, obſeruatis, cauſticam ſic dictam virtutem nihil eſſe, niſi eam vim, qua partes corporis hac proprietate inſignis cum aliorum corporum partibus coniunctionem inire annituntur; hinc, pergit, omne corpus, cuius conſtituentes partes ea vi, qua in vniverſum ad coniunctionem impelluntur, inter ſe cohaerent, nec cauſtica virtute, nec ſapore, nec proprietate corpora alia ſoluendi conſpicuum eſt; illa vero materies, cuius minimae et veluti elementales partes ſibi quidem valde proximae, attamen propter peculiarem aliquam cauſam ita poſitae ſunt, vt cohaerere inter ſe, et vere coniunctum corpus conſtituere haud poſſint, atque adeo virtute cum alio ſe corpore coniungendi, quae ipſis propria eſt, adhuc polleant, vt breues ſimus, talis materies, qualis ignis vere ſic dictus eſſe videtur, hanc ipſam ob rationem cauſtica vi, eaque maxima, hinc et ſapore, et proprietate corpora alia ſoluendi, gaudet. Conferre ergo ignem, vt alia corpora euadere cauſtica poſſint, Noſter fatetur, ſed eum tanquam *cauſam ſine qua non*, vt cum ſcholis loquamur, conſiderandum eſſe, cuius vi partes corporum ita mobiles reddantur, vt non poſſint non cauſticam ſuam virtutem exſerere, cet.

p. 9. p. 18. *Aether vitrioli* rite paratus, Auctore Noſtro, a rectificatiſſimo vini ſpiritu valde differt, quod maiorem ille acidi, et minorem aquae portionem habeat admix-

admixtam, ſimulque acidi, quod ad eum parandum adhibebatur, quicquam contineat; nam quiuis aethereus liquor peculiari odore vtitur, et vitriolicus, aliquoties ſuper alcalinum fixum ſal deſtillatus, aliam ſalinam materiem relinquit, quam nitroſus, eadem ratione tractatus. Hinc habendum eſſe aetherem patet, pro fluido ex acido quodam et inflammabilibus vini ſpiritus partibus mixto, quod, POERNERO iudice, comparari cum ſpiritu rectore plantarum odoriferarum poſſit. Ceterum quibus forte haec argumenta minus idonea videntur, iis nuper CRELLIVM, Helmſtadienſem chemicum, omnem dubitandi materiem ademiſſe, LEONHARDVS monet; namque ita felici eſſe CRELLIO contigit, vt naphthas quaſi decomponeret, acidosque liquores, quorum ope paratae illae eſſent, per alia concentrata acida eodem modo, quo ex ſalibus neutrius generis illi ſeparantur, expelleret, hacque ratione aliam naphtham in aliam ex parte transmutaret *). KEIRIVS aetherem vitrioli, praeter alias proprietates, ea etiam vi gaudere expertus eſt, qua arſenici regulum ex regia aqua et argentum ex nitri ſpiritu praecipitet. p. 19. p. 20.

Commixtione et deſtillatione portionum aequalium aceti ſic dicti radicalis, floribus viridis aeris deſtillatione expulſi, et rectificatiſſimi vini ſpiritus *acetoſus aether* obtinetur, cuius quantitas maior eſt ea, quae ex aequali copia acidi vitrioli et ſpiritus ardentis deſtillatione ſeparatur; hinc patet, vini acetum progignendo aetheri aptius eſſe, quam vitrioli p. 22.

*) Conf. *L.* CRELL'S *chemiſches Journal für die Freunde der Naturlehre, der Arzneygelahrtheit, u ſ. w. zweyter Theil, Lemgo*, 1779. *S.* 62.

trioli oleum. Debetne, quaerit MACQUERUS, hoc diſcrimen vini ſpiritui adſcribi, qui, vt multi chemici ſuſpicati ſunt, pars eſt acetum conſtituens, et fortaſſis proxime ad aetheris naturam accedit? Haec autem, quam laudauimus, acetoſi aetheris
p. 21. parandi ratio non vnica eſt; etenim monuit ad hunc locum LEONHARDVS, aliam SPIELMANNVM, aliam, eamque reliquis praeſtantiorem, nuper WESTENDORFIVM *) deſcripſiſſe, atque hunc etiam de proprietatibus aetheris egregie eſſe commentatum. Ceterum quod ad medicatas huius ſpiritus, praeſertim olei vitrioli auxilio parati, vires attinet, multi, eodem, ſi ceruici, aut temporibus fuerit applicatus, cephalalgiam et hemicraniam egregie et tempore admodum breui ſublatas eſſe, teſtati ſunt; at vero MACQVERVS capitis dolores haud vnquam vidit hoc medicamine mitigatos, etſi ſaepenumero, et aucta ſucceſſiue quandoque doſi eo vſus eſt; nihilo tamen minus mederi huiusmodi affectibus aetherem interdum poſſe concedit, et cauſam inefficaciae, quam ipſe ſit expertus, non in aethere, ſed fortaſſis in temperamento ſuo fuiſſe poſitam ſuſpicatur.

p. 109. *Alumen Romanum*, rubro colore inſigne, communi multo eſſe purius, Noſter ſua experientia fuit edoctus: neque enim metallicas, nec vitriolicas in eo partes detexit; hinc in tinctoria arte vtiliter adhibetur, iisque potiſſimum coloribus extrahendis,

*) De WESTENDORFII methodo nuper retulimus, conf. comment. noſtr. Vol. XXI. P. II. p. 219. — SPIELMANNVS vtitur anaticis portionibus aceti concentrati, terra foliata tartari vitrioli olei ope expulſi, et alcoholis vini, vid. EIVSD. Inſtitut. chemiae praelectionibus Academicis accommodatae. Edit. altera. Argentorati. CIↃIↃCCLXVI. p. 193.

hendis, quos vel minima vitrioli martialis portio eſſet valde mutatura, admodum eſt idoneum, quod elegantiae eorundem haud vlla obſit ratione.

Illud *aluminis* genus, quod cognomen a GRAVENHORSTIIS, fratribus, habet, roſeo quaſi gaudet colore, illudque Rōmano minus purum eſt. Nam conſtitit experimentis ab ERXLEBENIO et BERGMANNO cum Grauenhorſtiano alumine inſtitutis, quae LEONHARDVS in tractatione ſuper hoc ſale inſerta recenſuit, illud, praeter partes ad alumen conficiendum neceſſarias, et alcali volatile et cobaldi calcem, quae ſubrubrum eius colorem efficiat, continere. Ad ipſam parandi eius rationem quod ſpectat, BERGMANNVS eam ita abſolui cenſet, vt cobaldum calcinatum lixiuio aluminis admiſceatur, cuius liberum acidum hanc metallicam partem ſoluat et deinde cryſtallos conſtituat. In tinctoria arte adhiberi commode poteſt, etenim lana colore, qui hoc alumine eſt extractus, tincta aëris vi diu reſiſtit. p. 114.

De *alcalinorum ſalium* ortu etſi nuper ita diſputatum eſt a variis chemiae cultoribus, vt poſſit omnino ſolutum hoc problema videri, MACQVERVS tamen locum adhuc ſupereſſe arbitratur quaeſtioni, vtrum fixum vegetabile alcali in plantis, earumque partibus iam formatum extiterit antea, quam in cineres conuerterentur, fueritque adeo combuſtione ab iis corporibus, quibuscum commixtum erat, ſeparatum; an potius vegetabilia partes ad illud progignendum idoneas tantum continuerint, ex quibus, ignis vi, alcalinum hoc ſal fuerit productum? Et profecto, addit, argumenta ſunt, quibus vtraque ſententia probabilis reddatur, vt omnino ſtatui debeat, partem aliam huius ſalis, combuſtione et incineratione e vegetabilibus pro- p. 147.

ducti, iam formatam ipsis infuisse, aliam vero partem ignis demum vi fuisse progenitam. Iam vero, etsi ea ipsa argumenta, quibus hoc posterius placitum inniti Cl. Auctor arbitratur, verosimilitudine omni haud destituta ipsi visa sunt, fidendum tamen illis, quemadmodum etiam LEONHARDVS ad hunc locum monuit, non est; nam MARGGRAFII *) et potissimum WIEGLEBII **) tentaminibus constitit, arte produci fixum alcali posse nullum, quod illis corporibus, ex quibus ignis vi producitur, iam formatum infuerit. Ceterum varias alcalinorum salium proprietates accurate Cl. Auctor expendit, eorumque descripsit aduersus alia corpora relationes.

p. 179. MACQVERI *de formicarum acido* dissertationem, in qua desiderarentur ARVIDSONI, nuperi de hac re scriptoris ***), accuratae obseruationes, permultis LEONHARDVS supplementis auxit, vt, quae antea valde imperfecta esset, iam perfecta, absolutaque censeri debeat. Neque enim solum praecepta in acidi huius praeparatione obseruanda Editor cognita reddidit, sed proprietates omnes, relationesque eius aduersus alcalina salia, terras varias, metalla, cet. studiose exposuit. Largitur autem quaeuis formicarum libra destillatione quicquam empyreumatici olei, et circiter vncias septem, drachmasque sex acidi spiritus, qui deinde, in chemicos vsus, repetita rectificatione, in oeconomicos, circumspecta, iterataque decoctione ab oleosis partibus, quibus ad putredinem aptus redditur, separari debet. Empyreu-

*) vid. Comment. nostr. Vol. XIX. P. I. p. 57.
**) ibid. Vol. XXI. P. II. p. 223.
***) vid. BALDINGERI *neues Magazin für Aerzte, 2 Band, 2 Stück.*

pyreumaticum odorem hoc acidum ſpónte amittit, ſi libero aëri exponitur, isque etiam prorſus poteſt euitari, ſi frigore redditur concentratum. Quod ad proprietates huius ſpiritus attinet, gaudet ille, ſi rite fuerit praeparatus, ſapore acri et, niſi aqua diluatur, vrente, odore itidem acri, neque ingrato. Cum phlogiſto ſulphur conſtituit nullum, inflammabiles tamen vapores emittit, ſi zincum, aut ferrum in eo ſoluitur. Olea difficulter in ſe recipit, nec cum vitriolica naphtha init coniunctionem, cet. Parari vero vtique ex concentrato hoc acido cum p. 181. rectificatiſſimo vini ſpiritu mixto, deſtillatione ex cucurbita, *formicarum aether* poteſt, qui alba flamma deflagrat, nec quicquam fuliginis, aut alius materiei relinquit.

Inter experimenta cum *ammoniaco ſale* inſtituta p. 193. hoc animaduerti phaenomenon ſingulare conſtat, vt, ſi terra calcarea, eaque haud calcinata, medium hoc ſal decomponatur, volatilis alcali cryſtalliſati, neque cauſtici, copia obtineatur talis, quae valde ſuperet illam, qua ſaturatum ſalis acidum antea fuerit; nam libra ammoniaci ſalis octo fere vncias volatilis alcali continet, et nihilo tamen minus quatuordecim ad minimum vncias ſicci volatilis ſalis largitur, ſi deſcripta methodo haec quantitas fuerit tractata. Iam, quae ſit huius euentus, quem produci a calcarea terra ſimul cum alcalino ſale ſublimata DUHAMELIVS exiſtimauit, vera cauſa, Noſter inquirit, eamque repetendam a fixo aëre cenſet; illud quippe, inquit, gas, quo creta, aliaeque calcareae terrae refertae ſunt, eo tempore, quo cum ſalis acido coniunctionem terra init, hanc deſerit et volatili alcali vnitur, quod inde cauſtica vi ſpoliatur et ſimul facultatem obtinet, cryſtallinam formam aſſumendi.

p. 199. Volatile alcali ex ammoniaco ſale, praeter calcareas terras et ſalia alcalina fixa, metalla etiam varia, velut argentum, cuprum, ferrum, ſtannum, plumbum, hydrargyrum, zincum, cet. expellunt, quippe quae, ſi rite cum ammoniaco ſale mixta et deinde deſtillationi expoſita fuerint, omnino partem volatilis alcali ab acido ſeparant. Quae, peracta hac ſublimatione, remanet materies, ex metallo, acido ſalis vnito, conſtat, eaque, prout metallum aliud fuerit, aliis proprietatibus inſignis eſt. Ceterum ſi exigua cupri, ferri et plurium aliorum metallorum portio, quae decomponendo ammoniaco ſali haud ſufficiat, cum eo commiſcetur, et deinde ſublimatio inſtituitur, flores ex ammoniaco ſale et quadam adhibiti metalli parte compoſitos obtineri conſtat, in quibus tamen medium ſal aliqua ex parte omnino decompoſitum eſt; nam accuratis tentaminibus LEONHARDVS fuit edoctus, metallicam ſubſtantiam, eamque ſalis acido ſolutam, his floribus immixtam eſſe.

p. 213. De *arſenico*, eiusque *regulo*, *butyro*, *hepate*, cet. ita diſputauit Auctor, vt omnino multa LEONHARDVS reperiret, quae Macquerianis placitis adderet.

p. 246. Potiſſimum autem *acidum arſenici* conſiderandum in peculiari tractatione ſibi Editor ſumſit, in qua cum veterum, tum recentiorum chemicorum, velut BERGMANNI et SCHEELII ſuper eo labores, eorumque eventus accurate enarrati ſunt. Etſi vero lubenter fatemur, praeclara eſſe, quae LEONHARDVS ſuper praeparationibus huius acidi variis dedit, praecepta, iis tamen recenſendis non magis, ac proprietatibus ipſius acidi definiendis immorabimur, qui iam alio loco de BERGMANNI *) et

*) vid. comm. noſtr. Vol. XXII. P. III. p. 446.

et SCHEELII *) ſuper hac re obſeruationibus retulerimus.

Benzoës flores parandi methodum Cl. BAVME', p. 279.
quae duabus patinis abſoluitur, in quarum altera igni exponitur reſina, in altera flores colliguntur, praeferendam Auctor communi cenſet, quod, ſi chartacei coni adhibentur, multi, eo iudice a charta flores abſorbeantur. Sed monuit iam olim, ſua experientia niſus, ad hunc locum POERNERVS, methodum, quam MACQVERVS reiecit, valde praeſtare Baumeana, et verendum nulla omnino eſſe ratione, ne charta, ſi modo ſcriptoria adhibita fuerit, multos in ſe flores recipiat. Ceterum ſublimatae hoc modo cryſtalli dulci et aromatico ſapore vtuntur, eaeque corpora in alcalinis liquoribus ſoluta, e. g. antimonii ſulphur, deiiciunt, atque cum alcalinis, non cauſticis ſalibus, efferueſcentia vehementi praegreſſa, media, eaque ad cryſtalliſationem apta, et ſubdulci ſapore conſpicua ſalia progignunt **).

Coeruleum Berolinenſe Noſter ex ſuorum tenta- p. 286.
minum, quae olim inſtituit ***), euentibus colligit, eſſe ferrum nimia inflammabilis materiei portione veluti ſuperſaturatum, quam alcali phlogiſto abundans, quo praecipitatio peragitur, ſuppeditat; nam repetitis obſeruationibus fuit edoctus, ferrum ex ſolutione in acidis liquoribus phlogiſticati huiusmodi alcali ope praecipitatum tanto magis eſſe coe-

 ruleum

*) ibid. Vol. XXIV. P. IV. p. 590.

**) Qua SCHEELIVS vtatur in praeparandis benzoës floribus ratione, in Comment. noſtr. Vol. XXIV. P. IV. p. 585. expoſitum eſt.

***) vid. Comment. noſtr. Vol. VI. P. IV. p. 654.

ruleum, aut viride, quanto maiori inflammabilis materiei copia refertum alcalinum ſal fuit, illiusque partem aliam ab affuſis acidis ſolui, aliam, eamque potiſſimum coeruleam, relinqui omnino intactam; hinc, pergit Auctor, patet, coeruleum Berolinenſe, ferream eſſe calcem cum aliena quadam ſubſtantia coniunctam, quae peculiarem ipſi colorem tribuit, eamque ita omnino mutat, vt nec in acidis ſolui, nec a magnete attrahi amplius poſſit. BERGMANNVS hac in re a MACQVERO recedit, variisque argumentis, iisque, LEONHARDO iudice, ad perſuadendum idoneis, demonſtrare anniſus eſt, eam lixiuii ſanguinis partem, quae ferreae calci vnitur, hancque coeruleam reddit, peculiare fortaſſis eſſe animale acidum, neque amplius alcalina natura gaudere.

p. 294. Deſtillatione ex coerulea hac calce MACQVERVS partim fluidum, partim ſiccum volatile alcali et oleoſum liquorem, eumque animali cuidam oleo ſimilem, obtinuit, quem ab oleoſa ſanguinis parte, calcinatione in carbonem non penitus mutata, originem traxiſſe, primum arbitrabatur; at enim vero, cum Cl. BAVMÉ hoc ipſum oleum in recipiens vas prodire vidiſſet, quamquam coeruleum Berolinenſe, quod deſtillationi expoſuerat, cum alcalino, eoque carbonibus phlogiſticato reddito, ſale paratum erat, coniici, inquit Noſter, omnino debet, vel carbones rite confectos omni oleo haud eſſe deſtitutos, vel oleum, quod deſtillatione ex hoc coeruleo ſeparatur, hac operatione progigni.

p. 373. *Magneſiam nigram*, quam alii ferro abundare, alii metallicas partes continere omnino nullas arbitrati ſunt, GAHNIVS nuper experientia ſua fuit edoctus ſingulari metallo conſtare, quod durum, fragile,

fragile, album et ſplendens eſt, ipſoque ferro difficilius fluit. Cum ſulphure coniunctionem inire videtur nullam, vitriolum vero parari ex eo poteſt diaphanum et parallelepipedi figura inſigne, cet. Magneſia hac nigra, eaque potiſſimum Pedemontana, quae reliquis ſpeciebus praeſtet, vitriarios vti, notiſſimum eſt.

Super ignis *cauſtico*, vt dicitur, *vitro* vehemen p. 454.
tioris redditi in varia corpora effectibus multas, easque perutiles obſeruationes, quae in Francogallia potiſſimum inſtitutae fuerunt, in peculiari Auctor diſſertatione recenſuit, iisque varias addidit annotationes, quae profecto non minus, atque ipſae obſeruationes, lectu ſunt digniſſimae. Laudauit autem primum MACQUERUS ea tentamina, quae exeunte nupero ſeculo et hoc ineunte cum vitris a TSCHIRNHAVSENIO confectis inſtituta et relationi de geſtis Academiae Scientiarum Pariſinae rebus inſerta ſunt, et tandem catalogum exhibuit laborum a CADETO, BRISSONIO, LAVOISIERO, ſeque ipſo ea de cauſa ſuſceptorum, vt huiusmodi vehementiſſimi ignis in metalla cum integra, tum calcinata et mineraliſata pariter, atque in terreſtria, lapidea ac ſalina corpora vires cognoſcerentur. Nos euentibus his, quos ſtudioſe Auctor annotauit, recenſendis non immorabimur, qui in compendium redigi omnino non poſſint.

Butyrum Cacao, cuius Noſter et parandi ratio- p. 535.
nem, et proprietates reddidit cognitas, largiri repetita deſtillatione oleum bruno colore conſpicuum et liquorem acidum ſubluteum, in retorti autem vaſis fundo relinquere carbonem admodum rarum et fere transparentem, CRELLIVS nuper expertus eſt, isque ſimul obſeruauit, acidum ex hoc butyro

prolectum et leni igne denuo deſtillatum, cum calcarea terra ſal in aëre non deliqueſcens, et cum volatili alcali ammoniacale ſal, idque ad cryſtalliſationem aptum, conſtituere, atque adeo cum has proprietates, tum vires pulueriſatum antimonii regulum ſoluendi, habere hunc liquorem cum acido ſebi bouini et ſpermatis ceti communes. Libra huius butyri CRELLIO largita eſt vncias duodecim, drachmas quinque et grana quatuor olei bruni, ſeptem drachmas et triginta grana acidi, et vnciam, granaque octodecim carbonis. Ceterum etſi fuerunt inter chemicos, qui hoc butyrum nunquam rancidum euadere perhiberent, SPIELMANNVS tamen atque BAVMEVS illud omnino huiusmodi mutationem ſubiiſſe experti ſunt.

p. 546. *Acidum*, quod *malis citreis* ineſt, et expreſſione ex iis obtinetur, frigore concentrari, hacque ratione reddi aptum poſſe, quod cum alcalinis ſalibus et abſorbentibus terris ſalia media conſtituat, nuperis potiſſimum experimentis euictum eſt. Deſcripſit ergo LEONHARDVS, cum MACQUERVS de hoc ipſo acido haud fuerit locutus, eam methodum, qua in eo praeparando vtendum ſit, inſimulque tentaminum, hactenus cum eo inſtitutorum, dedit epitomen. Et primum quidem monet, alcalinum fixum ſal citri acido ſaturatum difficulter cryſtallinam formam aſſumere, aut certe enatas hoc modo cryſtallos humores ex aëre lubenter attrahere, quemadmodum citrati tartari exemplo probatur. Minerale autem alcali vere cryſtallinum, idque in aëre non deliqueſcens ſal cum hoc acido profert, cuius cryſtalli admodum varia forma conſpicuae ſunt. Saporem hoc pariter, atque ſal ammoniacum citratum, cuius cryſtalli acuum formas referunt, mitem et refrigerantem in lingua excitat.

Cum

Cum abſorbentibus terris lubenter hoc acidum coniunctionem init, neque tamen, BERGMANNO auctore, iis penitus ſaturari poteſt; etenim antea, quam eam terrae calcareae ponderoſae, aut magneſiae copiam, quae ſaturando acido par ſit, in ſe recipiat, terrea quaedam materies, eaque in aqua difficulter ſolubilis, fundum rurſus petit, quae in ſupernatante liquido non ſoluitur, niſi noua acidi portio fuerit affuſa. Salina materies, quae, euaporatis his ſolutionibus obtinetur, cryſtallinam formam non induit, ſed maſſam Arabico gummi quaſi ſimilem refert. p. 548.

Ex metallicorum corporum claſſe zinci, cobaldi, cupri, mercurii, argentique calces, et ferrum, zincumque metallicum hoc acidum aggreditur, atque veras cum his corporibus profert ſolutiones; in ſtannum autem, biſmuthum, et antimonii, arſenicique regulos, WENZELIO teſte, effectus vix vllos exſerit, quorum metallorum ſuperficies tantum arrodat, nec quicquam ſoluat. Ceterum ea forte methodo, qua WESTENDORFIVS in concentrando aceto vſus eſt, hoc etiam acidum magis concentrari, reddique adeo aptum poſſe, ex quo citri aether parari queat, LEONHARDI coniectura eſt, eaque veri profecto admodum ſimilis. p. 550.

In tractatu ſuper *adamante* rationem reddit MACQUERVS de multis tentaminibus nuper a variis chemicis, ſeque ipſo in Francogallia cum hoc lapide inſtitutis, iisque omnino conſtitiſſe refert, eum vehementiſſimi ignis vi haud reſiſtere, ſed prorſus ea deſtrui; nam ſenſim eius maſſa hac ratione fuit imminuta, donec tandem prorſus diſpareret. Vapores, cum adamas ita tractabatur, MACQUERVS obſeruauit nullos, nec ſenſit odorem. Diſquiſiuit etiam p. 573.

etiam nonnullos horum lapidum antea, quam prorſus eſſent deſtructi, eosque reperit ſuperficie haud amplius polita, nec acutis, ſed potius obtuſis angulis praeditos, et hinc inde veluti foraminulis pertuſos eſſe, vt non male poſſent cum pumice hoc reſpectu comparari. Hinc omnino inter corpora, quae comburi poſſunt, adamas pertinet, nec fere magis illi fixi corporis nomen, quam carbonibus, conuenit.

p. 613. *Atramenta ſympathetica* dicuntur, quae vix vllo, ſaltem vix ſenſibili colore gaudent, eaque de re litteris ſcribendis inſeruiunt, quae, niſi antea peculiari artificio aptae reddantur, quae poſſint legi, veluti inuiſibiles ſunt. Hinc et martialis vitrioli in aqua ſolutio, et atramentum nigrum colore ſuo admixtione nitroſi acidi priuatum, et plures alii liquores ad huiusmodi atramenta pertinent, cum mox gallorum tinctura, mox alcalini ſalis ſolutione, mox alio fluido litterae illis ſcriptae viſibiles reddi poſſint, ſi modo charta huiusmodi humore, qui nimi-
p. 616. rum atramento conueniat, illiniatur. Celebre autem potiſſimum eſt illud ſympatheticum atramentum, quod reguli, aut terrae metallicae cobaldi in aqua regia ſolutione paratur, quo quippe, ſi qua aquae communis portione dilutum illud antea fuerit, litterae poſſunt ſcribi, quae in conſpectum non veniunt, niſi calida charta reddatur, quo artificio viridem illae colorem induant. Hic ipſe autem color ſaepe conſpicuus hoc modo reddi poteſt; nam, refrigerata charta, is rurſus euaneſcit. Biſmuthi in nitri acido ſolutio etiam inter huiusmodi atramenta pertinet, qua ſcriptae litterae nigrae fiant, ſi charta phlogiſticis vaporibus hepatis ſulphuris exponatur.

Corpora,

Corpora, quae agris foecundis reddendis inſer- p. 618.
viunt, duplicis ſunt generis; alia quippe ſolum emendant, atque adeo impedimenta varia, laetae plantarum vegetationi aduerſa, remouent, alia, eaque variis partibus plantis nutriendis aptis referta, ſolum ipſum foecundant, aruaque fere ſterilia laeta reddunt, ex quibus nutrientes partes aſſugere plantae poſſint. Illud vero ſolum, quod argilloſa terra, eaque atra humo, terra calcarea et exigua arenae portione mixta, conſtat, aliis, experientia teſte, magis foecundum eſt, quod, quae admixtae arenae, humique eſt virtus, rarum ſatis ſit, et attrahendis, retinendisque forte igneis particulis idoneum, ſimulque ab argilla humiditatem ſervandi, et a calcarea terra aëreas, aquoſas et oleoſas partes attrahendi facultatem habeat. Hinc perſpici facile poteſt, ſolum, quod vna, alteraue harum terrarum deſtitutum ſit, ineptum eſſe ad plantarum vegetationem, illudque proinde admixtione deficientis materiei, vel aliis idoneis mediis emendari, foecundumque reddi debere. Plura autem corpora ſunt, quibus obtineri hunc finem poſſe dictum ſit, quorum proinde praecipua LEONHARDVS, qui Auctor eſt huius *de foecundatione agrorum* tractatus, nominauit, ſimulque eorum vel adhibendorum, vel euitandorum dedit praecepta.

Inter *elementa* MACQUERUS cum multis aliis p. 678.
phyſices doctoribus ignem, aërem, aquam et puriſſimam terram refert, quod, analyſi corporum perfectiſſima inſtituta, vna tandem, vel altera harum materiarum, vel eae omnes remaneant. Etſi vero, addit, haec ipſa corpora ſimplici natura vti videntur, poſſunt tamen vel ex pluribus aliis, magis ſimplicibus, materiis compoſita, vel omnino, vt BVFFONVS arbitratur, ita eſſe comparata, vt vna in alteram

teram transmutari possit. At enim vero, quum experimentis destituamur, quibus solui haec problemata queant, omnino coactos nos esse Auctor censet, vt nominata quatuor corpora inter elementa referamus, quae vt simplicia agant, ideoque hoc nomine digna sint.

p. 393. Igneum elementum, (vt, quos de hoc et simplici terra MACQUERVS foueat opiniones, hic breviter recensеamus,) si coniunctionem cum aliis materiebus iniit, *phlogiston* dici solet, quo valde natura eorum corporum, quibuscum mixtum est, mutatur, vt, quae antea igni omnino resisterent, iam comburi possint. Non differt autem, Auctore Nostro, hoc ipsum phlogiston a lucis materia, vtpote quae sine intermedio quodam corpore, et potissimum sine aëris accessu in plantis, vitalis earundem actionis ope, fixa reddita est, et olea constituit, sub quorum deinceps forma aliis corporibus admiscetur, nouasque init coniunctiones, ita vt, haec olea omnibus phlogisticis et ignis vi haud resistentibus corporibus, quae nobis cognita sunt, originem praebere, dici possit. Hinc, si haec placita vera sunt, simul patere Cl. Auctor arbitratur, quos vegetatio effectus producat, sine qua neque olea, neque animalia, nec metalla, cet. produci queant.

p. 683. Ad *elementarem* terram quod attinet, hoc MACQUERUS nomine *vitrescibilem* potissimum dignam iudicat, quae aliis similibus substantiis velut magnesia, terra calcarea, cet. durior, ponderosior, magisque fixa sit, et diutissime igni resistat. Ceterum, vt hoc vnum addamus, reliquis nuper simplicibus terris BERGMANNVS *nobilem* accensuit, quae pretiosis nonnullis lapidibus et potissimum adamanti basin praebeat, atque a silicina in eo diuersa sit, quod

quod nec ſolui in vllo acido queat, nec cum minerali alcali efferueſcat, aut aliquo modo ab eo afficiatur, cum borace vero et phoſphori acido liquore ineat ſolutionem atque aperto igne flammis conſumatur.

XI.

Dictionarium botanicum, *oder botaniſches Lateiniſches und Deutſches Handwörterbuch für Aerzte, Kameraliſten, Apotheker, Specereihändler, Kräuterkenner, Bluhmiſten, Oekonomen, Gärtner und Fabrikanten, nach dem Linneiſchen Syſteme. Leipzig bey Chr. Gottlob Hilſchern* 1781. 8. *Seitt.* 376.

Dictionarium botanicum, *oder botaniſches Deutſches und Lateiniſches Handwörterbuch für Aerzte etc. ib. eod.* 8. *Seitt.* 485.

i. e.

Dictionarium botanicum Latino Germanicum et Germanico Latinum, in vſum medicorum, rerum ad publicos reditus ſpectantium peritorum, pharmacopoeorum, aromaticorum, botanicorum, floriſtarum, oeconomorum, hortulanorum, opificumque, ſecundum Linneanum ſyſtema.

Huius dictionarii duplicis Auctor eſt Cl. C. F. REUS *), qui ſecundum Linneanum ſyſtema illud

*) vid. Comment. noſtr. Vol. XXI. p. 672.

illud condidit. Quod omnia genera et ſpecies plantarum continet, vna cum in variis Germaniae regionibus vſitatis nominibus plantarum nationalibus, quotquot ſcriptis in botanicis reperiri, aut aliis occaſionibus datis, tradi potuerint, ita tamen, vt nomina plantarum ex aliis linguis ſint miſſa.

Eſt itaque Latinus et Germanicus ſolummodo plantarum index duplex, Latino Germanicus ſcilicet et Germanico Latinus. Omnia Germanica plantarum nomina quidem in altero indice Germanico Latino euolui poſſunt, ita tamen, vt ad Latino Germanicum Lectores amandentur, vbi alia plantarum praecipua nomina ſunt collecta, quae plantis imponere ſoliti ſunt.

Praecipua nomina Noſter ideo tantum curavit, partim cum non omnia nomina plantarum nationalia vbique, ſed ſigillatim ſint nota, partim ob nomina plantarum pro lubitu florum curioſorum ficta.

Idem accidit varietatibus, quae non, niſi breuiter, ſunt propoſitae, quoniam genera et ſpecies earum his duobus indicibus inſunt. Raro enim plantae vtilis et notae vnum nomen eſt datum, ſed plura, quorum ſaltem nonnulla in hoc dictionario botanico legi poſſunt.

Ita variis huius rei difficultatibus ſuccurrere arbitratur Cl. Auctor, et commoditati medicorum, botanicorum, oeconomorum cet. vti ex libri inſcriptione intelligitur, ſeruire.

XII.

Chelonographia *oder Beſchreibung einiger Schildkröten nach natürlichen Urbildern, verfertiget von* D. IOHANN IVLIVS WALBAVM. *Mit einer Kupfertafel. Lübeck und Leipzig. In Commißion bey Iohann Friedrich Gleditſch.* 1782. 17 *Bog. in* 4.

i. e.

Chelonographia ad archetypos natiuos curioſorum naturae peregrinorum cauſa latino ſtylo ſtrictim exarata, ab IOHANNE IVLIO WALBAVM. M. D.

Conſilium Cl. Auctoris laudandum vtique eſſe cenſemus, quo et animalium nondum ſatis perfecte cognitorum hiſtoriam perficere ſtuduit, et eandem, vt omnibus ſcientiae naturalis ſtudioſis vtilis fiat, Latine et Germanice conſcriptam tradidit. Eſt quidem Germanica expoſitio vberior, neque Latinus tractatus verſio verborum, ſed rerum earundem perfecta epitome, cui etiam adſperſa inveniuntur ſcholia nonnulla lectu digna. In deſcribendis Teſtudinum ſpeciebus imitatum ſe eſſe ait Cl. Auctor pictorum methodum, qui, deſcriptione corporum lineari abſoluta, ſitum, et proportionem partium ſingularum atque omnia, quae repraeſentandae effigiei inſeruiant, diligenter pingant. Igitur, nomine et ſynonymis traditis, corporis ambitum, colorem, et veſtitum primum, dein ſquamarum numerum, figuram, capitis, roſtri, maxillarum, narium, oculorum, aurium, palati, gulae, linguae, colli, trunci, ſcuti et ſterni oſſeorum, caudae, ani, partium genitalium, pedum et vnguiculorum proprietates, iuxta a ſe ipſo inſtitutas obſerua-

tiones enarrauit: iisque addidit, quae de habitatione et vſu alii Viri clariſſimi proponerent, et ipſe expertus eſſet. Atque hac laudabili methodo agit de Teſtudine *Caretta*; de Teſtudinis Carettae varietate ac de *Lepade Teſtudinaria*, de *Teſtudine imbricata*, *macropode*, noua, vt Auctori videtur, ſpecie, et *verrutoſa*, ac denique de ſingularibus variarum Teſtudinum partibus.

p. 101. *Teſtudinis Carettae* varietas, de qua exponit Cl. WALBAVM, differt ab ipſa ſpecie magnitudine, *colore lucidiore*, et numero ſquamarum ſcuti dorſalium: praeter quinque ſexangulares, ſpeciei proprias, duae acceſſoriae, diſſimiles et inaequales, dente deſtitutae aderant: prima earum breuis, quinquangularis, glabra retro acuta, tertiae ſexangulari, quaſi imbrex, incumbebat. Altera oblongo quadrata, maior quidem prima acceſſoria, ſed minor ſequente, inter tertiam et quartam ſexangularem locum ſuum habebat.

p. 102. Sequitur expoſitio partium internarum, et quidem bulbi oculorum, aurium, tracheae, oeſophagi, peritonaei, cordis, hepatis, felleae veſiculae, lienis, pancreatis, pulmonum, meſenterii, ventriculi, inteſtinorum, renum, veſicae vrinariae, penis; carnis, p. 103. pinguedinis, ſanguinis; tum ſceleti eiusque ſingularum partium. De corde haec habet: „in duos ventriculos pariete intergerino diſcretum eſt, quorum vnus latior, alteri longiori ſubiacet. Tertium, quem aliqui auctores in aliis teſtudinibus obſeruauere, inuenire non poterat Auctor. Parietes inferioris ventriculi glabri fibris raris, membranaceis intus attrahuntur. Foramen ante auriculam dextram valuula carnoſa, lanceolata clauditur. Paries intergerinus ventriculorum perforatus eſt: etenim ſubter angulum cordis ſiniſtrum eſt rima, quae in ventriculum ſuperiorem patet. Duo tubercula

bercula plana in ventriculo inferiori, ſibimet oppoſita, rimam comprimunt ac ſanguinis regreſſum impediunt. Tuberculum ſuperius, extremo venae cauae ſuperioris incumbens, cuius orificium in ventriculum ſuperiorem patet, valuulae officium ei praeſtat. Ventriculus ſuperior anguſtus, longior, rugoſus eſt. Ex illo prodeunt duo trunci arteriarum, quae ramos ad omnes partes ablegant. Aures cordis inaequales. Dextra maior, tenuis, intus glabra, cuius orificium poſterius valuula lanceolata operitur. Siniſtra auris intus rugoſa a ſuperiori ventriculo valuula quadam ſuborbiculata carnoſa diſtinguitur.„ Optaremus ſingularem hanc cordis, tot deſcriptionibus diuerſis potius occultatam, quam declaratam, ſtructuram a quodam Autopta iconibus fidis illuſtratam.

Teſtudinis macropodis ſcuto ouato, carinato, emarginato, ſterno gradato, pedibus pinniformibus maximis, bifariam vnguiculatis, icon forte eſt ab *Edwardo* tab. 206. data, atque in SELIGMANNI collectione *) Tom. VI. tab. 101. repetita: ſed hanc iconem putamus ſiſtere *Teſtudinis Mydae* LINN. varietatem, eademque etiam conuenit cum illa, quam MÜLLERVS in verſione Linneani ſyſtematis Germanica Tom. III. tab. I. f. 3. recudi curauit. p. 112.

Teſtudo ſcabra LINN. ab Auctore *verrucoſa* dicitur, hisque ſignis diſtinguitur: capite glabro, discolore: ſcuto ouali, demiſſe conuexo, excelſe carinato, ſcabro, pedibus ſubpalmatis. Reliquae partes ab Auctore deſcriptae ſunt 1. lorica *Teſtudinis ſignatae*, quae nuſpiam alibi depicta nec deſcripta eſt: ideoque eandem in tabula addita aeri incidi curauit. 2. lorica *Teſtudinis tabulatae*. 3. lorica varietatis tabulatae Teſtudinis campanulata. 4. caput va- p. 116. p. 120. p. 122. p. 124.

*) *Sammlungen verſchiedener ſeltener Vögel von* I. M. SELIGMAN. Tom. VI. tab. 101.

ſtum Teſtudinis marinae roſtro anſerino, quod de teſtudine viridi, *Mydas* dicta, reſectum eſſe coniicit. 5. caput Teſtudinis roſtro gallinaceo. Vtrum hoc ad teſtudinem capitonem, *Caöuanna* dictam, de qua BROWN *) breuiſſimam et imperfectam deſcriptionem dedit, aut ad aliam Teſtudinum ſpeciem pertineat, nauigatorum diſquiſitioni definiendum relinquit. 6. de ſcuto ingenti Teſtudinis marinae, quod ex Teſtudine viridi, ſ. *Mydas* dicta, eſſe coniicit Noſter. Sub finem indicem Teſtudinum, imperfecte deſcriptarum aut incognitarum, addidit, atque catalogum animantium, circa quarum naturam obſeruationes inſtituit, ſubiecit, quas, ſi hae placuerint, publici iuris reddere promittit. Nos quidem, etſi Teſtudinum viuarum corpora indagandi occaſione caruimus; tamen deſcriptiones partium externarum, quas cum loricis ipſis comparauimus, diligenter et ſtudioſe factas inuenimus, ideoque non dubitamus, quin vtiles futurae ſint Cl. Auctoris obſeruationes, publico applauſu dignae.

XIII.

Vermiſchte Abhandlungen aus der Thiergeſchichte von BLASIVS MERREM. *Mit 7 Kupfern, im Verlag bey Viktorinus Boſſiegel,* 1781, 1 *Alph. in* 4.

i. e.

Tractatus Zoologici varii argumenti Auctore BLASIO MERREM. additis tabulis aeneis 7.

Primitiae, quas hic naturae curioſis offert Cl. Auctor, eiusmodi ſunt, cum quoad rationem rerum et obſeruationum, quas contemplatus eſt et inſtituit, tum praeſertim habito ipſius methodi reſpectu,

*) *Natural hiſtory of Iamaica.* p. 465.

ſpectu, non laude ſolum omni et attentione dignas cenſeamus; verum etiam optemus, vt Cl. Auctor in coepto tramite pergat, atque Zootomiae adeo neglectum ſtudium, quod tamen maximi in phyſiologia animalium eſt vſus, atque ponderis, proſequatur ea, qua hic fecit, cura ac ſolertia. Recte enim animaduertit primum, LINNEVM in definiendis characteribus animalium, inprimis Glirium et Falconum colore vſum eſſe, quem tamen Ipſe ſignum fallax et inconſtans habuit; indeque euenisſe, vt plures varietates in ſpecierum numerum intrarent. Operam igitur dedit characteres ſpecificos ex ipſa corporis ſtructura differente colligendi: factumque ſic eſt, vt plures ſpecies Linneanae ad varietates relegarentur. Itaque duo potiſſimum ſunt, quos conſcripſit tractatus, quorum alter *tentamen nouae genera et ſpecies Glirium definiendi methodi* offert, in altero autem *ſigna characteriſtica Aquilarum et Falconum* determinantur. Quibus quidem ſubiunctae ſunt hiſtoriae vberiores *Muris muſculi*, et quorundam *Falconum*, tum denique vermis cuiusdam, in hepate Murium nidulantium, de quibus quidem omnibus iam ex ordine videamus.

Numeroſiſſimus quoad ſpecies eſt Glirium ordo. Plurimae earum, vt nouiter detectae, vel aliis ex cauſſis neglectae, tam parum ſunt diſquiſitae, tam breuiter deſcriptae, vt fere dignoſci nequeant. Laudat quidem Noſter DAVBENTONI et PALLASII ſtudium, huiusque nouiſſimum librum, *nouae ſpecies Quadrupedum e Glirium ordine* inſcriptum, (de quo quidem iam audiuimus, nondum autem ipſius compotes facti, impedimur, quo minus de eodem ad Lectores referamus): relicta ſibi tamen eſſe putat, quae corrigeret adderetque. Praemiſſis itaque characteribus, qui vniuerſo Gli-

rium ordini competunt, genera a Cl. Auctore conſtituta ſunt haec: 1. *Hyſtrix*. Germ. *Stacheltier*. 2. *Caſtor*. 3. *Lepus*. 4. *Foſſor*: Germ. *Graber*: ita nominat Lepores reptabundos, ecaudatos PALLASII, quos medium genus inter Lepores et Cauias efficere putat Auctor. Etenim dentibus, numero digitorum, pedumque palmis ac plantis ſubtus piloſis cum Leporibus conueniunt; habitu autem, numero coſtarum, caudae defectu, habitaculis in cryptis, vellere et auribus Cauiae generi ſimiles ſunt: ab vtrisque differunt dentium figura, clauiculis perfectis, pedibus poſterioribus, et capitis figura. 5. *Cauia* Germ. *Ferkel*. 6. *Spalax*, Germ. *Kleinauge*. 7. Mures cunicularii, Germ. *Zeiſt*. A muribus differunt dentibus minoribus, inferioribus primoribus latioribus acutioribusque, capite craſſiore et obtuſiore, auribus paruis, cauda breui piloſa, pedibusque breuioribus. 8. *Mus*. 9 *Iaculus*. Germ. *Springer*. 10. *Glis* G. *Ratze*; Mures lethargici PALL. Glir. p. 87. 11. *Sciurus*. 12. *Arctomys*, Germ. *Zieſel*. Iam, etſi negandum non eſt, plura genera iure eſſe conſtituta; fateri tamen etiam conuenit, nonnulla eorum genericis characteribus non ſatis diſtingui; id quod praeſertim de Foſſore et Muribus cunicularibus nobis valere videtur. Sic etiam nomen *Gliris*, vel Germ. *Ratze*, confuſioni cum
p. 17. nomine ordinis locum facit.

In ſpecierum conſtitutione, vt diximus, ſtru-
p. 19. cturae differentis rationem habens, quasdam Auctorum ſpecies ad varietates refert. Neque tamen ſatis fundata videtur reductio *Muris zibethici* ad *Caſtoris* genus: differt enim nimis habitu, et vitae ratione, quibus ad Mures propius accedit.
p. 24. Cauiam Aguti, (Mus Aguti LINN.) C. Acouchy, et C. leporinam (Mus leporinus L.) tres varietates vnius ſpeciei habet. *Murem Paca* ad *Spalaces* refert. *Mus amphibius* et *paludoſus* LINN. Auctori

ſunt

ſunt varietates. *Murem Rattum* originetenus ex America in Europam translatam eſſe affirmat. p. 30.
Ex ſubiuncta hiſtoria *Muris muſculi*, quae diligenter eſt conſcripta, notemus, Auctorem vidiſſe exempla murium cicurorum, tantamque eſſe eorundem multiplicationem, vt medius numerus ex ſingulo pare in anni ſpatio naſcendorum ſit 3480. p. 45.
Denique confirmat Noſter, ſe vidiſſe duos mures cauda adeo ſecum conuolutos, vt ſeparari non poſſent. Diligentem vberiorem omnium partium externarum interiorumque lectioni commendamus.

Sequitur Auctoris tractatus de Aquilis et Falconibus, pari diligentia et *ακριβεια* exaratus. p. 76.
Interim tamen diuiſionem Aquilarum et Falconum non approbamus, ſed eas potius cum LINNEO vni generi ſubmittendas eſſe cenſemus. Etenim non limites ſunt certi, pluresque ſpecies pari ratione poſſent Aquilis ac Falconibus accenſeri. Maior eſt confuſio in ſpecierum certa conſtitutione, in qua conſentimus cum Auctore, qui plures ad varietates retulit: etſi de omni reductione iudicare non licet, niſi contemplata ipſa aue viua. *Aquila* p. 110.
leucocephala, cuius vberiorem ſubmittit hiſtoriam, noua Cl. Auctori videtur ſpecies, quae *pedibus ſemiplumatis*, *et cauda cuneiformi* diſtinguitur. Laudem praecipue meretur ſolers cura, quam in indaganda partium interiorum forma et ratione adhibuit, et quae, vt exemplum Zootomis eſt commendanda: ſceleton et muſculorum ſtructura iconibus eſt illuſtrata. *Falconis bruni* icon a FRISCHIO *), p. 164.
qui eum *Vulturem pygargum* dicit, ſolo data eſt, BRISSONII atque BVFFONII deſcriptionibus iuxta hanc factis. Qui quidem, cum auem viuam non viderint, minus recte eandem ad varietates retu-

 lerunt

*) vid. EIVSD. *Vögel. Klaſſ.* 7. *Abt.* 3. *Taf.* 76.

lerunt. Noſter igitur eundem diſtinguit *roſtro edentulo* et *cauda rotundata*; icon adiecta ſatis eſt
p. 169. egregia. Denique vermis cuiusdam hiſtoria deſcriptio et icon additur, quem ad Faſciolas saccatas refert Noſter; habitat ille in hepate *Muris muſculi*, eſtque iuxta recentiorum obſeruationes *Taenia hydatigena* ſingularis formae, de qua, cum proxime recentiſſimos Helmintologorum libros indicaturi ſimus, plura hic referre dubitamus.

XIV.

CAROLI A LINNÉ M. D. Termini botanici; Claſſium methodi ſexualis generumque plantarum characteres compendioſi; recudi curavit primos cum ſuis definitionibus interpretatione germanica donatos PAVLLVS DIETERICVS GISEKE, M. D. Phyſ. Prof. in Gymnaſio Hamb. Hamburgi ſumtibus B. Chr. Heroldi Viduae excudit Car. Wilh. Meyn. CIↃIↃLXXXI. 15½ plagg. in 8.

Etſi iam ſaepius propoſita ſunt, quae hic coniunctim edidit Cel. GISEKE: tamen, cum rudimenta botanices compendioſe tradenda ſuſcepiſſet auditoribus, quibus omnino filo quodam in docendo et repetendo opus eſſet; ſelecta quaedam capita theoriae botanices Linneanae, qua praeſtantiorem non nouit, exſcribenda cenſuit. Terminos igitur botanicos, qui in Amoenitatibus Linneanis Vol. VI. inſerta ſunt, hic etiam propoſuit, eosque ipſos eorumque definitiones ſimul germanice interpretatus eſt. Addidit etiam, introductionis loco, praefationem LINNEI Generibus plantarum praefixam, quae alteram clauem ſyſtematis Linneani, ſeu reformationis botanices theoriam continet,

net, qua lecta intelligeretur, non esse meram nomenclaturam a botanices studioso discendam, sed philosophandum etiam esse. Tum quoque ampliores Classium descriptiones e *Generibus plantarum*, tum ipsorum generum characteres compendiosos e *Systemate* omnes excerpsit, eum in finem, vt hoc portatili libro, quicunque in horto sint obambulaturi, velintque quoduis a LINNEO descriptum genus examinare, possint eodem vti. At nonne tum specierum catalogus deest, qui forsan solis characteribus specificis potuissent subiungi: nam species sunt, quas cernimus, non genera? FORSKÅLII, AVBLETI, et FORSTERI recentiora genera omisit, quum eorum tanta sit raritas, vt vix centesimo botanicorum spectanda fore credibile sit. Figuras, quae libri pretium nimis auxissent; exempla plantarum, quas docens suppeditet necesse est, et terminos, quibus alii ante vel post LINNEVM vsi sunt, consulto omisit.

His in genere de libri ratione, iuxta Auctorem Celeberrimum, expositis addamus haec: versionem terminorum Germanicam in plurimis esse naturae et idiomati conuenientem, et in nonnullis tantum correctione egere: tum quosdam errores typographicos inueniri, quos certe quilibet doctor corrigere poterit. Folia patentissima LINNEVS saepe dicit *horizontalia*, quem terminum, vti et *folia lobata* omissa animaduertimus. *Spica setacea*, *scariosa*, *pedunculata*, quibus terminis LINNEVS ipse vtitur, vti etiam petalorum differentiae non indicantur.

p. 36.
p. 62.

XV.

Supplementum plantarum ſyſtematis Vegetabilium Editionis decimae tertiae, Generum plantarum editionis ſextae et ſpecierum plantarum editionis ſecundae, editum a CAROLO A LINNÉ, Med. Doct. Med. et Botan. Prof. Vpſal. Hort. Botan. Praef. Brunſvigae, Impenſis Orphanotrophei, 1781. 30 plagg. 8.

Tandem aliquando prodiit diu promiſſum Supplementum, in quo tamen, ſi dicendum quod res eſt, plures ſperabamus nouas a LINNEO vel patre, vel filio, inſtitutas obſeruationes, naturam plantarum illuſtrantes. Si enim eas, quas iam alii viri Clariſſimi deſcripſerunt, excipias, numerus nouarum plantarum non adeo magnus, neque obſeruationes admodum copioſae remanebunt. Interim tamen et haec ſymbola, et praeſertim reductio ad Linneanas claſſes et ordines, iuſtificata etiam quaſi, vel immutata nomina plantarum, accepta erunt botanicis, praeſertim iis, qui nihil perfecti vel certi eſſe opinantur, niſi quod Linneorum nomine ſigillum veritatis certitudinisque obtinuerit. Videndum, quoad iugo boreali huic ſe ſubmittent botanici, atque rerum botanicarum aequi competentesque iudices. Fruſtra quaeſiuimus enim in hoc ſupplemento multas, fide deſcriptas, egregie depictas et in multis botanicis hortis cultas plantas, quae ignotae Editori eſſe non potuerunt, ſed quas conſulto, vt profeſſus eſt, omiſit, quoniam ipſam plantam non vidit: et maximus deſcriptarum plantarum numerus conſtat ex iis, quarum pauciſſimas botanici Europaei videbunt; nomina ſaltim ita ſunt egregie aucta.

Ex praefatione intelligimus, LINNEVM patrem etiamnum huius ſupplementi partem aliquam inchoaſſe

choaſſe, atque plantas Surinamenſes nonnullasque Africanas ſuo quamque loco in ſyſtemate collocaſſe; quem quidem numerum LINNEVS filius quoad dimidium auxit, cum amici eius cum eo varias herbas ex peregrinis terris communicaſſent, herbariaque eidem commodaſſent. Tot exinde obſeruationes collegit, quot ne hoc opuſculo quidem exponere poſſet: etenim multum ei neceſſum fuit reſeruare donec noua editio Syſtematis adornabitur, atque haec multa ſpectant praecipue ad characteres et differentias, in quibus generum et ſpecierum etiam prius cognitarum magna ſit facta mutatio. At enim vero, ni fallimur, haec reſeruatio eſt illuſio lectorum: atque centenis illis mutationibus, ex nimia feſtinatione in edendis obſeruationibus, non diligenter ſatis inſtitutis, oriundis, confunduntur tirones et ſcientiae amoeniſſimae et vtiliſſimae ſtudium taedioſum fit et negligitur.

In claſſificatione vnam inſtituit LINNEVS filius mutationem excludendo polygamiam; etenim experientia docuit, lacerari hac claſſe genera naturalia, cultura variationes in ſexu effici, difficultatesque maximas oboriri, quando hermaphroditus ſiue abortiens flos ſe ſolum offerat.

Laudamus ceterum conſilium celeberrimi Auctoris, quo parcus fuit in generibus nouis formandis: recte enim ait, nimia genera inutiliter ſcientiam extendere, affines plantas ſeparare, et augere difficultates in iisdem dignoſcendis: hancque proponit regulam: botanicus in nouo genere formando inprimis exquirat eius affinitatem, ac ſtudioſe, quantum fieri poteſt, ſarta tectaque habeat genera naturalia, ſeque ſubiiciat naturae legibus. Nolumus litem de generibus naturalibus nunc noſtram facere: nam lex parcitatis in formandis generibus novis valebit etiam, ſi generica nomina in ſubſidium me-

memoriae retinenda esse dicimus, atque floris diversitatem characterem specificum intrare saepius concedimus. Etenim numquam *perfecta* est convenientia et similitudo in floribus variarum specierum vnius generis, quantumuis naturalis; sed semper affinitas tantum, et *aliqua* similitudo.

Specierum magnum numerum indicauit Editor: concedit tamen posse iis interesse plures, quae varietates tantum habendae sint, cum herbas exsiccatas et saepius vnum, non satis bene conseruatum exemplar indagare potuit. Descriptiones breues plerumque adposuit: sic quoque proprietates plantarum subiecit, praesertim eas, quae vtilitatem plantarum spectant. Nouam denique *Generum plantarum*, et systematis naturae regni animalis et vegetabilis editionem meditatur, hisque operibus, quae sibi a patre hereditarii loco relicta esse ratur, subseciua sua tempora impendere proposuit.

Nonaginta et tria genera, eorumque characteres praefationem sequuntur, quorum nos nomina et omnino nouorum characteres indicabimus. 1. *Renealmia* (1andr. 1gyn.): *cor.* trifida, nectario oblongo; cal. 1phyllus; anthera sessilis, nectario oppositа; bacca carnosa: in memoriam Cel. PAVLI RENEALMII. 2. *Myrosma* (1andr. 1gyn.): *cor.* 5partita, irregularis; *cal.* duplex, exterior 3-phyllus, interior 3partitus. 3. *Mniarum*: *cal.* 4-partitus superus; *cor.* nulla; *semen* vnum. FORST. gen.*) 4. *Thouinia* (2andr. 1gyn.): *cor.* infera, 4petala; *cal.* 4partitus; *antherae* sessiles. In memoriam Cl. THOUINII. 5. *Ancistrum*. FORST. gen. n. 2. 6. *Dilatris* (3andr. 1gyn.): *cal.* nullus; *cor.* sex-

*) vid. comm. nostr. Vol. XXIV. p. 236. vbi etiam Lectores reliqua a FORSTERO dicta genera descripta inuenient.

ſexpetala, hirſuta; *filamentum tertium* reliquis minus; *ſtigma* ſimplex. 7. *Kyllingia* *). 8. *Fuirena* **). 9. *Pommereulla* (3andr. 1gyn.): *cal.* turbinatus, bivalvis: valuulae 4fidae, dorſo ariſtatae. In memoriam dominae DV GAGE DE POMMEREVLL, agroſtographae .10. *Anthiſtiria* (3andr. 2gyn.): *cal.* aequaliter ad baſin fiſſus in lacinias 4 aequales. 11. *Rottböllia* (3andr. 2gyn.): rachis articulata, teretiuſcula, in pluribus filiformis; *cal.* ouato lanceolatus planus, ſimplex ſ. bipartitus; floſculi alterni in rachide flexuoſa. 12. *Hydrophylax* (4andr. 1gyn.): *cor.* infundibuliformis; *cal.* 4partitus; *fructus* anceps, monoſpermus. 13. *Bankſia* (4andr. 1gyn.): amentum ſquamatum; *cor.* 4petala; *anth.* in cauitate laminarum ſeſſiles; *capſula* biualuis, *ſemen* bipartibile. In memoriam Illuſtriſſimi IOH. BANKS. 14. *Hartogia* (4andr. 1gyn.): *petala* 4, patentia; *cal.* 5fidus; drupa ouata, diſperma. 15. *Embothrium*: FORST. gen. n. 8. 16) *Gomozia* (4andr. 2gyn.): *cor.* campanulata, 4fida, ſupera; *cal.* nullus; *bacca* bilocularis. 17. *Virecta* (5andr. 1gyn.): *cal.* 5phyllus, dentibus interiectis; *cor.* infundibuliformis; *ſtigma* bipartitum; *capſula* 1locularis. 18. *Sheffieldia*: FORST. gen. n. 9. 19) *Retzia* (5andr. 1gyn); *cor.* cylindrica, extus villoſa; *ſtigma* bifidum; *capſ.* 2locularis. In memoriam ANDR. IOAN. RETZII. 20. *Epacris*: FORST. gen. n. 10. 21. *Ignatia* (5andr. 1gyn.): *cal.* 5dentatus; *cor.* longiſſima; *drupa* 1locularis, polyſperma. 22. *Tektona* (5andr. 1gyn.): ſtigma dentatum; *drupa* ſicca, ſpongioſa, intra calycem inflatum; *nucleus* trilocularis. 23. *Eſcallonia* (5andr. 1gyn.): *fructus* 2locularis, polyſpermus; *petala* diſtantia, lingulata; *ſtigma* capitatum

*) ROTTBÖLL deſcript. vid. comm. noſtr. Vol. XX. p. 231.
**) vid. ibid. p. 233.

tatum. In memoriam ESCALLONI, botanici Americes. 24. *Corynocarpus.* FORST. gen. n. 16. 25. *Argophyllum.* FORST. gen. n. 15. 26. *Gardenia* (5andr. 1gyn.): *Contorta. Bacca* infera, bi-s. 4locularis, polyſperma. 27. *Melodinus.* FORST. gen. n. 19. 28. *Ruſſelia* (5andr. 2gyn.): *cal.* 5-phyllus; *petala* 5, ſupera; *capſula* 1locularis, polyſperma. In memoriam ALEX. RVSSEL, peregrinatoris Aleppenſis. 29. *Coproſma.* FORST. gen. n. 69: 30. *Cuſſonia* (5andr. 2gyn.): petala 5, trigona, *margo receptaculi* dilatatus in calycem 5dentatum. In memoriam Celeberrimi CVSSON, qui vmbellatarum familiam illuſtrandam ſibi ſumſit. 31. *Semecarpus* (5andr. 3gyn.): *cor.* 5petala; *drupa* cordata, celluloſa, 1ſperma. 32. *Commerſonia.* FORST. gen. n. 22. 33. *Maſſonia* (6andr. 1gyn.) *nectarium* inferum; *cor.* 6petala, nectario inſerta. In memoriam FRANC. MASSON, peregrinatoris botanici in America celeberrimi, qui omnia canarienſia editori miſit. 34. *Gethyllis* (6andr. 1gyn.): *cal.* nullus; *cor.* ſupera, 6partita; *bacca* clauata, radicalis, 1locularis. *Papiria* THVNBERGII *Act. Lund.* 35. *Phormium.* FORST. gen. n. 24. 36. *Ehrharta* (6andr. 1gyn.): *Gramen.* vid. THVNBERGII deſcriptionem in *Actis Holmienſis academiae* ann. 1779. p. 216. In memoriam Cl. FRIDERICI EHRHART, Helueti, cui plura deberi ſe fatetur editor, et qui *curam typographicam* huius libri in ſe ſuſcepit. 37. DVROIA (6andr. 1gyn.): *cal.* ſuperus, cylindricus, truncatus, *limbus* 6partitus; *filamenta* nulla; *pomum* hiſpidum. In memoriam Cl. IO. PHIL. DVROI, auctoris obſeruationum botanicarum et horti Harbeccenſis *). 38. *Falkia* (6andr. 2gyn.): *cal.* 1phyllus; *cor.* 1petala; *ſemina* 4. In memoriam IO. PETRI FALK, Sueci, profeſſoris Petropolitani

*) vid. comm. noſtr. Vol. XIX. p. 544. Vol. XX. p. 219.

tani. 39. *Gahnia.* FORST. gen. n. 26. 40. *Diſandra* (7andr. 1gyn.): *cal.* 7phyllus; *cor.* 7partita, plana; *capſula* bilocularis. 41. *Aponogeton* (7andr. 4gyn. *): *Amentum*; *cor.* nulla; *capſulae* triſpermae. 42) *Codia.* FORST. gen. n. 30. 43. *Haloragis.* FORST. gen. n. 31. 44. *Myroxylon* (10andr. 1gyn.): *cal.* campanulatus; *petalum ſuperius* reliquis maius; *germen* corolla longius; *legumen* 1ſpermum. 45. *Inocarpus.* FORST. gen. 33. p. 36. 46. *Dodecas* (12andr. 1gyn.): *cal.* ſemiquadrifidus, corollifer, ſuperus; *cor.* 5petala; *capſula* unilocularis, *calyce* connata **). 47. *Visnea* (12 andr. 3gyn.): *cor.* 5petala, *cal.* 5phyllus inferus; *ſtigmata* 3; nux 2-3locularis, ſemiinfera. In memoriam Dni VISNE, Portugalli. 48. *Tacca.* FORST. p. 37. gen. 35. 49. *Pallaſia.* Pterococcus PALLASII ***). p. 38. 50. *Sonneratia* (20andr. 1gyn.): *cal.* 6fidus; *petala* 6, ſubulata; capſula multilocularis, ſucculenta; loculis polyſpermis. In memoriam SONNERATII, qui cryptogama ad editorem miſit. 51. *Ternſtrömia* (polyandr. 1gyn.): *cal.* 1phyllus, 5partitus; *cor.* 1petala, 5-6partita, globoſa, campanulata; *bacca* exſucca, bilocularis, eualuis. In memoriam TERNSTRÖMII, itinere in Chinam noti, dixit MVTISIVS. p. 39

*) Filamenta 6-12; germina 3-4. Ob numerum inconſtantem ſtaminum Heptandriae hoc genus inſeruit: bene quidem iuxta receptum ſyſtema, an vero nutu naturae?

**) Monet editor: forte *Iuſſieuae* ſpecies: cur igitur nouum et dubium genus? cum tamen genera ſint *certa* (vid. Philoſ. bot. p. 97. et 139.) neceſſe eſt, et ipſe editor parſimoniam in condendis generibus in praefatione promiſſus ſit. An ideo, vt facilior ſit mutatio in noua *Generum* et *Syſtematis* editione? Certe etiam nomine generico, minime legibus prudentioribus conueniente, et perinde omnibus plantis dodecandris apto, carere facile poterit botanica.

***) vid. *Ei.* it. Vol. II. p. 738. t. S.

SIVS. 52. *Alſtonia* (polyandr. 1gyn.): *cal.* inferus, imbricatus; *cor.* 8-10fida; *laciniis* alternatis. In memoriam CAR. ALSTON, Profeſſoris Edimburp. 40. genſis, dicta a MVTISIO. 53. *Myriſtica* (polyandr. 1gyn.): *bacca* carnoſa, 1ſperma; *membrana* reti-
p. 41. cularis ſicca, intra baccam et ſemen. 54. SPARMANNIA (polyandr. 1gyn.): *cal.* 4phyllus; *cor.* 4petala, reflexa; *nectaria* plura, toruloſa; *capſula*
p. 42. angulata, 5locularis, echinata. In memoriam ANDREAE SPARMANN, Sueci celeberrimi. 55. *Vallea* (polyandr. 1gyn.): *capſula* 2locularis; *cal.* 4-5phyllus; *petala* 4-5, trifida; *ſtigma* 4-5fidum. In memoriam VALLEI, ab ALLIONIO laudati, dixit MVTIS. 56. *Fothergilla* (polyandr. 2gyn.): *cal.* indiuiſus, truncatus; *cor.* nulla; *germ.* bifidum; *capſula* bilocularis; *loculamenta* 2valuia. In memo-
p. 43. riam IO. FOTHERGILL, Angli. 57. *Brathys* (polyandr. 5gyn.): *cal.* 5phyllus, *petala* 5; *nectar.* nullum; *capſ.* 1locularis, polyſperma. 58) *Drimys.* FORST. gen. 42. *Act. vpſ.* Vol. 3. p. 181. 59.
p. 44. *Vnona* (polyandr. polygyn.): *cal.* 3phyllus, *cor.* 6petala; *baccae* plures, pedicellatae, 2ſpermae.
p. 45. 60. *Hemimeris* (2dyn. angioſp.): *cor.* rotata; *laciniа vna* maior, obcordata; *foſſula* laciniarum nectarifera; *capſ.* 2locularis, loculo altero gibboſiore. *Antirrhinis* affine genus. 61. *Millingtonia* (2dyn. angioſp.): *cor.* longiſſima, limbo 4fido; *calycis margo* reflexus; antherae partitae, vaginantes. In memoriam MILLINGTONI, Angli. 62. *Thunbergia* (2dyn. angioſp.): *cal.* duplex, exterior 2phyllus,
p. 46. interior multipartitus. In memoriam CAROLI PETRI THVNBERG, indefeſſi peregrinatoris botanici in caput bonae ſpei, et adiacentem Africae partem, dein in Iauam, Iaponiam et Ceylonam, obſeruatoris diligentiſſimi et inuentoris feliciſſimi, qui editori plurimas plantarum deſcriptiones communi-

municauit, et quarum descriptionem historiamque cum aliis multis, plane nondum cognitis, nec nominatis, ipse inuentor publici iuris reddet. 63. p. 47. *Castilleia* (2dyn. angiosp.): *cal.* 1phyllus, tubulosus, longitudinaliter hians; *cor.* ringens; *labium* inferius *glandulis* duabus, tubulosis; *capſ.* 2locularis, dissepimento opposito, polysperma. In memoriam CASTILLEII, Botanici Gadensis, dixit MVTIS. 64. *Amasonia* (2dyn. angiosp.): *cor.* tubulosa, *limbus* paruus, 5fidus; *nux* ouata, 1locularis. 65. *Aphyteia.* (monadelph. 3andr. *Hydnora* THVNB. *Act. Holm.* 1775. p. 69. *). *Monogyna. cal.* magnus, infundibuliformis, semitrifidus; *petala* 3, fauci tubi calycis inserta, illoque breuiora. p. 48. 66. *Symphonia* (1adelph. 5andr.): 1*gyna*; *cor.* globosa; *bacca* 5locularis. p. 49. 67. *Aytonia* (1adelph. 8andr.): 1gyna; *cal.* 4partitus; *cor.* 4petala; *bacca* sicca, 4angularis, 1locularis, polysperma. In memoriam IO. AYTON, Auctoris Horti Keuensis. 68. *Barringtonia* FORST. gen. 38. p. 50. 69. *Gustauia* (1adelph. polyandr.): 1*gyna*; *cal.* nullus, *petala* plura; *bacca* multilocularis; *semina* appendiculata. p. 51. In memoriam GVSTAVI tertii, Regis Svecorum. 70) *Carolinea* (1adelph. polyandr.): *monogyna*; *cal.* tubulosus, truncatus; *petala* ensiformia; *pomum* 5sulcatum, 2loculare. In memoriam SOPHIAE CAROLINAE, Marchionis Badensis, ob amorem plantarum clarissimae. 71. *Dalbergia* (2adelph. 8andr.): *flam. filamenta* 2, apice 4fida; *fructus* pedicellatus, non dehiscens, leguminosus, membranaceo compressus, seminiferus. p. 52. In memoriam CAROLI GVSTAVI DALBERG, Chiliarchae et equitis, Surinami degentis, et NICOLAI DALBERG, Regis Svecorum medici ordinarii, qui ambo botanices cultores Surinamensia communicarunt.

*) vid. comm. nostr. Vol. XXIV. p. 582.

p. 53. runt. 72. *Müllera* (2adelph. 10andr.): *pericarp.* elongatum carnosum, moniliforme; *globulis* monospermis. In memoriam OTHONIS FRIDERICI MÜLLER, viri de scientia naturali et botanica meritissimi. 73.
p. 54. *Ambroma* (polyadelph. 5andr.) *pentagyna: caps.* 5locularis, 1valuis, apice dehiscens; *semina* reniformia, *receptaculo* hirsuto. *Obseru. Flos Theobromae, praesertim nectariis, fructus Hibisci.* 74. *Barnadesia* (syng. polyg. aequal. capitat.) *cor.* radiata; *cal.* nudus, imbricatus pungens; *pappus* radii plumosus; *disci* setosus, retrofractus. In memoriam
p. 56. botanici Hispanici BARNADEZ dixit MVTIS. 75. *Vnxia* (syng. polyg. superfl. radiat.) *recept.* nudum planum; *pappus* nullus; *cal.* 5phyllus, *foliolis* ouatis. Flores radii et disci quinque. 76. *Mutisia*
p. 57. (Syng. pol. superfl. rad.): *rec.* nudum; *pap.* plumosus; *cal.* cylindricus, imbricatus; *corollulae radii* ouali-oblongae; *disci* trifidae. In memoriam IOSEPHI COELESTI MVTIS, Americes summi botanici, qui historiam plantarum Americanarum,
p. 58. imprimis palmarum pulcherrimam parat. 77. *Iungia* (Syng. polyg. segreg.): *rec.* paleaceum; perianth. commune, triflorum; *flosculi* tubulosi, bilabiati; *Labio exteriori* ligulato; labio interiori 2partito. In memoriam IOACHIMI IVNGII, botanici
p. 59. sui aeui meritissimi. 78. *Disa* (gynandr. 2andr.): *Spatha* 1valuis; *petala* 3, tertium minus, 2partitum, basi gibbosum. 79. *Forstera. Act. vps.* V. III. p. 184. In memoriam IO. REINHOLDI FORSTE-
p. 60. RI, patris et GEORGII FORSTERI, filii. 80. *Scopolia* *) (gyn. 8andr.): *cal.* 2phyllus, multiflorus; *cor.* 4fida; *antherae* connatae in duplici columna, quarum altera supra alteram posita. In memoriam Cl.

*) At quarta haec iam est planta, quae per aliquod tempus hoc nomine generico fuit insignita: vid. comm. nostr. Vol. XXIV. p. 247. Quousque tandem pro-

Cl. 10. ANTONII SCOPOLI. 81. *Artocarpus.* FORST. gen. n. 51. 82. *Phyllachne* FORST. gen. 58. 83. *Caſuarina* FORST. gen. 52. 84. *Aegopricon* (monoec. 1andr.) *mas: amentum, cal.* 3fidus; *cor.* nulla: *fem.* flores ſolitarii; *cal. cor.* vt in mare; *ſtyli* 3, *bacca* 3cocca. 85. *Pandanus* RVMPH. *Athrodactylis* FORSTERI gen. 75. dioeciae monandriae inſeritur. 86) *Maba.* FORST. gen. 61. 87. *Montinia* (Dioec. 4andr.) *mas: cal.* ſuperus, 4dentatus; *petala* 4. *femina: calyx* et *coroll.* vt in mare *fil.* ſterilia, *ſtylus* bifidus, *capſ.* oblonga, bilocularis. In memoriam LAVR. MONTIN, Sueci. 88. *Margaritaria* (dioec. 8andr.) *mas*: *cal* 4dentatus, *petala* 4. *fem. cal.* et *cor.* vt in mare, ſtyli 4-5, *bacca* cartilaginea, 4-5cocca. 89. *Euclea* (2oec. 12andr.) p. 67. *mas*: *cal.* 5dentatus; *cor.* 5petala. *ſtam.* 15. *Femina*: *cal.* et *cor.* vt in mare; *germ.* ſuperum, *ſtyli* 2, *bacca* 2locularis. 90. *Hedycarya.* FORST. gen. 64. 91. *Zamia* (Filix) *mas: Strobilus* ſquamis ſubtus polline tectis. *Fem. ſtrobilus* ſquamis in vtroque margine drupa ſolitaria. Aut haec planta non pertinet ad Filices, aut character male eſt indicatus. 92. *Rupinia, Alga,* quae FORSTERO gen. 74. *Aytonia* dicitur. 93. *Mauritia.* Palma. Maſculos flores p. 70. tantum deſcribit, in amento ſeſſili diſpoſitos: *cal.* 1phyllus, cyathiformis, *cor.* 1petala, 3partita; filam. 6. Numerus igitur generum Linneanorum eſt 1436.

Nouarum ſpecierum i. e. illarum, quae in LINNEI ſyſtemate prius nondum fuerunt nominatae, copia ad 1403 accedit, quarum nomina et deſcriptiones nos per inſtituti rationem repetere non poſſu-

 mus.

progredietur temeraria et arbitraria nominum genericorum immutatio? Itane a chao, in quod botanice recidere videtur, reſeruabitur, an potius in illud praecipitatur?

mus. Sufficiat igitur hic eas indicare, quas alii aliis nominibus insigniuerunt, et quae vsu medico vel oeconomico vel charactere singulari sunt
p. 79. insignes. *Renealmiae exaltatae*, quae est Globba sylvestris RVMPHII *amb. Vol. VI. p.* 140. *t.* 62. 63.
p. 90. fructus conditus placet incolis Surinami. Baccae illae pedicellatae, quae in officinis pharmaceuticis et culinaribus nomine *Cubebarum* notissimae sunt, ex planta Jauae in syluis nascente veniunt, eaque *Piper Cubeba*, foliis oblique ouatis s. oblongis venosis acutis, spica solitaria pedunculata oppositifo-
p. 135. lia, fructibus pedicellatis, dicitur. *Conuoluulus scoparius*, fruticosus, erectus, glaber, ramis virgatis, foliis sessilibus linearibus, racemo terminali, pedunculis subtrifloris, in Barrancas circa oppidum St. Crux nascens planta, illic Lignum Rhodium habetur: at, etsi rasura huius ligni spargat odorem rosaceum et saporem habeat acriusculum, tamen quaerit Editor, an verum lignum Rhodium offici-
p. 144. narum? *Psychotria emetica*, herbacea, procumbens, foliis lanceolatis glabris, stipulis extrafoliaceis subulatis, capitulis axillaribus pedunculatis pauciflori; copiose sub temperie calidissima Americae septentrionalis in prouincia Gironensi nascens, figuris MARGRAVII (*bras. p.* 17.) et PISONIS, (*bras. p.* 101.) quam de *Ipecacuanha* reliquerunt, valde similis est, vt fere sibi persuadeat Cl. Editor, hanc illorum esse Ipecacuanham: adiuncta etiam MVTISII relatio, empiricum quendam, qui se eandem plantam collegisse in Simiti, vbi copiose crescat, et vnde ex Mompoxia venalis fiat in Europam, palam asserentis, idem videtur confirmare. Ex florente specimine factam descriptionem Mutisianam egre-
p. 148. giam esse fatendum est. *Strychnos potatorum*, inermis, foliis oppositis ouatis petiolatis acutis, paniculis verticillatis, in montosis ad Madras habitans, fru-

fructum praebet ſapore primum dulcem, poſtea amarum et adſtringentem: qui quidem fructus immaturus ſale et aceto conditus Bengalae ſub nomine Atſchiar in tabernis venditur, etiam maturus, et praeſtat qualitatem ſingularem aquas purificandi, illis in locis valde neceſſariam, vbi nulla alia datur aqua, quam argillacea et calcarea. Aqua recepta in vaſculo fictili, hac nuce trito, intra pauca momenta praecipitatur et puriſſima euadit. Indiae botanici contendunt Strychnon colubrinam non eſſe diuerſam a S. Nuce vomica. Praeterea notare conuenit, ligna colubrina vulgo appellari apud Indos omnia illa ligna, quae in pocula tornata aquam infuſam cito pura amaritie impraegnant, eaque antidota putari. Hinc igitur in officinis noſtris pharmaceuticis ligna diuerſa nomine ligni Colubrini inveniri interdum maioris, interdum nullius efficaciae. *Ignatiam amaram* matrem dicit Cl. Editor medicamenti magnae virtutis, quod in pharmacopoliis nomine Fabae ſancti Ignatii cognitum in India quotidiano eſt in vſu, in Europa autem rariſſime adhibetur. Quod medicamentum ſi verum, neque aetate, neque inſectis perditur, ſed vis permanet eadem. Rite applicatum infallibile Indis creditur in omni ventriculi malo, febribus intermittentibus et exacerbantibus, morbis euacuatoriis ab atonia ortis, morbis ſoporoſis, cet. Nuclei eandem vim venenatam, actiones vitales animalium ſuffocandi, ac nux vomica habent, eademque doſi Feris letales ſunt. *Semecarpus anacardium*, ſ. Anacardium primum BAVH. pin. p. 511. praeſtat verum Anacardium orientale officinarum. Suecus diploës ad lintea ſericea, bombycina, litterarum notis nigris nunquam delendis inſignienda vſurpatur. Haec nigrities adeo inhaeret, vt ſapone artificiali vel ſalibus detergi nequeat, lintea tamen non corrodit,

p. 149.

p. 182.

p. 205. rodit, quamuis vt cauſticum in cute agat. Ex *Aloes ſpicatae* ſucco optima Gummi-reſina Aloes paratur, ex reliquis ſpeciebus vilior. *Duroiae Eriopilae* fructus bene ſapidus, et pro menſis Surinamen-
p. 210. ſium gratus. *Berberidis ilicifoliae* lignum incolis in Tierra del Fuego ob magnam elaſticita-
p. 216. tem ad arcus in vſu eſt. *Amyris ambroſiaca*, quae eſt *Icica* MARCGRAFII *), tota odoratiſſima, detruncata fundit balſamum album, odoratiſſimum, cuius vſus eſt in dyſenteria, pro doſi drachma vna in vino rubro. Fructus eiusdem ruber, pulpa viſcoſa, odore et ſapore balſamico, quae indureſcit in reſinam griſeam, ad ſuffimenta vtilem. Praeter ea demonſtrat Cl. ROVELLE apud AVBLETIVM, reſinam *de Coumier* ex hac arbore ortam eſſe, putatque, Ambram griſeam ſuccum reſinoſum huius, qui per terram colatus tandem aqua marina in ambram transformetur. Quae quidem cum et a RVMPHIO **) ita proponantur, Cl°. Editori confirmare videntur ſententiam DIOSCORIDIS et PLINII, qui iam olim ambram vel gummi, vel reſinam arboris quodam mo-
p. 233. do mutatam haberent. *Balſami peruuiani*, cuius originem LINNEVS pater adeo deſiderauit ***), arbor ab acutiſſimo et indefeſſo botanico MVTIS detecta eſt, diciturque *Myroxylon peruiferum*, eſtque eadem planta, quae ab HERMANNO (*mex. p.* 51.) *Hoitzi-*

*) vid. EIVS *braſil.* p. 592. et AVBLET. *guian.* Vol. I. p. 337. t. 130.

**) vid. Eius Herbar. amboinenſe. Vol. 2. p. 164.

***) At nos ne cogitare quidem poſſumus, qua ratione Editor in adnotatione ſubiecta opinatus ſit, inventa ab aliis vera huius balſami origine, aucta futura fuiſſe inuenta LINNEI patris. Etenim, qui ſecum ab aliis communicatas obſeruationes et inuenta typis mandari curat, is quidem, quantum nobis iudicare licet, inuentoris nomen haud meretur. Illud difficile, hoc nihil facilius. *Suum cuique.*

Hoitziloxitl dicta, iam depicta traditur, et quam PISO (*braſil.* 57. 119.) *Cabureibam* nominat. Cortex *Simarubae* officinarum eſt cortex radicis *Quaſſiae Simarubae*. Barbari vtuntur decocto huius amaro purgante in febribus et diarrhoeis curandis. Ex his cognitionem huius corticis habuerunt Europaei, quo morbos mox dictos et dyſenterias facile curarunt. *Quaſſiae amarae* figuram floris veram in diſſertatione de eadem dediſſe LINNEVM patrem monet filius; ramulum autem cum foliis ad aliam pertinere. Addit magnum huius arboris remedium ex ligno radicis ad nos veniſſe, iam vero euiluiſſe, cum lignum vile debile *ramulorum* aduehatur. *Aphyteia Hydnora* *) cruda et cineribus aſſata editur ab Hottentotis, eſtque in deliciis vulpium et viuerrarum. Ex relatione Cl. FORSTER, filii, ad *Barringtoniae ſpecioſae* deſcriptionem haec adduntur: noctu flores aperit ſponte deciduos, quos iam primo ſolis ortu amittit; verum et ab auiculis roſtro auulſi flores late ſparguntur, inde terra ſtaminibus ſanguineis conſita eſt, pulcherrimae ſtragis veſtigiis: de vi nuclei huius arboris piſces inebriandi ſupra diximus **). *Guſtauiae auguſtae*, quae eſt *Iaparandiba* PISONIS (*braſ.* 121. *Marcgr.* 109.), et *Pirigara* AVBLETI (*guian.* p. 486. t. 192. 193.), flores lilii odorem ſpargunt; lignum vero foetidiſſimum, etiam poſtquam ſiccatum eſt: Indis ad circulos ligneos in vſu eſt. *Carolineae principis*, quae apud HERNANDEZ (*mexic. p.* 68.) *Xiloxochitl*, et ab AVBLETIO (*guian.* p. 725. *t.* 291. 292.) *Pachira aquatica* dicitur, ſemina eſculenta ſunt, ſed non multa edenda, niſi prius toſta: nam nimis flatu-

p. 234.

p. 235.

p. 312.

p. 314.

*) vid. comm. noſtr. Vol. XXIV. p. 582. et Diſſ. LINNEI patris de Aphyteia. Holm. 1777. in 4. p. 10. f. 1-6.

**) ibid. Vol. XXIV. p. 227.

p. 317. lenta. *Dalbergia Monetaria*, foliis ternatis, foliolis glabris ouatis, fructibus oualibus aueniis, resi-
p. 319. nam dat, sanguinem draconis aemulantem. *Pterocarpus santalinus*, foliis ternatis subrotundis retusis glaberrimis, petalis crenatis vndulatis, quoad fructus et flores valde similis est *Moutouchi suberosae* AVBLETI (*guian. Vol. 2. p. 742. t. 200.*), in reliquis autem recedere ab eadem monet Editor. Cuius quidem arboris lignum verum esse Santalum rubrum detexit Cl. KÖNIG, estque hoc saturate rubrum, venis atris immixtum, graue, densum, polituram statim admittens, in aqua submergens, attritu humido pulchre rubrum tingens. Succus eiusdem speciem sanguinis draconis officinarum praebet: nam plurima ligna Indica rubra resinam rubram, qualitate sibi similem transsudare obseruat Noster, vt igitur officinalis haec resina a variis ar-
p. 368. borum speciebus colligatur. *Vnxia camphorata* decoctum aquosum, interne sudoriferum eximium, et magnae virtutis in lumbagine difficili Surinamensium praebet: herba eiusdem sicca externe,
p. 391. vbi transpiratio creditur impedita, adhibetur. *Stoebe Rhinocerotis*, foliis triquetris adpressis, ramulis tomentosis cernuis, racemis proliferis, capensis planta, alimentum Rhinocerotis primarium iuxta
p. 393. THVNBERGII obseruationem tradit. Lactescentes, campanaceae et contortae fere omnes diureticae et mundificantes praestantiores censentur, inde
p. 396. contra Siphilitidem laudantur. *Viola paruiflora*, caulibus diffusis debilibus polyphyllis, foliis ouatis petiolatis serratis, floribus axillaribus solitariis; in Americae meridionalis calidioribus regionibus a MVTISIO inuenta, radices habitu virtuteque Ipe-
p. 397. cacuanhae similes habere dicitur. *Violae Ipecacuanhae* radicem iuxta quorundam relationem, esse ipecacuanham albam officinarum notatur, matrem
p. 412. autem ipecacuanhae fuscae non esse habendam. *Artocar-*

tocarpi inciſi pericarpia excorticata et aſſata vel cum ſyrupo cocta comeduntur. Fructus foecundi excorticati aqua cocti, vel integri, vel in fruſta diſſecti eduntur, vel nuces pericarpio exemto eodem modo ac Caſtaneae placent, quibus ſapore ſunt ſimiles. *Pandani odoratiſſimi*, quem FORSTERVS p. 425.
Athrodactylin dixit, arbor, et quidem maſcula tantum, odoris cauſſa colitur, quo ita abundat, vt vna alteraque ſpica ſatis ſit ad replendum cubile ſpatioſum halitu odorifero per longum tempus, ſi loco humido reponatur, ideoque incolae non curant arbores in teſtis plantatas, ſed magno pretio ſpicam emunt. *Hermatis giganteae*, foliis lanceolato-ouatis ſupra lanuginoſis, ſubtus tomentoſis integris, tomentum ex foliis deraſum inſeruit pro fomite in capite bonae ſpei, vt fomes Chinenſium e lana Artemiſiae paratus. Spinae *Mimoſae eburneae, latronum* et *cornigerae* inanes eſſe, vnde Formicae in illis domicilia ſua quaerant, quae ad leuiſſimam arboris concuſſionem cateruatim atque cum impetu ſpinis egreſſae, vndique dilapſae, formicinae inſtar pluuiae in proximum adſtantem cadant et mordeant, morſu, prunae inſtar, ardente, ex obſeruatione IACQVINI refertur, additurque harum Mimoſarum arbores in montoſis Indiae formare ſyluas impenetrabiles, ramis ſuis intime implexis et horridis ſpinis, inter quas tuta quaerunt latrones domicilia, animalia varia minora et aues. Ex *Mimoſa catechu*, neque p. 439.
ex *Areca Catechu*, vt quondam dicebatur, terra ſ. potius gummi-reſina Catechu officinarum paratur. *Dioſpyros Ebenum*, glaberrima, foliis oblongis vtrinque glaberrimis coriaceis venoſo-reticulatis, floribus axillaribus ſolitariis ſeſſilibus, praebet verum lignum Ebenum, obſeruantibus KOENIGIO et THVNBERGIO. Quod quidem lignum eſt graue, compactum, durum, verſus corticem album, ſed verſus

centrum ſ. medullam nigerrimum, quae nigredo ſenſim occupat totum truncum. *Phallus Mukuſim* *), valua radicali, ſtipite pentagono, pileo acuto quinquepartito: laciniis conniuentibus: cito creſcit et totam vegetationem intra duodecim horas abſoluit, abſoluta flacceſcit et putreſcit. Eſt Chinenſibus edulis quidem, at raro, cum ſaepe venenatus et verminoſus reperiatur, ſed laudant, vt praeſtans remedium in vlceribus cancroſis, ſi tantum externe adhibeatur, ob quam efficacem vim In-
P. 453. colis notiſſimus. In capite bonae ſpei *Lycoperdi carcinomalis*, clauati, ſtipite cylindrico recto, pul-
P. 454. vis ad vlcera cancroſa adhibetur. *Cocos butyraceae*, inermis, frondibus pinnatis, foliolis ſimplicibus, quae eſt *Pindoua* PIS. *braſ. p. 62. cum fig.* nuces contuſas et ruditer contritas in aquam iniiciunt Americes incolae, vt earum nuclei lenta maceratione absque vlla ignis actione, vel expreſſione tandem ſoluantur. Butyrum aquae innatat, materia grauiore in fundem ſecedente. Triplici lotione omnis materies butyracea extrahitur, quae ſub gradu vigeſimo Thermometri Reaumuriani ſupra gradum congelationis conſiſtit inſtar butyri albidi, at ſub gradu vigeſimo tertio iam inſtar olei liqueſcit. Pulpa ſucculenta eſt valde mucilaginoſa et ſubdulcis, eaque porcis impinguandis inſeruit. Oleum Indis quotidiano in vſu eſt, et in culinari diaetetico, et medico: in Europaeis officinis pharmaceuticis recens ſemper valuit; rancidum vero nocuit.

His, quae medicos et oeconomos potiſſimum attinent, pauca phyſicorum botanicorum cognitionem ſpectantia de ſingularibus nonnullarum plan-
P. 89. tarum characteribus referamus. Atque ſic quidem *Thouinia nutans*, Zeylonenſis planta a THVNBERGO in-

*) vid. Nou. com. ac. petropol. Vol. 19. p. 373. t. 5.

inuenta, ſingularis eſt eo, quod ſtamen ſingulum combinat duo petala: *Anciſtrum ſanguiſorbae*, a FORSTERIS *A. anſerinaefolium* dictum et in nova Zeelandia inuentum, ariſtis calycinis luteis, glochidatis, ſ. hamis vulpium ſimilibus ſe diſtinguit. Stamina in *Moraeis* inferne connata ſunt, vt in Monadelphis: genus hoc itaque *Siſyrinchio* proximum et forte non ſeparandum. *Scirpus globiferus*, culmo tereti nudo, vmbella terminali compoſita: capitulis globoſis ex ſpiculis pluribus arcte congeſtis, in Teneriffa a FRANC. MASSON inuentus, globulis diſtinguitur, qui circa baſin emittunt nouos radios globiferos, iterum ſimiliter diuidendos, vnde infloreſcentia refert vmbellam compoſitam vmbellis, baſi proliferis. *Pommereulla Cornucopiae*, Indicum a KÖNIGIO transmiſſum gramen, flore inſtruitur, figura ſingulari florem caryophyllaeum plenum referens, ſ. potius inſtrumentum luſorium *Volang* dictum. *Tillaeas* inter et *Craſſulas* tantam eſſe ait Editor affinitatem, vt praeter numerum partium vix differentia inuenienda. *Gethylli-des* omnes habent faciem *Colchici*, ſed corolla monopetala et bacca facile dignoſcuntur: flores fructum proferunt absque foliis; bacca gratiſſimi eſt odoris et bene ſapit. *Melanthium monopetalum*, foliis cucullatis lanceolatis, in capite bonae ſpei a SPARRMANNO inuentum, differt quidem a reliquis corolla monopetala; haec tamen non ſufficit ad genus ſeparandum, cum variet proportio tubi in hac, vt in *M. Sibirico*, et quod acu facile findatur in lacinias. *Sparmanniae Africanae* flores ante floreſcentiam ſunt pedunculis deflexis, ſub floreſcentia eriguntur pedunculi, at flores nutant; peracta floreſcentia eriguntur flores pro germine maturando, eodem, quo in *Dodecatheo* modo: eſt quaſi a pluribus generibus compoſita, nam herba ſimilis *Trium-*

p. 101.

p. 104.

p. 106.

p. 130.

p. 198.

p. 213.

p. 266.

fettis

fettis ſ. *Commerſoniae* exactius, pedunculus et inflo-
reſcentia *Geraniorum*, fructus *Hibiſci*, at aculeatus
p. 269. vt in *Geis.* LINNEVS pater *Drimidem Granaden-*
ſem, pedunculis axillaribus elongatis, trifidis, piſtil-
lis octo, nouum conſtitui genus voluit, quam filius,
quum *Drymidi Winteri* admodum propinquam vide-
ret, cum ea vni ſubmiſit generi, monuitque, nume-
rum quidem partium, ſed non naturam hanc a ſe fa-
p. 300. ctam coniunctionem negare. *Cleome felina*, poly-
andra, hiſpida, foliis ternatis cuneiformibus ſtrigo-
ſis, floribus axillaribus ſolitariis pedunculatis, ſili-
quis linearibus compreſſis: ex Zeylona a KÖNIGIO
miſſa, ſingularis eſt foliis hiſpidis; pilis baſi valde
dilatatis, rigidiſſimis, foliis adpreſſis, ad apicem ver-
ſis, vt exacte his linguam referant felinam.
p. 316. *Dalberga Lanceolaria*, foliis pinnatis, foliolis
ellipticis ſubtus piloſis, fructibus lanceolatis, in Zey-
lona KÖNIGII ſollertia inuenta, fructum praebet
membranaceum, qui figura lanceolae inſignis, baſi
attenuata, non dehiſcit, neque cultro in duas epi-
dermides diuidi poteſt, longitudinem digiti aequat,
aut minor eſt: in huius membranulae medio ſe-
men vnum, compreſſum ouale immiſſum eſt: ſi ſe-
mina bina ſunt, haec ſpatio remota, per longitudi-
p. 329. nem poſita. *Müllera moniliformis* (vid. MER. *Surin.*
t. 35), a DALBERGO Surinami inuenta, floribus
ſparſis, nutantibus magnitudine *Cytiſi Laburni* eſt
praedita; floreſcentia peracta cadunt petala per-
manente calyce, excreſcit germen, in flore viſibile,
quod tamen in fructum non mutatur; ſed excre-
ſcunt, germine elongato, quaſi e receptaculo, glo-
buli plures, concatenati, compreſſiusculi, (quorum
nullum veſtigium in flore) magnitudine primum
ſemina Erui, et perfecta aemulantes Pruna maiora.
Globuli hi exacte globoſi, glaberrimi, a receptaculo
petiolati. Ex apice alterius globuli exit petiolus
breuis

breuis, qui alterum combinat, et sic vltra. Nulla
futura in globulis visibilis, nec finduntur, vt in Le-
guminibus; sed fructus substantia crassa, duriori
constat, in cuius medio cauitas, vt in prunis oblon-
gis, repleta semine vno, reniformi, magnitudine
Phaseoli maioris, hilo affixo angulo, vt in legumini-
bus. Mirae structurae certe hic fructus. Raro
in racemo constat pericarpium. *Sophoris* multum
similis est *Müllera*, at illis adsociari negant stamina
perfecte diadelpha, et fructus non leguminosus h.
e. longitudinaliter rumpens. In *Hedysaro vesper-* p. 331.
tilionis, foliis simplicibus lunatis, lobis retrofalcatis,
racemo terminali, leguminibus retrofractis in caly-
ce inflato inclusis; in regno Cochin China a IO. DE
LOUREI inuento, peracta florescentia clauduntur
dentes calycis et hic more Physalidis inflatur, vnde
premente pistillo apicem flectitur per articulos te-
nerum germen. Plantam, cuius singularem in foliis p. 332.
motum iam supra *) ex obseruatis POHLII descripsi-
mus, seminibus a Cel. FORSTERO Editori commu-
nicatis, hic etiam ad *Hedysarum* refert, *gyrans*, foliis
ternatis nominans; flores tamen neque LINNEVS
vidit, eadem ceterum phaenomena in singulari hac
planta obseruauit, quae POHLIVS iam diu indicauit.
Chrysocomas et *Eupatoria* difficillime distingui ob- p. 354.
seruatur, nisi calyce cylindrico et hemisphaerico:
nam rarissime in *Chrysocoma* pappus pilosus absque
dentibus, et rarius in *Eupatorio* pistillum elonga-
tum et flosculis longius. *Pteroniae* speciebus 14, p. 356.
in capite bonae spei a THVNBERGIO inuentis, hanc
subiungit Editor obseruationem; habitum *Pteroniarum* singularem esse et proprium: varias species
Pteroniae esse receptaculo nudo, vt ideo non *Pte-
roniae*, sed *Chrysocomae* esse deberent: Aut ergo
nouus est character genericus detegendus, aut ge-
nus

*) vid. comm. nostr. Vol. XXIV. p. 305.

p. 366. nus, quamuis naturale, lacerandum. *Xeranthemi* ſpecies colore calycis et elongatione pedunculorum ſaepe ludere ait, itaque cauenda ſpecierum multiplicatio. *Coreopſis baccata*, foliis ouatis ſerratis, ſeminibus bacciformibus, Surinami a DALBERGO lecta, refert exacte fructum *Rubi* figura, acinis
p. 391. baccatis, globoſis. *Stoebe Gomphrenoides*, foliis lanceolatis imbricatis appreſſis, capitulo terminali ſeſſili; et *St. Gnaphaloides* ſunt ambae ſingulares foliis lanceolatis, extus conuexis glabris, intus cana-
p. 393. liculatis albotomentoſis. *Lobelia Columneae*, foliis oblongis obtuſis crenatis glaberrimis, ſubtus tomentoſo albis, caule corollisque puluerulentis; et *Lobelia ferruginea*, caule villoſo, foliis lanceolatis ſerratis acutis, anaſtomoſibus venarum vtrinque tomentoſo-ferrugineis, genitalibus elongatis; ambae ſingulares ſunt villoſitate, qua partes earum herbae et
p. 410. floris teguntur: ſunt quaſi Echini radiati ſ. piloſi. *Arum muſciuori*, foliis haſtatis, pedato-ſeptemfidis *), ſpatha intus ſpadiceque piloſa, flos cadaueris inſtar foetet, quo alliciuntur Muſcae, vices cupidinis in clauſo flore agentes, hae vero deceptae exitum quaerentes, ſed pilis reuerſis clauſum, fruſtra; ita captae in flore pereunt. In *Margaritaria nobili* mas a femina multum differt: mari enim neque folia alterna, neque calyces plani, ſed tubuloſi; neque ſtyli quatuor ſ. quinque, vt in femina, ſed vnus, longior, ſetaceus, abortiens. *Mauritia flexuoſa*, palma, ſingularis eſt ſtipite arboris aphyllo: rami eiusdem ſunt angulati, flexuoſi, glabri: articulis breuibus, ſurſum incraſſatis; ſubrecuruatis, terminatis vaginis amplexantibus: geniculo cyathiformi acutiori: ex alis horum exeunt per totum caulem amenta ſtrobili-
for-

*) in differentia dicit LINNEVS, *pedatifidis*; ſed nouus hic terminus eſt contra analogiam, atque maxime obſcurus.

formia, bifaria, patentiſſima, ſeſſilia, baſi ſquamis binis, maioribus, erectis ſurſum falcatis.

Proponamus denique eas mutationes, ſatis, vt videtur, arbitrarias, quae nomenclaturam botanicae concernunt, ita tamen, vt iudicium de iisdem criticis botanicis relinquamus. Atque primum quidem eas plantas indicabimus, quarum nomina generica Editori immutare libuit. Ita

Büchnera *canadenſis Syſt. veg.* 13. *p.* 478. dicitur Verbena *Aubletia**). p. 86.

Schoenus *aculeatus. ibid.* — Anthoxanthum *aculeatum.* p. 89.

Siſyrinchium *viperatum.* *Pluk. phyt.* 224. *f.* 8. — Gladiolus *montanus.* p. 95.

Ixia *longifolia. Iacq. hort. III. p.* 47. *t.* 90. — Moraea *flexuoſa.* p. 100.

Wachendorfia *vmbellata. Syſt. veg.* 13. *p.* 80. — Dilatris *vmbellata.* p. 101.

Schoenus *coloratus. ibid. p.* 82. — Kyllinga *monocephala.* p. 104.

Schoenus *niueus. ibid. p.* 81. — Kyllinga *triceps.*

Aegilops *incuruata. ibid. p.* 762. — Rottbölla *incuruata.* p. 114.

Panicum *dimidiatum. ibid. p.* 114. — Rottbölla *dimidiata.*

Aegilops *exaltata. ibid. p.* 762. — Rottbölla *corymboſa.*

Secale *proſtratum. Pallas it. I. p.* 485. — Triticum *proſtratum.*

Donatia *faſcicularis. Forſt. gen.* 5. — Polycarpon *magellanicum.* p. 115.

Crataeogonum *amboinicum maius. Rumph. amboin. VI. p.* 25. *t.* 10. — Spermacoce *articularis.* p. 119.

Cratae-

*) vid. comm. noſtr. Vol. XXIV. p. 99.

p. 120. Crataeogonum *amboin.* dicitur Spermacoce *ſtricta. minus ibid.*

p. 126. Blackburnia *pinnata.* — Ptelea *pinnata. Forſt. gen.* 6.

p. 130. Bugloſſum *chium. Tourn.* — Lithoſpermum *tenuifolium.* *cor. p.* 6.

Rindera *tetraſpis. Pall.* — Cynogloſſum *Rindera. it. I. p.* 486.

p. 133. Bugloſſum lanuginoſum — Tournefortia *argentea. Rumph. amb. VI. p.* 119. *t.* 55.

p. 161. Fuſanus *compreſſus. Syſt.* — Theſium *colpoon veg. ed.* 13. *p.* 765.

p. 162. Thunbergia *capenſis. Act.* — Gardenia *Thunbergia. Holm.* 1773. *p.* 282.

p. 163. Muſſenda *formoſa. Syſt.* — Gardenia *Muſſenda veg.* 13. *p.* 182.

p. 165. Rothmannia *capenſis Act.* — Gardenia *Rothmannia. Holm.* *).

p. 172. Salſola *oppoſitiflora Pallas it. II.* 735. — Chenopodium *oppoſitifolium.*

p. 176. Centella *glabrata. Syſt.* — Hydrocotyle *glabrata. veg.* 13. *p.* 708.

Solandra *capenſis. ibid.* — Hydrocotyle *Solandra. p.* 767.

p. 177. Iaſione *capenſis. Act. Vpſ.* — Aſtrantia *ciliaris. III. p.* 187.

p. 181. Aciphylla *ſquarroſa.* — Laſerpitium *Aciphyllum. Forſt. gen.* 68.

p. 197. Helonias *minuta. Syſt.* — Hypoxis *minuta. veg.* 13. *p.* 288.

p. 204. Hyacinthus *orchioides.* — Phormium *Hyacinthoides. ibid. p.* 277.

p. 212. Nemolapathum *Ehrh.* — Rumex *Nemolapathum. phytophyl.*

Sau-

*) vid. ſupra p. 62.

Saururus *natans Syſt.* *veg.* 13. *p.* 291.	dicitur Aponogeton *monoſtachyon.*	p. 214.
Skinnera *excorticata.* *Forſt. gen.* 29.	— Fuchſia *excorticata.*	p. 217.
Acronychia *laeuis. ibid.* *n.* 27.	— Lawſonia *Acronychia.*	p. 219.
Bankſia *Gnidia. ibid. n.* 4.	— Paſſerina *Gnidia.*	p. 226.
Bankſia *piloſa. ibid.*	— Paſſerina *piloſa.*	
Bankſia *proſtrata. ibid.*	— Paſſerina *proſtrata.*	p. 227.
Cuphea *viſcoſiſſima Iacqu.* *hort. II.**).	— Lythrum *Cuphea.*	p. 249.
Pemphis *acidula. Forſt.* *gen. n.* 34.	— Lythrum *Pemphis.*	
Pagapata. *Sonnerat. it.* *p.* 16.	— Sonneratia *acida.*	p. 252.
Decaſpermum *frutico-ſum. Forſt. gen.* 37.	— Pſidium *decaſpermum.*	
Meſpilus *canadenſis. Syſt.* *veg.* 13. *p.* 388.	— Pyrus *Botryapium.*	p. 255.
Meſpilus *Amelanchier.* *ibid.*	— Pyrus *Amelanchier.*	p. 256.
Meſpilus *arbutifolia. ibid.*	— Pyrus *arbutifolia.*	
Dicera *ſerrata. Forſt.* *gen.* 40.	— Elaeocarpus *Dicera.*	p. 266.
Gymnandra *borealis.* *Pall. it. III.* 710.	— Bartſia *Gymnandra.*	p. 278.
Nigrina *viſcoſa. Syſt. veg.* 13. *p.* 167.	— Gerardia *Nigrina.*	
Selago *Lychnidea. ibid.* *p.* 476.	— Erinus *Lychnidea.*	p. 287.
Ebenus *capenſis. ibid.* *p.* 545.	— Spartium *Cytiſoides.*	p. 320.
Liparia *oppoſita. ibid.* *p.* 554.	— Crotalaria *oppoſita.*	p. 322.

Theo-

*) vid. comm. noſtr. Vol. XXII. p. 295.

p. 341. Theobroma *auguſta.* dicitur Ambroma *auguſta.* *ibid. p.* 341.

p. 342. Leptoſpermum *collinum* — Melaleuca *lucida.* *Forſt. gen.* 36.

Leptoſpermum *ciliatum.* — Melaleuca *villoſa.* *ibid.*

p. 343. Leptoſpermum *ſcoparium. ibid.* — Melaleuca *ſcoparia.*

Leptoſpermum *virgatum. ibid.* — Melaleuca *virgata.*

p. 348. Kölpinia *linearis. Pall. it. III.* 355. — Lapſana *Kölpinia.*

p. 371. Cineraria *alpina Syſt. v.* 13. *p.* 636. — Senecio *alpinus.*

p. 396. Cyphia *bulboſa. Berg. cap. p.* 172. — Lobelia *bulboſa.*

p. 405. Orchis *burmanniana.* — Arethuſa *ciliaris.* *Syſt. veg.* 13. *p.* 674.

p. 434. Croton *Benzoe. ibid.* — Terminalia *Benzoin.* *p.* 721. *).

p. 443. Cycas *cafra. Thunb. act. vpſ. II.* 284. — Zamia *Cycadis.*

p. 447. Polypodium *caffrorum* — Adianthum *caffrorum.* *Syſt. veg.* 13. *p.* 788.

Polypodium *fragrans.* — Adianthum *fragrans.* *ibid. p.* 789.

p. 452. Aytonia *rupeſtris. Forſt. gen.* 74. — Rupinia *Lichenoides.*

Praeterea etiam quaedam plantae prius diuerſae creditae, et diuerſis generibus vel ſpeciebus ſub-

*) Eandem plantam IACQVINVS in *hort.* III. p. 51. *Terminaliam anguſtifoliam;* et AVBLETVS, (*guian. p.* 946. *t.* 359?) *Pameam guianenſem* nominat. quot nomina vni plantae!

ſubmiſſae, nunc in vnam plantae ſpeciem coniunctae ſunt: huc pertinet.

Moraea *iriopetala*, foliis gramineis, petalis tribus maioribus barbatis: cui, tanquam varietates, ſubmiſſae ſunt *Moraea iuncea*, et *M. vegeta*, *Syſt. veg. ed.* 13. *p.* 79. p. 100.

Anthiſtiria *ciliata* fuit Andropogon *quadriualue Syſt. veg. ed.* 13. *p.* 758. et Andropogon *nutans. Mant. plant. p.* 303. p. 113.

Euonymo *europaeo*, tanquam varietas ſubiectus eſt *Euonymus verrucoſus* SCOPOLI carn. ed. 2. n. 268. p. 154.

Hydrocotyle *villoſa*, tomentoſa, foliis cordatis integerrimis tomentoſis ſ. villoſis: eadem eſt planta cum *Centella villoſa*, *Syſt. veg.* 13. *p.* 708. et *Mercuriali afra*, *ibid.* p 746. p. 175.

Caſſine *capenſis*, ramulis tetragonis, foliis petiolatis ouato oblongis, retuſis, crenatis; eſt vna planta cum *C. capenſi*, et *C. barbara*, *Syſt. veg.* 13. *p.* 243. p. 184.

Amaryllis *ciliaris*, ſpatha multiflora, corolla ſexpartita reflexa, foliis ciliatis; comprehendit *Amaryllides ciliarem Spec. plant. ed.* 2. *p.* 422. et *guttatam Syſt. veg.* 13. *p.* 265. et *Haemanthum ciliarem*, *Syſt. veg.* 13. *p.* 261. p. 195.

Diſandra *proſtrata*, praeter plantam eiusdem nominis in *Syſt. veg. ed.* 13. *p.* 290. vna eſt ſpecies cum *Sibthorpia peregrina Spec. plant. ed.* 2. *p.* 880. p. 214.

Ad Dracocephalum *grandiflorum*, refertur etiam Dracocephalum *grandiflorum* et *altaienſe Syſt. veg.* 13. *p.* 454. LAXMAN *Act. petrop.* XV. p. 555. T. 29. f. 2. p. 274.

Sub Glycyrrhiza *aſperrima* leguminibus glabris? foliolis ellipticis cuſpidatis, caule hiſpido ſcabro; p. 330.

coniungitur *Glycyrrhiza aſpera Pall. it. I. p.* 499. *t. M. f.* 3. et *Gl. hiſpida* ib. III. p. 754. t. G. g. f. 1. 2.

p. 355. *Eupatorium altiſſimum Syſt. veg.* 13. *p.* 614. et *Ageratum altiſſimum Spec. plant. ed.* 2. *p.* 1176. vniuntur ſub Eupatorio *Ageratoide* foliis ouatis ſerratis petiolatis, caule glabro.

p. 415. *Croton haſtatum* et *Cr. vrens Syſt. veg. ed.* 13. *p.* 722, dicuntur Tragia *cannabina* foliis tripartitis.

p. 416. Ad Ciccam *diſticham* refertur *Averrhoa acida, Syſt. veg. ed.* 13 *p.* 357. atque

p. 432. Spinifex *ſquarroſus* vnam plantam cum *Stipa ſpinifice Syſt. veg. ed.* 13. *p.* 104. ſiſtit.

Nonnullae etiam plantarum ſpecies diuiſae ſunt

p. 327. in plures, e. g. *Orobi anguſtifolii* var. β. *Syſt. veg.* 13. *p.* 550. conſtituta eſt noua ſpecies, dicta: Orobus *caneſcens*, caule ramoſo, foliis biiugis linearibus,

p. 387. ſtipulis ſemiſagittatis ſubulatis. *Othonnae bulboſae* varietas β. *Spec. plant. ed.* 2. *p.* 1309. dicitur Othonna *pinnata*, foliis pinnatifidis; pinnis lanceolatis in-

p. 388. tegerrimis decurrentibus: atque *Othonnae bulboſae var.* γ. dicitur Othonna *linifolia*, herbacea,

p. 404. foliis linearibus marginatis gramineis. Ex *Serapiade grandiflora* factae ſunt duae ſpecies, quarum altera Serapias *Xiphophyllum* bulbis fibroſis, foliis enſiformibus diſtichis, bracteis minutiſſimis, floribus erectis; nectarii labio obtuſo, petalis breuiore: altera Serapias *Lonchophyllum* bulbis fibroſis, foliis ouato lanceolatis, bracteis longitudine capſulae, floribus erectis; nectarii labio obtuſo petalis breuio-

p. 450. re, dicitur. *Lichen ericetorum* (ſtipitatus) *Syſt. veg. ed.* 13. p. 806. nominatur Lichen *Baeomyces*, leproſus, albicans, tuberculis ſtipitatis carneis: et *Lich. ericetorum* (ſeſſilis) *ibid.* iam audit Lichen *Icmadophila*, leproſus, cinereus, tuberculis ſeſſilibus planis carneis.

In-

Ingens etiam eſt cohors plantarum, quarum nomina triuialia mutata ſunt: Ita enim

dicebatur antea:	iam vero appellatur.	
Iuſticia *ciliata* a IACQVINO	— Iuſticia *ciliaris.*	p. 84.
Dianthera *bicalycata* a RETZIO	— Dianthera *malabarica.*	p. 85.
Ixia *vndulata* a BVRMANNO	— Ixia *criſpa.*	p. 91.
Avena *capenſis* EIVSDEM	— Avena *hiſpida.*	p. 111.
Exacum *pedunculatum* *Syſt.* 13.	— Exacum *album.*	p. 123.
Exacum *ſeſſile. ib.*	— Exacum *cordatum.*	p. 124.
Ammannia *coccinea* ROTTB.	— Ammannia *octandra.*	p. 127.
Embothrium *vmbelliferum* FORSTERI	— Embothrium *vmbellatum.*	p. 128.
Lyſianthus *alatus* AVBLETI	— Lyſianthus *chelonoides.*	p. 134.
Conuoluulus *fruticoſus* PALL.	— Conuoluulus *ſpinoſus.*	p. 137
Datura *inermis* IACQVINI.	— Datura *laeuis.*	p. 146.
Chenopodium *purpuraſcens.* EI.	— Chenopod. *Atriplicis.*	p. 171.
Tulbagia *capenſis. Syſt. v.* 13.	— Tulbagia *cepacea.*	p. 194.
Gethyllis *afra. ibid.*	— Gethyllis *ſpiralis.*	p. 198.
Ornithogalum *reticulatum* PALL.	— Ornithog. *circinatum.*	p. 199.
Weinmannia *pinnata.* *Syſt.* 13.	— Weinmannia *glabra.*	p. 228.
Plinia *rubra ib. p.* 386.	— Plinia *pedunculata.*	p. 253.
Meſembryanthemum *Aitonis* IACQ.	— Meſembr. *papuloſum.*	p. 259.

p. 267. Fothergilla *Gardeni Syſt.* — Fotherg. *alnifolia.* *v.* 13. *p.* 418.

p. 323. Crotalaria *capenſis.* — Crotalaria *incaneſcens.* IACQV.

p. 327. Orobus *pannonicus.* — Orobus *albus.* IACQ.

Cytiſus *nigricans.* PAL. — Cytiſus *Wolgaricus.* LAS.

p. 333. Hedyſarum *argenteum.* — Hedyſ. *argentatum.* *Syſt. v.* 13. *p.* 562.

p. 353. Cacalia *tomentoſa.* IAC. — Cacalia *albifrons.* QVINI

Cacalia *pinnatifida.* — Cacalia *bipinnata.* BERG.

p. 370. Senecio *rubens.* IACQV. — Senecio *cernuus.*

p. 406. Diſa *vniflora* BERG. — Diſa *grandiflora.*

p. 413. Carex *pulicaris Syſt. v.* 13. *p.* 703. — Carex *pſyllophora.*

Carex *cyperoideus. ib.* — Carex *cyperoides.*

Reſtant plura incerta, quae iam ipſe Editor Clariſſimus circa plantas plures adnotauit, vt taceamus ea, quae nobis talia videntur. Sed praetereamus ea neceſſe eſt: botanici enim ipſum librum lecturi ſunt, et botanophili his, quae recenſuimus, ſatis, vt opinamur, cognouerunt, quae maxime notatu digna hoc ſupplemento contineantur. Prius autem, quam commentario huic finem imponamus, ſingularem Editoris methodum tangamus, qua aliorum virorum meritiſſimorum obſeruata ſilentio tranſeat, quantumuis cum ſuis conueniant: ſcilicet ideo, vt videtur, vt ipſius habeantur inuenta et

p. 240. obſeruata. Quare enim alias, vt hanc ſolam nominemus, SCHREBERI monographiam *Saxifragae ſarmentoſae* tacuiſſet, quae diu publici iuris facta eſt,

p. 366. et plantae huius hiſtoriam egregie illuſtrat? Deinde

de cur *Baccharidem Dioſcoridis*, ſi, vt monet, perperam ita dicitur, hoc nomine inſignitam relinquit, in tot ac tantis ex arbitrio factis mutationibus? Cur alia multa, quae ipſe iam dubia, vel falſa propoſuit, ita dedit? Ideo certe, vt hoc ipſo ſupplemento plantarum nomina et cognitio confundatur, quantum poterat fieri, atque vt haec confuſio in noua, quam meditatur, Syſtematis editione in ordinem redigatur. Sed aut vehementer fallimur, aut metuimus, ne, ſi vno et ſolo Editoris ſtudio opus hoc conficiendum et characteres ex ſiccis plantarum ſpeciminibus, ſaepe imperfectis, formandi erunt, haec confuſio potius augeatur, quam tollatur. Etenim aliorum Botanicorum meritiſſimorum obſeruationes in viuis plantis inſtitutae, iis, quas ex ſiccis extricuerit LINNEVS, repugnabunt: neque igitur, contra veritatem, Linneanas mutationes ſequi poterunt botanici. Vtile ſane et neceſſarium eſſet, tantis per decennium factis obſervationibus et inuentis plantis, nouum ſyſtema: ſed huius compoſitio labor eſt, viribus vnius viri, ſi vel ſummi botanici, maior, niſi totidem quotannis fere repetitas ſyſtematis editiones, et mantiſſas, quot LINNEVS pater dedit, exſpectare velis. At ex viuis plantis, nouiter detectis, ſumma ſolertia obſeruatis, et iuxta botanices leges diſquiſitis, colligendi ſunt a pluribus characteres, indeque formandum ſyſtema. Habemus in Germania ſola, quae per plura ſaecula ſummorum botanicorum fertilis fuit mater, etiamnum botanicos clariſſimos, DVROIVM, EHRHARTVM, FORSTEROS, GLEDITSCHIVM, HEDWIGIVM, IACQVINVM, KOELREVTERVM, MEDICVM, MVRRAYVM, SCHREBERVM, WEBERVM, et alios: nonne hi, iunctis Anglorum, Danorum, Gallorum, Italorum, Ruſſo-

rum et Suecorum obſeruationibus et conſiliis, inſtitutis iteratis in hortis diſquiſitionibus, ſyſtema formaturi eſſent, quod firmius eſſet iſto, cuius compilationi vnus, qui in Suecorum angulo mundi non alias nouas videt plantas, niſi per alios ad eum miſſas, operam, etſi aſſiduam, dat, et quod characteribus ex ſiccis plantis formatis innititur? Ita enim diſciplinae amoeniſſimae et vtiliſſimae augmento non tantum, ſed perfectioni etiam proſpiceretur omnium optime, neque ad orbem litterarium ſolum, verum ad omnem potius rempublicam fructus vberrimi eſſent redundaturi.

p. 47.

XVI.

Lettere odeporiche di ANGELO GVALANDRIS. In Venezia CIↃIↃCCLXXX, appreſſo Giambatiſta Pasquali. 8. pagg. 342. ſine praefatione et indice, tab. aen. quatuor.

i. e.

Epiſtolae in itinere ſcriptae ab ANGELO GVALANDRIS.

Eo potiſſimum Auctor conſilio ſcripſit ad amicum quendam, cuius tamen nomen reticuit, has litteras, vt ſuas ipſi cum ſuper vrbium, quas peragrauit, ſitu, tum ſuper telluris, montiumque variorum ſtructura obſeruationes cognitas redderet, ſimulque de collectionibus naturalium, eorumque mineralium inprimis corporum, quas videre ipſi in variis vrbibus contigit, breuem relationem daret. Praeterea inſeruit etiam his litteris quaedam ſuper excoquendorum ex mineris metallorum ratione in nonnullis regionibus, per quas iter inſti-

inſtituit, vſu recepta, et ſuper aliis quibusdam chemicis laboribus, quemadmodum etiam ſuper agri cultura, cet. annotata, quae lectu profecto non minus, atque illae obſeruationes, digna ſunt.

Ipſius itineris haec fuit directio, vt menſe iulio CIↃIↃCCLXXV marchiam taruiſinam Auctor relinqueret, et per Heluetiam, Alſatiam, partemque Palatinatus Alſatiae adiacentem Galliam intraret, qua deinde relicta Angliam adiit, et Londini potiſſimum commoratus eſt. Aliquo autem tempore poſt, quum patriam repetere ſibi propoſuiſſet, Galliam rurſus petiit, et tandem per Sabaudiam et Pedemontium anno CIↃIↃCCLXXVII vernali tempore domum venit.

In prima epiſtola, quae Agordi in marchia tar- p. 1.
viſina ſiti d. XVIII menſ. Iul. CIↃIↃCCLXXV ſcripta eſt, ſitum huius pagi Auctor depingit, monetque multis eum eſſe montibus circumdatum. Vallis, *imperina* dicta, quae duorum milliarium intervallo a pago illo diſtat, verſus ſeptentrionem alto monte, eoque calcareo, *Erta* cognominato, limitatur, cui in oppoſita regione alius, is tamen minus altus, et ex ſchiſto, quarzoque compoſitus, reſpondet. Ex hoc, qui *Riua* dicitur, cupri dues pyrites effoditur; argenteas mineras ex ſuperiori eius parte olim etiam effoſſas fuiſſe ab incolis huius regionis Noſter accepit, etſi hodie nulla in hoc monte argento abundans vena foſſoribus cognita eſt. In vicinia alius, vt videtur, pagi, *Lovere* dicti, gypſei et calcarei montes, iique varias ob rationes ſcrutatoris naturae attentione digni, poſiti ſunt. Vidit p. 21.
Noſter metallum, quod ex mineris ex gypſeis montibus effoſſis excoctum fuiſſe dicebatur, cuius veram indolem etſi detegere non potuit, (nam perexiguum fruſtum erat, quod ipſi demonſtrabatur, vt omnino iudicium de eo ferre non auderet), tamen

p. 23. bismuthum illud ſuſpicatur fuiſſe. Bergami apud IOH. BAPT. DONATVM, Vicarium mineralem, inter alia perrara naturae producta, offendit alabaſtrum admodum elegans, variisque coloribus, velut rubro, carmino ſimili, conſpicuum, cet.

p. 56. Turici, duce HIRZELIO iuniori, botanicum hortum adiit, eumque reperit multis exoticis plantis inſignem. Director eius LOCHERVS eſt, qui vero eo tempore, quo Noſter Turici verſabatur, ab vrbe aberat. Perquiſiuit deinde egregias librorum, naturalium rerum, inſtrumentorum variorum, cet. collectiones, quibus ſocietas phyſica turicenſis vtitur, easque ad eum finem, cuius cauſa adornatae ſunt, eſſe aptiſſimas refert. GESNERVS, vir celeberrimus, ſumma Noſtrum humanitate excepit, ipſique copiam ſuae plantarum aliorumque naturalium corporum collectionis, quemadmodum etiam bibliothecae perſcrutandae

p. 67. lubenter fecit. Attentione GVALANDRIS ſua potiſſimum dignum cenſuit librum ipſius GESNERI manu ſcriptum, in quo illuſtris vir plantas omnes, linneano ordine recenſitas, accurate deſcribere, et ſimul, in gratiam eorum, qui in diſtribuendis plantis LINNEO duce haud vtuntur, ea loca, quae in cranziano, adanſoniano, cet. ſyſtemate occupant, declarare, partesque, quibus cum genera, tum ſpecies definiuntur, tabulis ſummo ſtudio factis exprimere ſibi propoſuerit. Etſi vero magnam huius operis, rei herbariae ſtudioſis vtiliſſimi futuri, partem GESNERVS iam abſoluiſſe videtur, illud tamen, eo ipſo fatente, haud vnquam prodibit, quod aliis negotiis ſe ſentiat impeditum, quo minus in hoc labore pergere poſſit.

p. 72. Ceſpes bituminoſus, qui Turico haud procul effoditur, fibroſae naturae eſt, isque ex plantis non penitus deſtructis conſtat. Primum ſtratum, illud-

que

que terreum, nec alte deſcendens, limum quaſi refert, quo remoto ipſe ceſpes in conſpectum venit, qui ſpatium tres circiter pedes cum dimidio profundum occupat, et in parte inferiori martialem terram adiacentem habet. Deſcribit Noſter methodum, qua in effodiendo hoc ceſpite incolae vtuntur, inſimulque ſuper ortu eiusdem ab annuis, vel biennibus plantis repetendo diſputat.

Thermarum badenſium aqua ſaporem quodam- p. 77.
modo acidum et veluti ſtypticum in lingua excitat, eaque vaſa, in quibus colligitur, terrea quaſi cruſta obducit, quam Noſter chemico ſubiecit examini. Et primum quidem ſoluit partem huius materiei in communi aqua, quae quodammodo ſpumoſa inde reddita eſt, et colorem ochrae ſimilem induit. Gallorum tinctura cum hac ſolutione commixta eam reddidit nigerrimam, crotonis tinctorii autem infuſum ipſi additum rubrum euaſit; hinc quas partes, praeter calcaream terram, mineralis illa aqua admixtas habeat, et quibus potiſſimum virtutibus ſit inſignis, patet.

Relicta vrbe ab his thermis cognominata No- p. 82.
ſter menſe Octobri Bernam adiit, conuenitque HALLERVM, qui iam tum vehementi morbo, et mingendi potiſſimum difficultate laborabat, WITTENBACHIVM, naturalium rerum ſtudioſiſſimum, KIRCHBERGIVM, chemiae indefeſſum cultorem, aliosque claros viros, ſeque beneuole et humaniter ab iis fuiſſe exceptum lubenti animo fatetur. Operam dedit variis herbis, quae in Heluetia cum in hominum, tum in animantium vſus coluntur, cognoſcendis, multumque ſuper hac re cum HALLERO, KIRCHBERGIO, cet. locutus eſt, et quid dignum ipſi ſua attentione fuerit in hac vrbe viſum refert.

Mann-

p. 111. Mannhemii quanquam collectionem naturalium rerum electoralem perscrutari ipsi non licuit, quod COLLINVS, qui illi praeest, ab vrbe eo tempore abesset; quorundam tamen corporum hic asseruatorum, velut plantarum marinarum, rerum in lapideam naturam mutatarum, animantium, cet. meminit, simulque breuiter *caput medusae* in nigro schisto conseruatum et quatuor circiter pedes longum descripsit. MEDICI, viri eruditissimi, humanitatem multis laudibus effert.

p. 147. In collectione mineralium principis DE CONDE, quae Chantilli, haud procul a Lutetia Parisiorum siti, asseruatur, permulta rara naturae producta Noster perlustrauit, eorumque admiratus est excellentiam. Inter alia fossilia corpora basaltem (forte *Schoerlum?*) cum album, tum subrubrum, mineram ferri cum viridi montano commixtam, pyrites Fahluni effossos, quibus verus carbo vegetabilis et rubiginosi lapides inerant, galenae varias species, cet. offendit. Inprimis diues est haec collectio variarum cupri, partim natiui, partim calcis forma conspicui, minerarum, quae in Norvegia, Suecia, Lapponia, Siberia, aliisque regionibus effossae sunt. Inter stanni mineras aliam ex Cornubia allatam, eamque crystallis fuscis cum basalte viridi et pyrite commixtis insignem, aliam Schneebergae in Saxonia effossam, quae fluori spathoso et argillae innata, et cum basalte crystallisato coeruleo commixta erat, vidit, easque pariter, ac multa alia fossilia corpora, quibus haec collectio abundat, breuiter descripsit, et loca eorum natalia vbique addidit.

p. 205. Lutetiae Parisiorum cum commoraretur, in contemplandis naturalium rerum collectionibus rursus fuit occupatus, de earumque praestantia ad amicum

cum retulit. Ipse etiam dono accepit ab HERMANNO, medicinae apud Argentoratenses professore, varias ex Alsatiae fodinis, in quas descendere, cum hanc regionem peragrasset, non potuerat, effossas mineras, velut regulum arsenici natiuum, siue cobaltum testaceum, arsenicum crystallinum illi, quod Schmöllnitii in Vngaria effoditur, simile, marmor schistosum LINNEI, lapidem quendam gypseum cum coloris, tum structurae ratione cum nephritico lapide comparandum, cet. iisque HEYNIZIVS, metallifodinarum saxonicarum inspector quondam summus, qui hoc tempore Lutetiae degebat, alias, easque ex saxonico solo potissimum erutas, velut stannum, argentum, cet. vario modo mineralisatum, addidit.

Collectio DE ROMÉ DE L'ISLE crystallis potissimum diues est, neque tamen alia mineralia in ea corpora desiderantur. Meminit Noster minerae zinci fuscae WALLERII, argenti cum mineralisati, tum natiui Fribergae in Hermunduris effossi, argenti cornei peruani, minerae plumbi subrubicundae et crystallisatae, cet. potissimum autem p. 214. attentione eius digna visa est ossea humani capitis portio interne et externe calcareo alabastro obducta, in qua os frontale, maxilla superior, orbitae cet. conspici possint. Omittimus alias de raris quibusdam naturae productis, quae Noster contemplatus est, relationes, et accedimus ad chemica quaedam tentamina, de quibus in his ipsis litteris reddidit rationem.

Et DE ROMÉ DE L'ISLE multam nuper ope- p. 224. ram dedit fundendae platinae, quam propter ferrum maiori mox, mox minori in copia ipsi admixtum via sicca hactenus non potuisse solui crediderat. Qua de re, vt hoc metallum methodo a SAGIO recepta

cepta a platīna ſeiungeret, huius portionem cum ammoniaco ſale commiſcuit et in vaſe idoneo adiectum ſal ſublimatione rurſus ſeparauit; reſiduum, quod hoc labore peracto in vaſe remanſerat, cum nouo ammoniaco ſale miſcuit, illudque rurſus ſublimatione ſeiunxit. At vero eandem platīnae portionem etſi ſexageſies ea ratione tractauerat, vt ſublimatum ſal nullum amplius ferrum haberet admixtum, tamen inutilem prorſus atque fruſtraneum fuiſſe repetitum hunc laborem expertus eſt, quo quippe peracto reſiduum non magis, ac antea, fundi potuerit. Alia tentamina, quibus ad fuſionem aptam reddere platīnam DE ROMÉ DE L'ISLE ſtuduit, pariter, atque illa, ſuperuacanea fuerunt, donec tandem hoc metallum in regia aqua ſolueret, et ope ſolutionis ſalis ammoniaci ſolutum corpus rurſus deiiceret; nam quod hac ratione obtinuerat praecipitatum, ſubrubro colore conſpicuum, ſicca via ſolui potuit. Cuius naturae metallicum corpus hoc modo productum fuerit, non additum deprehendimus.

p. 225. Ex molybdaena idem clarus vir, cuius meminimus, ſemper quicquam ferri ignis vehementiſſimi vi obtinuit; hinc ad ferri mineras referendam eam iudicat, quae nihil ſit, niſi talcoſa terra cum ferro mixta.

p. 244. Londini Noſter in familiaritatem vtriusque FORSTERI, BANKSII, SOLANDRI, PRINGLII, HVNTERI, aliorumque celeberrimorum virorum venit, quos ſumma ipſum humanitate excepiſſe, et cum ad publicas, tum ad priuatas librorum, corporum naturalium, cet. collectiones ipſi aditum pa-
p. 258. raſſe refert. HVNTERVM ſeniorem potiſſimum laudat, apud quem anatomica, quae dicuntur, praeparata, eaque egregie conſeruata, nummorum col-

le-

lectionem praeclaram, cet. viderit. Hic ipſe vir celeberrimus nonnulla placita ſuper vi, quam in quibusdam animalibus oſſium faciei eorundem varia ſtructura in intellectum, eiusque facultates habeat, cum Noſtro communicauit, ipſique ea de re collectionem capitum nonnullorum animantium, quae in hunc ſibi finem HVNTERVS parauit, quibusque ipſa placita, firmo velut talo, inniti, ſibi perſuaſum habet, praebuit conſiderandam. Dolemus nos vehementer, Auctorem non dediſſe vberiorem de his placitis relationem, quum ipſe, vt videtur, omni ea veroſimilitudine haud deſtituta cenſeat. p. 260.

Ceterum, vt hoc vnum addamus, quae de fixo aëre, eiusque variis ſpeciebus Auctor diſputauit, ea ſatis declarant, inuita ipſum Minerua huic phyſices capiti cognoſcendo operam dediſſe; nam, vt ingenue fateamur, neque nominum, quibus varias aëris formas naturae ſcrutatores inſigniuerunt, accuratam habuit notionem, neque cuncta tentamina a PRIESTLEIO, BERGMANNO, aliisque inſtituta ipſi ſatis cognita fuerunt. p. 174.

XVII.

ED. SANDIFORT obſeruationes anatomico pathologicae. Liber quartus. L. B. apud P. v. Eyk et D. Vygh 1781. 4. c. figg. pagg. 154. praeter indicem capitum et indicem rerum.

Quemadmodum tres antecedentes libros hactenus in commentariis his indicauimus, ſic et hunc quartum librum, cui index rerum in omnes quatuor libros eſt additus, hic breuiter cum Lectoribus communicamus. In quo quidem icones eadem, qua in illis diligentia, factae, elegantia ſua placent, atque

atque a Cl. Auctore perſpicua explicatione illuſtrantur. Contenta ſunt in hoc libro decem capita.

p. 1. 1) *De lacte in abdominis cauum effuſo aliisque in cadauere puerperae nono a partu gemellorum die mortuae obſeruatis.* Praemiſſis nonnullis de lactis aberratione et de noxiorum ſeparatione a natura,
p. 8. enarrat Noſter, quid anatomica ſectio cadaueris puerperae docuerit et figuris uteri grauidi olim datis*) icones matricis huius puerperae addit.

„Confirmat huius cadaueris ſectio propoſitam antea vel ex grauida exhibitam a Noſtro fabricam et compoſitionem cartilaginum, et ligamentorum, quae oſſa pubis nectunt, totamque peluim aptam reddunt, vt in partu dilatari poſſit. Adeo vniuerſaliter haec doctrina hodie aſſumitur, vt hoc fundamento etiam nitatur, propoſita, aliquoties iam, ſed non ſemper felici cum ſucceſſu inſtituta et hactenus non adeo, vt videtur, laudanda**) ſectio ſymphyſis oſſium pubis, vt vix opus videatur, denuo eandem adſtruere “.

p. 21. 2) *De ſingulari membranae celluloſae de generatione.* Puella in lucem edebatur ſingulari modo conformata: thorax eiusdem, praeſertim vero artus ſuperiores difformes erant. Tumor enim has partes vna cum collo occupabat, latitudine ſeu diſtantia, ab vno humero ad alium, ab anteriore pollicum decem, a poſteriore eius tumoris parte decem cum dimidio. Longitudo autem totius corporis

*) Obſeru. lib. 2. cap. 1. pag. 53-56. v. comm. noſtr. Vol. XXIV. p. 653.

**) vid. comm. noſtr. Vol. XXIV. p. 650. et ibid. p. 648.

poris erat octodecim pollicum. Icones hanc deformitatem candide delineatam sistunt.

Quo tumore sinistrorsum et dextrorsum tacto, nullibi puella videbatur dolores sentire, nisi in incisuris sinistri potissimum lateris ob excoriationes ibidem conspicuas, tenuem humorem fundentes. Tumoris huius magnitudine, cum viueret puella potius aucta, quam imminuta, praesertim sinistrorsum, vbi cutis insigniter extensa, variisque in locis erat inflammata: induruit totus tumor atque dolores in parte affecta exortos secuta est inflammatio, qua, cum nullis ea remediis posset moderari et coërceri, tertia a partu septimana elapsa, exspirauit misera haec puella. Ex sectionis historia, quam Cl. Auctor iconibus pulchris illustrat, hanc puellae difformitatem a cellulosae membranae degeneratione maximam partem pendere intelligitur.

„Confirmari hac obseruatione et illustrari vi- p. 29.
detur HALLERI *) assertum: gelatinosum humorem in fetu immaturo naturalem hospitem, in aliqua parte eius telae collectum, posse miros tumores formare, vt nullum sit deformitatis genus, quod ab ista causa non subnascatur. Illis itaque obseruatis, quae summus hicce physiologus, vt cellulosae telae in fetu degenerationes probaret, proposuit, relata historia addi meretur, praesertim quum inter omnes commemoratas similis non inueniatur, nisi illi infantes huc sint referendi, quos ex gelatinae in spa-

*) v. Op. min. Tom. III. p. 7. et comm. nostr. Vol. XVI. p. 427. Elem. Physiolog. Tom. I. et comm. nostr. Vol. VII. p. 630. it. Vol. XXIV. p. 29. et 466. Elem. Physiolog. c. h. Tom. VIII. p. 135. it. comm. nostr. Vol. XIV. p. 251.

ſpatiis ſubcutaneis congeſtione, capite inter clauiculas recepto et complanato natos vidit" *).

p. 29. 3) *De labio leporino, congenito duplici et complicato:* quo affectam, et mortuam, puellam Noſtro licuit ſecare. Deſcripſit itaque hoc labium magna cum cura, aliorumque obſeruationibus de hoc malo, vti ſolet, ſedulo collectis, iconibusque illuſtrauit. Filia a ſanis parentibus erat progenita et praeterea bene conformata. Et haec quidem puella nullo potuit fugere modo, vixit tamen pulte, cuius portionem ſubinde deglutiebat, dum maxima pars, nares intrans, caua ipſarum, fiſſurasque inter oſſa replebat, quae tamen lingua ad inſignem altitudinem eleuata depurare didicerat infans. Sufficiente igitur nutrimento deſtituta et magis, magisque emaciata, vigeſima ſecunda a partu ſeptimana vitam cum morte commutauit.

Quamdiu partes oſſeae mollibus adhuc teguntur, mutationes, quas illae ſubierunt, non adeo apparent. Quibus itaque liberatis cranium Noſtro videbatur examinandum et icone exprimendum. Simile quidem vitium ab aliis deſcriptum legit Noſter, tamen figuras exſtare nullas arbitratur, quibus illud illuſtraretur, ſaltem quod attinet ad palati, nariumque degenerationes.

p. 39. 4) *De extenſore proprio digiti medii manus*: quem Noſtro contigit obſeruare et ALBINVS ſemel quoque conſpexit. Etſi autem prorſus ſimilis dici nequeat haec obſeruatio Albinianae; inſignis tamen intercedit inter vtramque conuenientia, quam Cl. Auctor indicat, aliaque eiusmodi ab ALBINO et BOEHMERO obſeruata exempla commemorat.

De

*) vid. ib. et Journal de médécine cet. Tom. XII. p. 172.

5) *De ventriculo disrupto, aliisque huius organi morbis.* In recenti cadauere neonati hanc Auctor obseruationem fecit. Abdomine caute aperto, humor, sanguini coagulato non absimilis, inter omnes intestinorum circumvolutiones et praesertim in latere sinistro magna admodum eius copia in conspectum veniebat. Ventriculus, reliquis partibus sanis, flaccidus et ruptus erat huius humoris fons. Nam inueniebatur eiusmodi humor, in angustiore ventriculi parte et duodeno. Ruptura haec erat insignis et per omnes ventriculi progrediebatur membranas. Quaenam autem huius rupturae fuerit causa, latet. p. 42.

In alio cadauere neonati abdomen sanguinis extrauasati pariter obseruauit Noster plenum. Viscera omnia sana videbantur, vasa autem, quae iuxta marginem inferiorem ventriculi et inter ventriculum atque lienem decurrunt, hic et illic lacerata erant. Adeo expansi ventriculi forma in Nostri obseruationibus *) iam est delineata. Auctores, qui ventriculi male conformati, peruerse siti, aut hoc, illoue vitio, absceſſu, contractura, callosa angustia, carcinomate, erosione, excoriatione, excrescentia fungosa, expansione, gangraena, hernia, sarcomate, scirrho, vlcere, vomica, singulari malo laborantis exempla varia annotarunt, Cl. SANDIFORT quidem, more suo, sedulo atque diligenter collegit; ipsam autem caui huius rupturam a nonnullis tantum obseruatam, et ex diuersis causis productam esse docet. p. 44. p. 45.

6) *De praeternaturali diuersarum partium statu in cadauere mulieris viso.* Cerebri vasa, per piam matrem decurrentia, turgida erant, et inter cerebrum et piam matrem notabilis aquae gelatinosae copia p. 45.

*) v. Librum tertium tab. VII. et comm. nostr. Vol. XXIV. p. 652.

occurrebat cet. Thoracis et abdominis viſcera multum inter ſe connata inueniebantur, quae omnia ab Auctore ſedulo ſunt deſcripta et cum aliorum obſeruationibus comparata.

p. 69. 7) *De calculis renum et veſicae.* Eximiae magnitudinis calculos in renibus, quorum alibi Cl. SANDIFORT *) mentionem fecit, magna et diriſſima non ſolum efficere mala atque ſymptomata; ſed etiam paruas per eminentias et per alias configurationes inſignes dolores creare poſſe hoc capite Noſter partim ſuis, partim ab aliis Auctoribus ſibi communicatis obſeruationibus confirmat. Ex pluribus potiſſimum eos ſelegit, quorum figura magis, minusue eſt irregularis, vti ex iconibus apparet.

Duas Auctor inprimis hoc in capite communicat obſeruationes et calculos ad illas pertinentes exhibet: alterum exemplum tres attinet calculos, qui ob ſingularem formam, ſedemque notatu ſunt digni. Operatione, qua vnus calculus extrahebatur, peracta, ſecundo poſt operationem die mortuus aegrotus eſt. Cuius ipſius ſectionem Cl. Auctor inſtituit, eiusque hiſtoriam, egregie illuſtratam, diligenter retulit. Poſterius vero exemplum ingentem calculorum numerum ſiſtit per operationem euocatorum, quam aeger multos annos ſuperuixit.

p. 90. Addidit praeter multas alias, obſeruationes lectu dignas, exemplum calculi, in carne cruris hominis podagrici inuenti, quem, quum, licet in omnibus ferme corporis locis calculi inueniantur, in carne muſculari obſeruati tantum ſint a MEKELIO **), WAL-

*) v. comm. noſtr. Vol. XXII. p. 469. v. ib. Vol. XXIV. p. 653. Alia exempla ibidem quoque enarrantur.

**) v. comm. noſtr. Vol. VI. p. 338.

WALTHERO *), paucisque aliis, hic curauit delineari.

8) *De notabilioribus vaſorum aberrationibus.* p. 91.
Femoralis arteria in duos ramos fiſſa; Venarum pulmonalium numerus diuerſus et renalium varietates cet. obſeruata ſunt a Noſtro.

9) *De lingua ſtupendae molis.* Monſtroſa haec p. 100.
lingua oris rictum, tres pollices adaequantem, perfecte implens pendebat ex ore ad longitudinem quatuor et ferme dimidii pollicis et muco erat obſeſſa, admodum inaequabilis atque tuberculata. Annum quinquageſimum et quartum agens aeger, cum haec ſcriberet Cl. SANDIFORT, angina ſaepe laborabat; ceteroquin deglutire et loqui poterat. Simile exemplum **) Noſter commemorat et quaedam de operatione addit.

10) *Additamenta ad tres priorum harum obſer-* p. 105.
vationum libros: de rariſſimo cordis vitio; de nonnullis cordis et arteriae aortae morbis; de tumoribus vtero annexis; de anchyloſi oſſium pubis; de vaſe chylifero; de calculis per perinaeum ſibi viam quaerentibus; de futuris oſſium cranii; de oſſiculis futurarum; de oſſibus, diuerſo modo a ſolita conformatione abludentibus. Memorantur inter alia cordis ſuppuratio in cadauere viri, aortae anguſtationes inſignes, vterini morbi varii, anchyloſis oſſium pubis, vaſis chyliferi varietates, futurae oſſium cranii plures et rariores, earumque defectus, eorum oſſiculorum varietates magnitudine, numero, ſitu; oſſiculum planum defectum oſſis vnguis reſtituens, cet.

*) Obſeruat. anatomic. p. 43.
**) v. comm. noſtr. Vol. XII. p. 646.

XVIII.

Sciagraphia morborum, cuius partem primam Praeſide IO. I. HAARTMANN, Aſſeſſore atque Medic. Profeſſore Reg. et Ord. Equite Reg. Ord. Waſ. atque membro Reg. Acad. Scient. et Soc. Patr. Holm. defendit Reſp. *Io. Nordſten.* Aboae, 1779. 8. Impreſſa apud viduam Reg. Acad. Typogr. Io. Chph. Frenckell, ſecundam partem Reſp. *Petro Branting*, ib. eod. tertiam Reſp. *Ioſ. Guſtauo Pipping*, ib. eod. quartam Reſp. *Io. Chriſtiano Florin.* ib. eod. pagg. 236.

Quanquam in hac medicinae parte elaboranda plurimi fuerunt occupati, tamen Cl. Auctoris iudicio Celeberrimo BOISSIER DE SAUVAGES maximus competere videtur honos, reliquis huius rei ſpeciminibus non contemnendis. Cum vero tanta morborum multiplicatio, quae in operibus DE SAUVAGES, VOGEL, et SAGAR non minus ſcientiae noſtrae afferat incommodum, quam nimis vniuerſalis et coarctata aliorum e. gr. LINNEI, MACBRIDII, SELLII cet. *) claſſificatio defectum prodat: non inutile fore exiſtimauit Cl. HAARTMANN, medium tenere atque his ſpeciminibus academicis experiri, vtrum memoria diſcentium ac iudicia practicorum et valetudo aegrotantium felicius iuxta hanc methodum ſubleuari et promoueri poſſit.

Si abbreuiationes et correctiones Noſtri, quae in noſologia methodica inprimis, tam quoad claſſes et ordines, quam genera et ſpecies ſuſcepit, etiam aliorum practicorum aſſenſum conſequi poſſent, vel etiam doctioribus anſam ſuppeditarent, ſuis locis benigne corrigere et complere, quae Noſter viribus

*) v. noſtror. comm. indices duarum decad. ib. Vol. XXI-XXIV.

viribus corporis iam deficientibus, in medium proferre non valuit: finem intentum obtinuiſſe, tempusque huic labori impenſum bene collocatum eſſe putabit.

Quibus a Cl. HAARTMANNO in praemonito praemiſſis, tabulam claſſium atque ordinum cum noſtris Lectoribus verbotenus communicamus et addita a Cl. Auctore nomina ſuecica ipſa ſimul repetimus:

Tabula
Claſſium atque Ordinum.

Cl. I. Febres (ſenſu ſtrict.): Sv. *Februar.* Pyreniae ſimplices, ſine inflammatione.

O. 1. Continuae: *Bräunſiukor.*
Febres, ſine vera inflammatione, intermiſſione vel remiſſione,

2. Intermittentes: *Fräßfebrar.*
Febres, cum plenaria intermiſſione vel integritate.

3. Remittentes: *Remittenta Febrar.*
Febres continuae, cum exacerbationibus quotidianis, tertianis, quartanis, remittentibus erraticis.

Cl. II. Dolores: *Wärkpaßioner.*
Paſſiones dolorificae locales, cum inflammatione, ſiue vera ſ. ſpuria, ſed ſine exanthematibus.

O. 1. Inflammatorii: *Brandwärker.*
Phlegmaſiae ſanguineae, cum pyrexia vniverſali.

2. Phlegmonodei: *Bälder.*
Tumores inflammatorii, cum leuiori et partiali pyrexia.

3. Cruciatus Rheumatici: *Fluſswärker.*
Inflammationes ſeroſae, leuiori cum pyrexia.

C. III. Exanthemata: *Utſlager.*
Morbi cum efflorescentia.

Or. 1. Febrilia: *Utſlags Febrar.*
Phlegmaſiae cum efflorescentia.

2. Apyreta: *Helſigheber.*
Efflorescentiae, ſine praegreſſa pyrexia.

C. IV. Profluuia: *Fläder.*
Euacuationes praeternaturales, neque criticae neque tabificae.

O. 1. Haemorrhagiae: *Bladfläder.*
Profuſiones ſanguineae.

2. Catarrheumata: *Slemfläder.*
Defluxiones acres ſeroſae, vel mucoſae.

3. Fluxus: *Bukfläder.*
Euacuationes ventrales.

C. V. Nervoſi: *Nerrepaſſioner.*
Indolentes Senſorii et Syſtematis neruoſi morbi.

O. 1. Mentales: *Swärmodigheter.*
Mentis laeſiones.

2. Spaſmi, ſ. Tremulae: Conuulſiones.
Motus inuoluntarii.

3. Rigores: *Krampſiukor.*
Temporariae, vel conſtantes partis ſ. totius corporis rigiditates.

C. VI. Debilitates: *Briſter.*
Senſationum et functionum abolitiones.

O. 1. Paralytici: *Lamheter.*
Languidae et ſoporoſae debilitates.

2. Dyſaeſteſiae: *Sinners Briſter.*
Senſuum externorum vitia.

3. Suffocationes ſ. Anhelationes: *Täppor.*
Reſpirationis vitia.

4. Suppreſſiones: *Förſtoppningar*,
Functionum naturalium priuationes.

C. VII. Intumeſcentiae: *Swullnader.*
Chronicae corporis intumeſcentiae et decolorationes.

O. 1. Cachexiae: *Wanfärgande Sikdamar.*
Cacochymica corporis diſcoloratio et conſtitutio.

2. Hydropes atque Emphyſemata: *Waktſaker.*
Tumores fluctuantes aquoſi 1. flatulenti.

3. Tubera: *Swullſter.*
Protuberantiae, non fluctuantes et occaſionaliter tantum dolentes.

C. VIII. Maraſmi: *Aftyningar.*
Succi Nutritii et Pinguedinis conſumtiones.

O. 1. Tabes: *Trän- eiler Twinſaker.*
Marcores pyretici totius corporis, ſaepius ab interna partium ſolutione.

2. Ulcera: *Särnader.*
Marcores partiales, a ſolutione partium externarum.

3. Deformitates: *Wanſtällningar.*
Morboſae et Seniles transfigurationes.

Iam videamus de claſſe prima et ordine primo cum generibus, miſſis ſpeciebus:

Claſſis I.

Febres SAVVAGESII; Morbi Critici LINNEI; Febres intermittentes et Continuae ſimplices VOGELII; Pyrexiae CVLLENII; Morbi Febriles nonnullorum. Sv. *Febrar.*

Character conſiſtit in augmento praeternaturali caloris innati, quod praeeunte frigore, aliiſque ſymptomatibus primariis ſic dictis ſimplicioribus, interdum etiam malignis inuadit, et per determina-

ta temporis interualla criticam euacuationem promouet.

Ordo I.

Continuae BOERH. SAVV. VOG. CVLL. Continentes SEN. STAHL. IVNK. LINN.

Bränſiukor.

Pyrexiae phlogiſticae acutae a feruore ſanguinis poſt vnum, alterumue horrorem accenſae, abſque multis praegreſſis prodromis et ſine perfecta intermiſſione l. remiſſione, niſi matutina in dies ingraueſcentes, vſque quo per determinatas euacuationes maxime cutaneas finiuntur l. ſoluuntur. Sanguis ſpiſſus, pulſus plerumque validus et plenus; lingua vt et cutis initio arida; Vrina, declinante morbo, ſedimentoſa, cinnabarinum quid interdum deponens.

Gen. 1. Diaria LINN. VOG. Ephemera Veterum et SAVV. Synocha CVLL. Iudicatoria SAGAR. *Dreygas Feber.*

Febris acutiſſima vnius l. alterius diei, ſine praegreſſa laſſitudine veniens, et interdum labiis exvlceratis intra quartum definens: facies nonnihil inflata cum rubore: pulſus frequens et mollis; ſudor halituoſus; urina vix mutata, ſub declinatione cum concoctionis notis.

Cura: Antiphlogiſtica et morborum primariorum.

Gen. 2. Synochus Auctorum; Synocha et Synochus SAUV. Humaria et Frigidaria SAGAR. *Helſig. Feber.*

Febris peracuta, cum dolore capitis; lingua alba; pulſus frequens; ſitis intenſa, ſomnus l. nullus l. cum ſpectris, et hinc etiam ſenſorii functiones turbatae, cum inſania paraphroſynica; cutis humida, aluus ſicca et vrina

vrina rubra; intra XI. l. XIV. perfecta crisi soluitur, nisi in putridam mutetur.

Cura: V. Sectio, Laxantia antiphlog. Nitrosa et Iulapia acidulata, tum acidis vegetabilium, tum acido Nitri, l. spir. Nitri dulcis.

XIX.

Schwedisches Apothekerbuch nach der zweyten verbesserten Originalausgabe übersezt und mit einigen Anmerkungen begleitet. Leipzig, bey Paul Gotthelf Kummer. 1782. 8. *Seitt.* 190.

i. e.

Suecica pharmacopoea, nonnullis annotationibus aucta.

Laudata iam alio tempore *) priore huius pharmacopoeae editione, nunc videamus tantum de additamentis tam Auctorum ipsius pharmacopoeae, quam Cl. LEONHARDI, qui huic a se factae translationi nonnullas annotationes, atque indicem subiunxit. Plura enim addere noluit Editor, ne breuitati, cui potissimum studuerunt Auctores, officeret.

Ipsi Auctores nonnulla remedia, quibus medici vel plane non amplius, vel a semetipsis mutatis vtuntur, consulto omiserunt, iisque alia, eaque vtiliora atque vsitatiora substituerunt, meliora etiam et magis compositioni et praeparationi medicamentorum conuenientia elegerunt; ita tamen, vt quoque prius datorum medicamentorum nominum mentio in peculiari indice fieret. Annexa quoque est tabula, ex qua, quanta dosis laxantium, vomitoriorum, cet. remediis compositis insit, conspici

*) vid. Comm. nostr. Vol. XXII. p. 350.

ci queat, ſicque iis conſuleretur, qui his ipſis nominibus vti, ſeu nomina veterum ſcire vellent.

Iam nonnulla exempla ſubiungamus. Balſamum neruinum *) hic omiſſum eſt. Loch ſanum et expertum appellatur quidem linctus leniens, attamen in mox nominato indice mutatorum nominum, prius nomen etiam inuenitur. Sal ammoniacum martiale eſt, quod alii flores ſalis ammoniaci martiales appellant; et ſaccharum ſaturni dicitur hic ſal Saturni. Scilla ſiccata ſolet quoque per paſtam farinae piſtoriae in furno coqui et ſiccari. Syrupus citri e ſucco Cll. Auctorum apud nos appellatur ſyrupus acetoſitatis citri: et ſic etiam in aliis factum eſt, quae Lectoribus relegenda relinquimus.

XX.

Anatomiſch - phyſiologiſche Abhandlung vom Gehirn, Rückmark und Urſprung der Nerven von IOHANN CHRISTOPH ANDREAS MEYER. *Für Aerzte und Liebhaber der Anthropologie beſtimmt. Mit Kupfern. Berlin und Leipzig bey George Iakob Decker*, 1779. 4. *Seitt.* 68.

i. e.

Anatomico - phyſiologicus tractatus de cerebro, medulla ſpinali et origine neruorum. Auctore Cl. IOHANNE CHRISTOPH. ANDREA MEYER, medicis et anthropologiae ſtudioſis dicatus.

Ea eſt Cl. Auctori, vti in praemonito narrat, propoſita methodus, vt, in auxilium vocatis iconibus, anatomicam partium deſcriptionem primum praemitteret, earumque, quae in cerebro continentur, declararet, explicaretque ſitum atque ordinem et

*) vid. comm. noſtr. Vol. XXII. p. 350.

et ſimul rationem indicaret, qua eae detegi poſſent integrae. Breuiter expoſitis, quae phyſiologice nota et vera ſunt, diſquirit Auctor ea potiſſimum, quorum probabilitas nondum ſatis eſt probata. Neque enim omnia, iam de cerebro dicta, repetere, ſed ea ſolum breuiter expendere conſtituit, quae rebus in hoc tractatu contentis reſponderent, vt quae de ſtructura cerebri detegi poſſent. Iconum octo auctor eſt HOPFERVS, nona ita omnium optime apparerent nona autem de medulla ſpinali debetur b. HALLERO.

Praemiſſo igitur de ſtructura cerebri capite, ad alterum de vſu viſceris huius accedit Noſter ſolvendis quibusdam quaeſtionibus occupatus: Hinc ad hanc quaeſtionem reſpondet: quomodo effectus cerebri in reliquas corporis partes propagentur et quo modo ſenſus organorum ſenſoriorum in cerebrum ſuos edant effectus? Cuius vero quaeſtionis occaſione duas alias proponit quaeſtiones Cl. Auctor. Ac primum quidem quaeritur: ex quibus paruis partibus conſtet cerebrum et quaenam proprietates cadant in eas; dein num habeat ſecretio quaedam in cerebro locum et qualis ſit illa? Diuerſas hic hypotheſes, tonum, ſenſibilitatem, cauitatem, elaſticitatemque neruorum, fluidi neruei naturam, ſpiritus animales cet. ſpectantes narrat Noſter et argumenta, quae eadem vel confirment, vel refellant, diiudicat.

MEYER defendit elaſticam aliquam naturam in neruis, quam ita declarari putat, ſi fibram nerueam imperforatam eſſe ſumus; ſecretionem item in vtraque cerebri ſubſtantia fieri cenſet, quod in omnibus locis, ex quibus nerui oriuntur, vtraque animaduertatur. Ceterum in medulla forte maiori in copia fluidum ſecerni, quam in cinerea ſubſtantia, nec vlli peculiari cerebri parti vim neruorum

rum impreſſiones ſentiendi adſcribendam eſſe, ſed eam vtrique ſubſtantiae conuenire cet. arbitratur.

XXI.

CHRISTIAN ERNST WÜNSCH, *D. Neue Theorie von der Atmoſphäre und Höhenmeſſung mit Barometern. Mit zwo Kupfertafeln. Leipzig, bey I. G. I. Breitkopf.* 1782. 258 *Seitt.* 8. DESSELBEN *Nachtrag* 40 *Seitt. in* 8.

i. e.

Noua theoria de telluris atmoſphaera, nec non de dimenſione montium ope barometrorum, Auctore CHR. ERNESTO WÜNSCHIO. Phil. et Med. Doctore.

Libri huius haec eſt ratio, vt, ſi ſummam argumentorum eius ducere vellemus, ipſum omnino verbum latine recenſere nos oporteret: nam nouam plane viam in hac explicanda re Auctor ingreſſus eſt, et omnia arctiſſime coadunauit argumenta, quae ſeiungi neutiquam patiantur. Quare ſumma eiusdem capita, tantum proponamus, neceſſe eſt. Totum opuſculum autem in ſectiones duas diſtribuitur. Prima ſectione oſtendit Cl. Auctor, telluris atmoſphaeram e duobus inprimis materiae generibus conflatam eſſe, graui altero et elaſtico, altero graui tantum, non item elaſtico: illi aëris puri, huic vaporum nomen imponit. Progreditur deinde ad explicationem naturae aëreorum corpuſculorum, eaque negat caua eſſe, vti bullulae vaporum, ſed ſolida potius et forte dura. Tum rationem explorat, ſecundum quam aër atmoſphaericus purus partim a grauitate vniuerſali, partim ab ipſius pondere comprimitur, et data terrae ſemi-

diametro

diametro, dataque altitudine barometrica quadam denſitatem aëris puri prope maris ſuperficiem computat. Computatam autem hanc aëris puri denſitatem continuo cum dimenſionibus altitudinum montium geometricis comparat, vt rationem vaporum, aëri puro innatantium, inde eruere poſſit. His autem omnibus perueſtigatis formulam mathematicam ad montium altitudines definiendas componit. Latitudinis geographicae quoque rationem ad has dimenſiones adhibet, oſtenditque, mediam altitudinem barometricam ſub aequatore prope ſummum mare maiorem, ſub polaribus circulis autem minorem eſſe, quam ad maris littora prope Galliam, aut Germaniam. Sectio ſecunda partim computatas montium plerasque altitudines in tabulas redactas continet, partim praecepta tradit, quae ad vſum harum tabularum pertinent. Ceterum reticendum non eſt, has montium altitudines ſecundum Auctoris noſtri theoriam definitas omni ex parte dimenſionibus geometricis et experientiae exactiſſime eſſe conſentaneas.

XXII.

D. AVGVST CHRISTIAN REVSS, *der mediciniſchen Geſellſchaft zu Kopenhagen, der königlichen mediciniſchen und der phyſiſchen Geſellſchaften zu Edinburgh Mitglieds, Beſchreibung eines neuen chemiſchen Ofens. Nebſt drey Kupfertafeln, Leipzig bey Chriſt. Gottl. Hilſcher,* 1782. 8. 74 *Seiten.*

i. e.

Deſcriptio noui furni chemici tribus iconibus illuſtrata, auctore AVG. CHRIST. REVSSIO.

Cogni-

Cognitum reddit in hoc tractatu REVSSIVS lectoribus ſuis furnum quendam vtiliſſimum, qui haud ipſum, ſed BLAKIVM, chemiae apud Edinburgenſes magiſtrum, auctorem habet, cunctisque chemicis laboribus accurate inſtituendis aptus eſt atque idoneus. Primum autem refert Auctor de furni variis partibus, eiusque ex iis conſtruendi ratione, et deinceps vſum atque vtilitates eiusdem expendit. Deſcriptionem variarum furni partium ipſam nos non repetimus, quae ſine iconibus non poſſit intelligi, ſed potius commodorum, quae huiusmodi inſtrumentum chemicis comparat, nonnulla recenſebimus.

Ita autem conſtructus eſt hic furnus, vt cum deſtillationibus, ſolutionibus, euaporationibus, cet. tum vero etiam calcinationibus, fuſionibus metallorum, aliisque ſimilibus operationibus, quae vehementiſſimum ignem requirunt, peragendis ſit accommodatus; nam facili negotio, et multiplici ratione caloris in hoc furno producti gradus pro lubitu vel augeri, vel minui poſſunt. Singulari quippe mechaniſmo cautum eſt, ne in vinoſi, aut alius liquoris, qui facile in vapores mutatur, deſtillatione ignis nimis vehemens operam artificis inanem reddat atque ſuperuacaneam, et eodem mechaniſmo etiam vehementiſſimus ignis, qui auro, cupro, aliisque metallis fundendis ſufficiat, poteſt produci. Octo ſcilicet orbicularibus foraminibus variae diametri lateralis et inferior furni paries, ſub craticula, pertuſus eſt, quibus efficitur, vt, ſi ea aperiantur, aër libere in focum admitti, ignisque vehementior reddi, ſin epiſtomiis quibusdam illis obturandis idoneis claudantur, aërei fluidi acceſſus impediri, ignisque moderari facile poſſit.

Cum

Cum autem quodque aëris veluti admiſſarium ratione diametri a reliquis differat, atque adeo peculiari aëris quantitati introitum quoduis permittat: apparet, pro artificis lubitu, aut pro ſuſcipiendi laboris indole mox maiorem, mox minorem aëris copiam per haec admiſſaria, prout nimirum aut plura, aut pauciora aperta ſunt, (nam inferior furni pars vbique clauſa eſt, ita vt per has tantummodo vias aër ingredi debeat,) in focum deduci poſſe. Ceterum quisque ſibi facile perſuadebit, maiorem, aut minorem carbonum, qui in furno inſunt, copiam multum etiam ad ignem vel vehementiorem, vel leniorem reddendum conferre; neque eſſe ſolum in definiendo quodam caloris in hoc furno producti gradu ad illa aëris admiſſaria, verum etiam ad alimentum ignis ipſum reſpiciendum: nam, ſi omnia foramina aperta ſeruentur, nec tamen ſufficiens carbonum copia in furno inſit, vehementem calorem produci vix poſſe patet. Qua de cauſa ſuper hac etiam re Auctor quaedam praecepta addidit, docuitque ſimul rationem, qua caloris gradus, qui producuntur, ſi determinata carbonum quantitas in furnum immittatur, et vnum, pluraue aëris admiſſaria aperiantur, thermometri ope poſſint definiri. Plura ex vtili hoc tractatu non excerpimus; ſperamus enim, fore, vt breuis haec relatio chemiae ſtudioſos ad eum ipſum euoluendum, perlegendumque alliciat.

XXIII.

Noua phyſico-medica.

Academia Imperialis Scientiarum *Petropolitana* quaeſtionem, in quam vt inquirant viri docti optat, propoſuit hanc: Rationes, ſi quae dentur, indubias indicare, ex quibus motus terrae

diurni vniformitas demonſtrari poſſit, et ſi motus diurnus non ſit vniformis, ſed reuera mutationem quandam vel a reſiſtentia aetheris, vel ab alia vi quacunque in terram agente, patiatur, oſtendere 1) ex quibusnam phaenomenis iſta mutatio in motu terrae diurno concludi poſſit? 2) quaenam ob hanc ipſam motus terrae diurni inaequalitatem temporis menſurae correctio applicanda ſit, vt iuſta inter menſuram temporis praeteritorum ſeculorum et recentioris aeui comparatio inſtitui poſſit? Cuius rei explicatio exſpectatur die primo Iulii 1783.

Praeterea vero communicat eadem Academia, quae ſequuntur: Nutritio, qua aequali iure ſingula partium corporis animalis puncta vel vſu detrita reſtituuntur, vel incremento augentur; phaenomena porro effectuum rubiae tinctorum, cum aucta in oſſibus rubedo aequabiliter per omnem ſubſtantiam oſſeam diffundatur, ſingulisque eius punctis inuiſibilibus communicetur; deinde nutritio variarum partium, quae vaſis carent, epidermidis, vnguium, pilorum, cornuum; denique et primi embryonis incrementum, quem corde, vaſis et ſanguine certa vitae periodo carere, dein et corde gaudere immoto certum eſt: ſatis manifeſto indicant humores nutritioni deſtinatos primo quidem per vaſa ferri vi cordis in animali adulto, deinde vero vltro moueri, quouſque vaſa non pertingunt, vi aliqua peculiari a motu cordis independente. In plantis vtpote corporibus mere vegetabilibus, quae ſimili modo ſuccos abſorbent, aſſimilant, nutriuntur, increſcunt et nouas continuo, dum viuunt, partes producunt, nulla vis datur, quae poſſit cum corde mouente comparari; proinde omnes in iis motus humorum, ſiue per vaſa iſti ducantur, ſiue per ſubſtantiam diſtribuantur, partium, quae vaſis carent,

ſoli

ſoli illi vi memoratae debentur. Quaeritur ergo, quaenam ſit vis huius naturae, inprimis vtrum eadem ſit cum communi corporum vi attractrice, an potius, vti videtur, ab ea diuerſa et propria ſoli animali ſubſtantiae viuae et vegetabili plantarum ſubſtantiae? Si hoc poſterius verum eſt, quaeritur porro, quinam ſint eius praecipui effectus et quibus proprietatibus ſe a vi attractrice communi diſtinguat, ſingularemque ſuam et propriam naturam declaret? In plantis experimenta, quibus opus eſt, vel etiam in animalibus, vel quod praeſtat, in vtrisque inſtitui poſſunt.

Praemium conſtat centum numorum aureorum Hollandicorum. Commentarii Latina, Ruſſica, Germanica et Franco-Gallica conſcripti lingua, impenſis ſolutis ad Cl. EVLERVM, qui perpetuo Academiae ab epiſtolis eſt, mittendi ſunt. Cuius, quae vltimo a nobis indicata eſt loco, quaeſtionis die primo Iulii 1784. optat Academia elaborationes.

Placuit dein Summae Ruſſorum Imperatrici CATHARINAE II, quae artium et litterarum incremento et perfectioni fauet, illudque protegit et diligenter curat, Directorem Academiae nominare Principem Celſiſſimam DE DASCHKOW, Equitiſſam Ordinis a S. Catharina dicti, quam ſapientia et omni doctrinae genere abundare relatum accepimus. Atque ſub directorio Eiusdem diu exſpectatum Academiae iudicium ſuper commentariis, ad eam circa quaeſtionem, anno 1779 *de propagatione filicum, muſcorum, algarum, fungorumque propoſitam* *) miſſis, tandem in publico conſeſſu, qui primus ſub directorio Celſiſſimae Principis maximo cum ſplendore die octauo Martii, anno MDCCLXXXIII celebrabatur, latum et publici iuris redditum eſt. Praemium promiſſum centum nummorum adiudica-

*) vid. comm. noſtr. Vol. XXIII. p. 712.

tum est tractui, cuius symbola erat: *Ingeniorum commenta delet dies:* atque, cum hic tractatus omnino votis Academiae responderet, additaeque essent elegantes et copiosae plantarum cryptogamicarum, naturali et aucta magnitudine factae, delineationes, eiusdem Auctori adscripsit remunerationem singularem Academia. Aperta schedula agnoscebatur IOANNES HEDWIGIVS, Medicinae Doctor Lipsiensis, Auctor huius tractatus. Est itaque iterum Germania nostra adeo felix, vt virum in extricandis naturae mysteriis feliciſſimum, in obseruandi arte cautiſſimum, inuentorem veritatis, per plura saecula latentis seu dubiae, genuerit atque alat. Felix es Germania! at caue, ne dicaris ingrata!

Academiae scientiarum *Massilienſis* Societas in annum CIↃIↃCCLXXXIII quaestionem soluendam repetiit: *Sur les moyens de renouveller les bois en Provence*, i. e. Super rationibus renouandi ac restituendi siluas in Prouincia; de qua plura referre, termino ad praemium concurrendi iam praegresso, dubitamus.

Eadem Societas in annum CIↃIↃCCLXXXIV argumentum excogitauit, cuius summa haec est: *Sur les eſpeces des vers marins, qui attaquent les navires dans les différens ports de la Provence; & quelle ſeroit la methode de les en préſerver;* id est, vt vermium marinorum species eae definiantur, quae maiores naues in diuersis illis Prouinciae portubus maxime infestant; expliceturque methodus, hac in re nauibus cauendi.

Nouum denique argumentum eadem illa *Massilienſis* Academia anno CIↃIↃCCLXXXV proposuit, quo nimirum disquiratur: Num planta, quae vulgo *Barbe de Renard* nominatur, quaeque crescens nunc in littoribus maris Prouincialis sub *Tragacan-*

that

thae Massilienſis nomine botanicis cognita eſt, eadem ſit planta, quam quae ad extrahendum ex ea Gummi Tragacanthum in Aſiae illa parte (le Levant dicta) colitur, qualisque ſit modus eam cum fructu colendi in Prouincia, vt ex ea Gummi illud obtineri poſſit? (*Si la plante, vulgairement nommée* Barbe DE RENARD, *connue des Botaniſtes ſous le nom* Tragacanta Maſſilienſis, *qui croit actuellement ſur les bords de la mer de Provence, eſt la méme que celle qu'on cultive dans le Levant pour extraire la gomme Adragacant, & quelle ſeroit la maniere de la cultiver avec ſuccès en Provence, pour en extraire cette gomme?*) Harum quaeſtionum expoſitiones ante menſis Decembris finem mittantur Cl^e. MOURAILLE, qui Academiae perpetuo eſt a ſecretis.

Academia Regia ſcientiarum *Pariſina* anno CIↃIↃCCLXXXIII ad exponendum propoſuit argumentum, quo inueniatur via ac ratio ſimpliciſſima et maxime oeconomica decomponendi magna in copia ſal marinum, extrahendi ex illo, quod pro baſi habet alcali, puriſſimum illud et ab omni acidi, aut aliarum rerum admiſtione maxime liberum, praeterquam quod hoc alcali minerale pretio excedat illud, quod ex optimis peregrinis Sodae officinis obtinetur. (*Trouver le procédé le plus ſimple & le plus économique pour décompoſer en grand le ſel de mer, en extraire l'alkali qui lui ſert de baſe dans ſon état de pureté, degagé de toute combinaiſon acide ou autre, ſans que la valeur de cet alkali mineral excéde le prix de celui que l'on tire des meilleurs Soudes étrangéres.*) Praemium, quod optimae diſcuſſioni dicauit, eſt numus 2400 pondera gallica aequans. Tractatus, de hac re exponentes, et aut latino, gallico aut alio quouis ſermone conſcripti, mittantur certe ante huius anni feſtum diem, qui memoriae

reſuſcitati ſeruatoris ſacer eſt, ad Virum qui Academiae a Secretis eſt, adiecta ſententia quadam, nomine autem chartulae ſigilloque recondito.

In ſolemni confeſſu, quem ante anni et quod excurrit ſpatium regia ſocietas medicorum Pariſienſium celebrauit, ad ſodales primum vir celeberrimus, qui ipſi eſt a ſecretis, retulit, praemium 600 librarum gallicarum ſolutioni quaeſtionis: *Quae ſint certiſſima media, quibus lactantes infantes a morboſis ſymptomatibus, quibus eò tempore, cum dentes erumpunt, expoſiti ſunt, vel praecaueri, vel, ſi iis iam laborant, liberari queant*, deſtinatum, inter BAVMERVM, medicinae in academia montiſpeſſulana doctorem, cet. et MARIGVESIVM, chirurgum primarium noſodochii regii varſalienſis, et academiae regiae chirurgorum adiunctum, cet. partitum fuiſſe, qui ſocietatis expectationi optime reſpondiſſent. Proxime autem ad diatribes a BAVMERO et MARIGVESIO academiae oblatas acceſſerunt tractatus SVMEIRII, Marignanae in Prouincia medicinae doctoris, et ſocietatis medicae Correſpondentis, (cuius alia diſputatio iam olim praemio ab ea ipſa academia fuit decorata,) CVSSONII, filii, medicinae doctoris, ſocietatis ſcientiarum montiſpeſſulanae ſodalis, cet. et MATTHIEVII, chirurgiam Conzae in Sarladia exercentis, qui proinde alterum praemium inter ſe partiti ſunt. Ceterum in SVMEIRII commentario argumentum de dentitione non abunde ſatis, admodum tamen exacte eſſe illuſtratum, et CVSSONIVM illud explicaſſe accurate, ſuaque placita idonea methodo propoſuiſſe, MATTHIEVIVM vero inutilia varia iudicia ſuo tractatui inſeruiſſe, Secretarius profeſſus eſt. — Quaeſtionem, quam ad annum CIↃIↃCCLXXXII propoſuerat ſocietas *), optime ſoluit LANDAIR, ſocietatis correſpondens et

*) vid. comment. noſtr. Vol. XXIV. P. III. p. 537.

et medicus apud Pictones, qui ea de cauſa 300 librarum praemium reportauit. Ex commentariis, qui ſuper hac quaeſtione praeter eum, quem LANDARIVS ſcripſit, ad academiam miſſi ſunt, laudibus potiſſimum illos, quorum alteri verſus MARONIS: *Infelix nati funus crudele videbis*, alteri verba haec: *L'amour du bien public, qui conduit ma plume, ne me repond pas du ſuccès*, adſcripta ſunt, dignos eſſe iudicarunt ſodales, ſecundo tamen praemio neutrum eorum decorarunt. Alius commentarius hac ſententia: *ſi autem mater ob morbum, debilitatem, aliamve cauſam lactare infantem non poſſit*, cet. *van* SWIETEN, conſpicuus, bonis quidem praeceptis et obſeruationibus diues eſt, neque tamen praemio affici potuit, quod nimis tarde aduenisſet. — Ceterum faſſa eſt ſocietas, ſibi fore gratiſſimum, ſi commentarii ſuper variorum anni temporum conſtitutione et ſuper graſſantibus epidemiis, porro ſuper vario pagorum ſitu, ſuper aquarum mineralium analyſi et proprietatibus, ſuper morbis artificum, pecudum, cet. ad eam mittantur, quos poſſit honoribus et praemiis afficere.

In hoc ipſo conuentu regia haec ſocietas eruditis viris quaeſtionem ſoluendam propoſuit hanc: *Indicentur cum morbi, qui aeſtatis tempore et calidiſſima potiſſimum tempeſtate ouibus infeſti ſunt, tum medendi ipſis methodus et ſimpliciſſima et haudquaquam ſumtuoſa, ſimulque cognita reddantur media, quibus in locis admodum calidis immunia ab illis morbis ſeruari eaedem poſſint.* (*Indiquer, quelles ſont les maladies, qui regnent le plus ſouvent parmi les troupes pendant l'été, & en général dans les tems de grandes chaleurs; quelle eſt la methode la plus ſimple & la moins diſpendieuſe de les traiter, & quels ſont les moyens d'en prévenir, ou d'en dimunier les effets dans les pays très-*

très-chauds, comme dans les isles du vent & sous le vent). Praemium 400 librarum gallicarum ante festum paschatos CIↃIↃCCLXXXIV societas exhibebit illi, qui optime eam soluerit. Litterae, vectigalibus solutis, mittendae sunt ante Kalend. Decembres CIↃIↃCCLXXXIII ad Celeb. VICQ D'AZYR, qui societati est a secretis.

Hafnienſis Regia Societas scientiarum inter alias quaestiones, a nostri instituti ratione alienas, has quoque cum viris eruditis communicauit:

Tradere methodum praxi accommodatam, aërem phlogisto aliisque corporibus peregrinis inquinatum, subsidiis chemicis depurandi aut corrigendi.

Quaeritur *de hygrometro ea lege constructo, vt duo siccitatis et humiditatis puncta certius, quam adhuc factum est, possint inueniri, vtque gradus diuersorum hygrometrorum correspondeant. Liberum erit Auctori, vel nouum instrumentum inuenire vel iam cognitum ad desideratum perfectionis gradum euehere; principia vero omnia constructionis et diuisionis adeo dilucide erunt describenda, vt artifices ea tuto exsequi valeant. Desideratur denique, vt Auctor duo hygrometri exemplaria, secundum regulas a se traditas constructa, Societati mittat.*

Praemium est moneta aurea, centum thalerorum Danicorum pretio. Commentarii Germanico, Latino, Francogallico seu Danico sermone ante finem Septembris MDCCLXXXIII. ad Ill. LÜXDORPH ea ratione, quam iamiam in praecedentibus nostrorum commentariorum voluminibus commemorauimus, sunt mittendi.

Regia *Gottingenſis* Scientiarum Societas commentarium super quaestione: *quae sit inter oeconomiae in Saxonia inferiori partes proportio* cet.*)

a IONA

*) vid. comm. nostr. Vol. XXIII. p. 525.

a IONA CHRISTIANO DE RETTBERG, Societatis Oeconomicae Cellensis sodali, missum praemio ornauit. Praeterea duas iam propositas et a nobis indicatas *) quaestiones iterum, iterumque proponit. Attinent *rem metallicam veterum* ad nouembrem 1783. et alcali minerale et lixiuiosum ad novembrem 1784. Elaborationes sunt ante finem Septembris cuiuslibet anni ita, vti supra monuimus, tradendae.

Physica quaestio, quam Societas Scientiarum *Iablonouiana* nuper soluendam viris eruditis dedit, ignis potissimum concernit naturam; etenim optat ea, vt, *quae inter lumen, ignem et calorem locum habeat relatio*, exponatur, et simul demonstratur, *quid nuperrimae super hac re institutae disquisitiones docuerint, quidque adeo hoc respectu velut stabilitum queat haberi, quid minus sit firmum.*

Tentaminibus atque obseruatis, iisque et gravibus, et ad persuadendum idoneis, placita ad CLODIVM, Poëseos in nostra litterarum Vniuersitate Professorem Ordinarium, et Secretarium Societatis perpetuum, super hoc argumento versus finem Octobris anni CIↃIↃCCLXXXII solemni ratione missa, innitantur oportet. Optima responsio praemium viginti et quatuor numorum aureorum Hollandicorum reportabit.

Ceterum, quod spectat ad propositam nupero anno ab hac illustri Societate quaestionem *de veris naturalis scientiae finibus*, cet. eam ita soluit IOH. EPHRAIM SCHEIBELIVS, Matheseos et Physices apud Vratislauienses Professor, vt dignam eius commentationem, quae cum aliis societatis scriptis propediem euulgaretur, sodales aurea moneta censerent.

*) vid. comment. nostr. Vol. XXIV. p. 169.

Profeſſores medicinae Electorali auctoritate in Academia *Ingolſtadienſi* conſtituti.

IOSEPHVS ANTONIVS CARL, Med. Doct. Elect. Palat. Bauar. Conſil. aul. Artis obſtetriciae ac Botanices Profeſſor publ. ordin. Academ. Natur. Curioſ. Boicae, cet. Socius.

FRANCISCVS ANTONIVS FERDINANDVS STEBLER, Med. Doct. Elect. Palat. Bauar. Conſil. et Archiater Medicinae forenſis Profeſſor publ. ordin.

COSMAS DAMIANVS KLOSNER, Philoſ. et Medic. Doct. Elect. Palat. Bau. Conſil. Aul. Praxeos medicae Profeſſor public. ordin. et ſtatuum provincialium in circulo Ingolſtadienſi Phyſicus deputatus.

HENRICVS PALMATIVS LEVELING, Philoſ. et Med. Doct. Elector. Palatin. Bauar. Conſil. Aulic. Act. Princip. Epiſcop. Friſingenſ. Conſil. Intim. Act. et Archiater, Anatomiae, Chirurgiae, Inſtitutionum medicarum, Hiſtoriae litterariae medicinae Profeſſor publicus ordin.

LVDOVICVS ROVSSEAV, Philoſ. et Med. Doct. Elect. Palat. Bau. Conſil. Act. Chemiae et naturalis hiſtoriae Profeſſor et laboratorii chemici Inſpector.

His ex philoſophorum ordine adiungendus eſt

MATTHIAS GABLER, S. S. Theolog. Doct. Elect. Palat. Bauar. Conſil. eccleſiaſt. Phyſices et Oeconomiae Profeſſor publicus ordinarius.

Regia medica Societas *Pariſienſis* et Academia Scientiarum, quae *Nanceii* floret, Cl. IOANNEM ANDREAM MVRRAY elegerunt ſodalem.

MARCVS ELIESER BLOCH, Medicinae Doctor et Practicus Berolinenſis, inter Sodales Societatis Naturae Scrutatorum *Gedanenſis* receptus eſt.

D. IOHANNES HEDWIG, M. ERNESTVS BENIAMIN

MIN GOTLIEB HEBENSTREIT et M. CHRISTIANVS GOTHOLD ESCHENBACH inter membra oeconomicae Lipſienſis Societatis nuper ſunt relati.

OLOV ACREL, noſodochiorum Suecicorum Director generalis et ordinis Waſaici eques, a Sueciae rege nobilitatus eſt.

ERNESTVS GOTFRIED BALDINGER, medicinae apud Gottingenſes hactenus Profeſſor, factus eſt Principis regnantis Haſſo-Caſſellani medicus, ſimulque practicae medicinae in Alma Carolina Profeſſor, et medicarum rerum in terris Haſſo-Caſſellanis Director ſummus conſtitutus.

GOTLIEB HENRICVS KANNEGIESSER, Conſiliarius iuſtitiae et medicinae in Academia *Chilonienſi* Profeſſor primarius, Conſiliarius ſtatus nuper eſt factus.

IOH. FRIED. ACKERMANN, Regis Daniae Archiater et Profeſſor medicinae in eadem Academia ordinarius, Quaeſtor huius ipſius muſarum ſedis conſtitutus eſt.

IOH. FRID. CONSBRVCH Decani Facultatis medicae in Academia, quae nuper *Stuttgardi* condita eſt, munus in ſe ſuſcepit.

GEORGIO PROCHASKAE, Medicinae Doctori, provincia anatomen docendi et de oculorum morbis referendi in Vniuerſitate Caeſareo-Regia *Carolo-Ferdinandea Pragenſi* demandata eſt.

CAROLVS PETRVS THVNBERG, munus medicinam extra ordinem in Vniuerſitate *Vpſalenſi* profitendi haud ita pridem adiit.

CASPAR TRENDELENBVRG, antea artis obſtetriciae Adiunctus Holmienſis, Phyſici munus in civitate *Carlshaunienſi* obtinuit.

ANTON HOFFMANN, Medicus Regis Suecorum ordinarius, Regii Collegii Medici Praeſes Vicarius, autu-

autumno 1782 anni phthiſi extinctus eſt. Locum eius occupat Nobilis D. HEIDENSTAM, filius Archiatri quondam Regis ADOLPHI FRIDERICI.

IOH. CHRIST. EHRMANN, Medicinae Profeſſor ordinarius in Academia *Argentoratenſi* eſt conſtitutus.

EVGEN. IOH. CHRIST. ESPER in *Erlangenſi* Academia Profeſſor extraordinarius factus eſt.

CONRADVS MÖNCH, Pharmacopoeius Caſſellanus, munus botanicen in Alma Carolina, quae *Caſſellis* floret, docendi obtinuit.

IOH. WILH. HEIS, Medicinae Hippocraticae in litterarum Vniuerſitate, quae *Coloniae Agrippinae* olim eſt condita, profitendae munus in ſe ſuſcepit, et WILH. IOS. DE GINETTI, anatomen et phyſiologiam in Eadem Academia docere iuſſus eſt.

ANDREAS IOH. RETZIVS, Artt. Mag. nuper LIDBECKIO, naturalis hiſtoriae Profeſſori, in Academia *Lundinenſi Gothorum*, eſt ſubſtitutus.

SWEN ANDR. HEDIN, medicus aulae, inter Aſſeſſores collegii medici *Holmienſis* regii receptus eſt.

IOH. FRID. GLASER, Medicinae Doctor et Phyſicus Suhlenſis, a Duce Saxo-Gothano et Altenburgenſi metallicarum rerum Conſiliarius nuper factus eſt.

ISRAEL MARCVS, Medicinae Doctor, Principis Epiſcopi *Bambergenſis* Conſiliarius Aulae et Archiater eſt conſtitutus.

F. BRANDAU, Med. Doctor, munus de oculorum morbis referendi in Collegio *Carolino-Caſſellano* obtinuit.

Profeſſores medicinae *Gottingenſes*, IOH. ANDR. MURRAY et GOTLIEB AVG. RICHTER, Conſiliarii

liarii ab aula GEORGII III, magnae Britanniae regis nuper facti sunt.

IOH. GOTFR. LEONHARDI, Philos. et medic. Doctor atque Professor *Wittebergae* anatomen et botanicam publice docendi in se suscepit. Recitauit ea de re d. XXV. mens. Iul. CIↃIↃCCLXXXII. orationem, qua, *quantum pulcrior medicinae hodiernae facies Vitebergensium doctorum operae debeat*, demonstrauit, simulque Programma *de vi suctionis in corpore humano* edidit.

CHRISTIANVS FRIDERICVS NÜRNBERGER, muneris Professoris anatomiae atque botanices ordinarii in Academia *Wittebergensi* auspicandi gratia programma scripsit: *de sympathia oeconomiae animalis*, et orationem habuit *de noxis ab experientia in medicina fallaci proueniundis* die XI. a Calend. Decembris eiusdem anni.

Tiguri medicum et chirurgicum institutum est fundatum, cuius ratio breuiter est haec: Elementa omnium doctrinarum medicarum docentur a quinque medicis et tribus chirurgis:

D. SCHINZ.
D. IOHANNE CONRAD RAHN.
D. IOHANNE CASPAR HIRZEL.
D. IOHANNE HENRICO RAHN.
D. IOHANNE LVDOVICO MEYER.

IOANNE CONRAD MEYER, Chirurgiae operatore.
IOANNE HENRICO BVRCKHARDT, Chirurgiae operatore et
IOANNE IACOBO HESS, Chirurgiae operatore.

Reliqua, quae ad hanc huius instituti Societatem pertinent, et a Societate sunt communicata *), hic mittimus.

FRIDE-

*) *Ankündigung eines in Zürich neu errichteten medicinischen und chirurgischen Instituts. Zürich bey Orell, Geßner, Fueßlin und Comp.* 1782. 8.

FRIDERICVS ANDREAS GALLISCH, Philoſ. et Medic. Doctor, hanc poſteriorem artem extra ordinem in noſtra litterarum vniuerſitate profitendi munus nuper obtinuit, cuius adeundi cauſa d. IV. Menſ. Septembris publicum ſermonem *de legum vtriusque mundi analogia* recitauit, et ſimul programma *de acido ſalis, eiusque dephlogiſticatione* in publicum emiſit.

D. IOH. DAVID. BVSCHIVS extraordinariam medicinae profeſſionem in Academia *Marburgenſi* nactus eſt.

WILH. GOTFR. PLOUCQUET, Med. Doctor et Profeſſor apud Tubingenſes extraordinarius, hanc artem publice in hac ipſa academia docendi ordinarium munus nuper obtinuit, ad quod rite auſpicandum diſſertationem *ſuper noua pulmonum δοκιμασια* aduerſus ſecus ſentientes defendit.

Mortui ſunt:

W. REVSS, Ducis Würtembergici Medicus primus, anno CIↃIↃCCLXXXI, *Stuttgardi.*

WILH. LEWIS, noui diſpenſatorii et hiſtoriae experimentalis materiei medicae auctor, die XIX. Ianuarii CIↃIↃCCLXXXI, *Kingſtoni* in Suſſexia.

FRANCISCVS MICHAEL DISDIER, Academiae regiae chirurgorum Conſiliarius et anatomiae Profeſſor Pariſinus, menſe Martio CIↃIↃCCLXXXI, *Pariſiis.*

THEODORVS TRONCHIN, Geneuenſis, Medicinae Profeſſor, Ducis Aurelianenſis Archiater, Academiae ſcientiarum Pariſinae, cet. Membrum, d. XXX. menſ. Nouembris eiusdem anni, *ibidem.*

IOH. PFEFFINGER, Med. Doct. et Profeſſor ordinarius in academia Argentoratenſi, Capituli Thomani Canonicus, cet. d. XVI. menſ. Ianuar. CIↃIↃCCLXXXII, *Argentorati.*

IOH.

IOH. PRINGLE, Reginae magnae Britanniae Archiater, et Societatis regiae ſcientiarum Londinenſis Praeſes, die XVIII menſ. Ian. CIↃIↃCCLXXXII, *Londini.*

TOUSSAINT DE BORDENAVE, Profeſſor chirurgiae regius, et ſocietatis ſcientiarum pariſinae, lugdunenſis et diuionenſis membrum, menſe Martio, CIↃIↃCCLXXXII, *Lutetiae Pariſiorum.* Natus erat d. X. menſ. Aprilis CIↃIↃCCXXVIII in hac ipſa vrbe, ſeque tractatu de oſſium morbis inprimis celebrem reddidit.

GEORG. AVGVST. LANGGVTH, Pathologiae et Chirurgiae in academia *Wittenbergenſi* Profeſſor ordinarius, medicae facultatis Senior, muſei anatomici Inſpector et ſocietatis oeconomicae Lipſienſis membrum, d. XI. menſ. Martii CIↃIↃCCLXXXII, Wittebergae.

DANIEL BERNOULLI, Medicinae Doctor et Phyſices Profeſſor in academia Baſileenſi, octogeſimo ſecundo aetatis anno, d. XVII menſ. Martii CIↃIↃCCLXXXII, *Baſileae.*

DANIEL SOLANDER, Med. Doctor, Muſei britannici Inſpector ſecundus et ſocietatis regiae ſcientiarum Londinenſis membrum Londini, d. XIII Menſ. Maii, CIↃIↃCCLXXXII, quadrageſimo ſeptimo aetatis anno, apoplexia.

DANIEL WILHELMVS TRILLER, Med. Doctor, Ser. Sax. Ducis et Electoris Conſiliarius aulae, Medicinae in academia Wittebergenſi Profeſſor Primarius, Facultatis medicae Senior, Inſtituti ſcientiarum Bononienſis Socius, d. XXII Menſis Maii CIↃIↃCCLXXXII, octogeſimo octauo aetatis anno, *Wittebergae.*

HILARIVS ROBERTVS VALMONT DE BOMARE, Med. Doct. et medicus veterinarius regia auctoritate

ritate constitutus, *Parisiis* mens. Septembri, CIↃIↃCCLXXXI.

IOH. TVBERVILLE NEEDHAM, Londinensis natu, Academiae scientiarum bruxellensis Director, die XXX mens. Decembr. CIↃIↃCCLXXXI, anno aetatis sexagesimo octauo, *Bruxellis*. Inter eruditos potissimum nouis suis microscopicis obseruationibus innotuit.

WILH. BERNHARD. TROMSDORF, Med. Doct. et Professor publicus in vniuersitate erfordiensi, academiae electoralis moguntinae socius, die V Mens. Maii, CIↃIↃCCLXXXII, anno aetatis quadragesimo, tertio, *Erfordi*.

MATTH. FRANCISC. ALIX, Med. et Chirurg. Doctor, et Professor in academia fuldensi, die XXXI Mens. Maii, CIↃIↃCCLXXXII. *Brückenauiae*, in ditione fuldensi.

CHRIST. LVDOV. NEBEL, Med. Doctor et apud Giessenses Professor publicus ordinarius, mense iunio CIↃIↃCCLXXXII. anno aetatis quadragesimo quinto, *Giessae*.

ANDREAS SIGMVND MARGGRAF, berolinensis regiae scientiarum academiae Membrum et physicae classis Director, die VII Mens. Aug. CIↃIↃCCLXXXII, septuagesimo quarto vitae suae anno, *Berolini*, in cuius locum nuper suffectum esse FRANCISCVM CAROLVM ACHARDVM, regiae illius societatis hactenus sodalem, relatum legimus.

FRIDERICVS ANDREAS GALLISCH Philos. et Med. Doctor, Professor Medicinae Extraordinarius, cet. die XV. Februarii CIↃIↃCCLXXXIII. vigesimo nono aetatis anno variolis hic *Lipsiae*.

Neque multum ante CAROLVS IOSEPHVS OEHME Med. Doctor, *Dresdae* in flore aetatis.

Est

Eſt denique etiam, proh dolor! die XXV. Martii, huius anni mortuus IOANNES DANIEL REICHELIVS, medicinae artis doctor peritiſſimus, eandem maxima cum ſolertia et fide, tum fauſto omine per plures annos hac in vrbe faciens, et qui, vt Lectoribus noſtris cognitum eſt, poſt obitum LVDWIGII edendis his commentariis omni, qua potuit, diligentia et cura praefuit. Nimiis practicis negotiis obrutus a paucis quidem exteris, ſed ab amicis ſuis, vt vir bonus, et doctus cognoſcebatur. Dabimus paullo vberiorem vitae eius, et morbi letiferi maximeque ſingularis hiſtoriam proxime.

Vna viri, dum viueret, cura quoad litteras, haec erat, vt, quam ſummo quondam LVDWIGIO, cuius deceſſum etiamnum acerbe dolemus, promiſerat commentariorum horum continuationem, eandem morte ſua non interruptam, ſed diligenter et digne proſecutam ſciret. Ideoque, morbo increſcente, eandem tradidit NATHANAELI GODOFREDO LESKE, *medicinae baccalaureo, philoſophiae doctori, profeſſori hiſtoriae naturalis et oeconomiae in lipſienſi vniuerſitate, ſocietatum imperialis petropolitanae oeconomicae, regiae holmenſis patrioticae, berolinenſis naturae amicorum aliarumque ſodali*, ita, vt coeptae huius partis, et, ſi, vt ipſe praeuidebat, morbo ſuccumbere oporteret, totius operis editionem curaret, atque tertiae ſaltim decadis perficiendae operam daret. Etſi autem LESKIVS, quemadmodum in praefatione ſupplemento decadis ſecundae horum commentariorum praemiſſa iam dictum eſt, inde a decimo ſeptimo eorumdem volumine beatum REICHELIVM iuuit, omnemque, quantum per alia officia licuit, operam commentariis his impendit: dubitavit tamen prius, an huic negotio ſatis amplo et gravi ſe ſubtraheret. Neque tamen etiam potuit reſiſtere votis amici et viri de ſe ſumme meriti, ſed conſultis collegis et ſociis lipſienſibus exterisque,

qui huic operi hactenus commentarios librorum inſerendos crediderunt, et quorum praecipue diligentia, iudicii aequitate et amore erga verum ſcientiae naturalis et artis medicae incrementum illud ipſum conſtitit, proſperusque, et a multis optatus celerior progreſſus ab ipſis maxime etiam inpoſterum pendebit: ſuſcepit curam atque editionem horum commentariorum. Viri Clariſſimi atque ingenui, quorum nomina alio tempore dicentur, promiſerunt eidem opem ſuam, atque his auxiliis ſperat, ſuum qualecunque ſtudium ſuamque operam fore accepta Lectoribus noſtris.

Progrediemur igitur tramite, quem ingreſſus eſt LVDWIGIVS, atque operam dabimus ſummam, vt hi commentarii etiam inpoſterum ſint, vti hactenus erant, epitome et ſupellex docta nouiſſimorum notatuque digniſſimorum inuentorum, ſententiarum obſeruationumque in ſcientia naturali, eiusdemque parte ſpecialiori, medicina. Librorum, nobiscum beneuole ab Auctoribus vel librorum tradutoribus communicatorum, vti hactenus factum eſt, commentarios protinus huic operi inſeramus, ita tamen, vt iudicium noſtrum, ſi certum ferre datum erit, libere et breuiter ſubiungamus. Neque igitur rebus et libris laudandis adſenſum noſtrum denegabimus, neque tamen etiam celabimus, ſi falſa, vel male fuerint propoſita, vel alia, quibus Lectoribus librorum ſaepe imponi ſolent nonnulli, libro cuidam contineantur. Quorum igitur forte interierit, vt celeriorem relationem de libris ſuis in commentariis his optent et cupiant: eos, vt epiſtolas et libros ſuos, vel per occaſiones, quas iis librarii omnium vrbium facile ſuppeditabunt, vel, ſolutis vectigalibus, per currum publicum mittant ad ipſum huius operis directorem LESKIVM, etiam atque etiam rogamus.

XXIV.

XXIV.

Supplementum indicis ſcriptorum phyſico-medicorum, quae anno 1775 prodierunt.

Abhandlungen der freyen ökonomiſchen Geſellſchaft in St. Petersburg zur Aufmunterung des Akerbaues und der Hauswirthſchaft in Rusland, vom Jahr 1767. Aus dem Ruſſiſchen überſezt. Riga. 8. 7 und 8ter Theil.

Zwei neue ökonomiſche Abhandlungen. 1. Neuerfundene Angaben, wie man zur Erſparung des Holzes und des Raumes in Wirthſchaftsgebäuden den Ofen, Kamin und Küchenherd nebſt einer Obſtdarre in Einès bauen, und zum bequemen Gebrauch beiſammen haben kann. 2. Kurze Anweiſung, wie man den Kalk mit einem Drittheil Holz in drei bis vier Tagen brennen kann. m. K. Berlin und Leipzig. 8.

Schwediſche Abhandlungen von A. G. KAESTNER. *33 B.*

Oekonomiſche praktiſche Anleitung zum Flachs und Tobacksbaue. Witt. 8.

Abhandlung über die beſte Art den Rips und Kohlſaat anzubauen und ein gutes Oel herauszuziehen. Aus dem franzöſiſchen. Bern 8.

A natural hiſtory of britiſh birds with their Portraits accurately drawn, and beautyfully coloured from nature. London. fol. (*Auctor eſt Cl.* HAYES, *qui in hoc libro conſcribendo* PENNANTII *Zoologiam britannicam ſequutus eſt.*)

Gazette ſalutaire pour l'année CIↃIↃCCLXXV. à Bouillon. 4.

Neue Sammlung auserleſener Wahrnehmungen aus allen Theilen der Arzneywiſſenſchaft. Aus dem franzöſiſchen überſezt. Zehnter Band. Strasburg, 1775. 8.

Die Hämorrhoiden, den Freunden dauerhafter Geſundheit gewidmet. Berlin und Stettin. ſ. a. 8. (Auctor huius libelli eſt I. F. MAY, Medicus ab aula Electoris Palatinobauari).

Diſſertazione ſeconda ſugli timpanetti dell' udito ſcoverti nel Granchio Paguro e ſulla bizarra lui villa con curioſe note e ſane refleſſione. Napoli. 8. (Huius libri auctor eſt P. MINASI).

Kurzer Unterricht ertrunkene Menſchen wieder lebendig zu machen nebſt 6 Beobachtungen aus dem Franzöſiſchen der hierzu geordneten Geſellſchaft in Amſterdam ins teutſche und pohlniſche überſezt. Warſchau 8.

Edikt wegen ſchleuniger Rettung der durch plötzliche Zufälle leblos gewordenen, in Waſſer oder ſonſt verunglückten und für todtgehaltenen Perſonen, nebſt einem Unterricht, durch welche Mittel plötzlich verunglückte, todſcheinende Perſonen in den meiſten Fällen gerettet werden können. Berlin, fol.

Oſteologiſcher Katechismus für die Anfänger der Wundarzneykunſt. Augsb. 8.

Kurze Abhandlung von den ſcheinbaren Todesarten ertrunkener, erhenkter, erſtickter, ſchlagflüßiger erfrorner und erdrückter Perſonen nebſt eigentlichen und wirkſamen Geneſungsmitteln. München 8.

Epiſtolarum ab eruditis viris ad HALLERVM ſcriptarum Vol. VI. Bernae. 8.

Remede contre la maladie des bestiaux, qui a le plus grand ſuccès dans le Marquiſat de Pony dioecéſe de Condom à Bourdeaux. 8.

ANT. ARIGONI Iatì mecanica a trattato dei rimedi naturali mecanici. Tom. I. II. Lodi. 8.

GE. ARNOLD tractatus de partu ſerotino 3 24 dierum in ſingulari grauitate et puerperio. Lipſ. 8.

EIVSD. *Gedanken von der Einbildung der Schwangern.* v. comm. noſtr. Vol. XXI. p. 328.

Kurzt

Kurze Sätze über die Pocken zur Erforſchung der wahren Natur dieſer Krankheit von D. WILL. BRILIES, *Aus dem Franzöſiſchen überſezt von* AL. BERNH. KÖLPIN. *Stettin.* 8.

I. F. BLVMENBACHS *Verſuch natürlicher Ordnungen der Säugthiere, Göttingen,* 8. *Nunquam impreſſus. vide Literas Auctoris ad D. Jos. Banks, datas 9 Jun. 1790.*

I. BOESENS *Anleitung zum Waſſerbau für die an Waſſerflüſſen wohnende Schlachtmeiſter, wie haltbare Backwerkzeuge anzulegen und zu verfertigen ſind. Gött.* ib. 8. *m. K.*

Conſultation de Mr. BOURGELAT contenant les procedés à ſuivre pour combattre l'epizootie &c. à Bourdeaux. 8.

IOS. BVGARTI inſtruction familiére ſur l'education des vers à ſoie. à Geneve. 8.

Hiſtoire naturelle générale & particuliere, par Mr. le Comte DE BUFFON. Tom. XXX. 4.

Avis ſur differentes eſpéces de corps & de ceintures d une nouvelle invention, par Mr. DORFACOURT. Paris 12.

BVRRINI *gründliche Anweiſung in allen Arten der veneriſchen Krankheiten ſein eigner Arzt zu ſeyn,* cet. *Frankf. u. Leipz.* 8.

IO. IAC. BVSCH diſp. de partu naturali difficili, propter humerorum iniquum ſitum. Argentorati 4.

Travels in Aſia minor, by RICHARD CHANDLER. Oxon. 4.

C. E. ESCHENBACH medicina legalis breuiſſimis comprehenſa theſibus. Roſtoch. 8.

ESPER *von den neu entdeckten Zoolithen unbekannter vierfüſſiger Thiere.* (v. comm. noſtr. Vol. XXI. p. 325.)

I. C. P. ERXLEBEN *Vorleſung über den Gravenhorſtiſchen rothen Alaun. Göttingen,* 8.

I. C. P. ERXLEBEN *Anmerkungen über das Meyerische Farbendreyek.* Gött. 8.

Deſcrizioni e uſi di alcuni ſtromenti per miſurare la ſalubrità dell' aria di FELICE FONTANA. Firenze 4.

Gazette de ſanté conténant les nouvelles découvertes ſur les moyens de ſe bien porter & de guérir quand on eſt malade. Par I. Z. GARDANE, àParis. 4.

C. H. GAUTHIER diſſ. ergo praegnantibus, parturientibus et puerperis diaeta ſaepius temperans interdum tonica, reſp. *E. Sigauld.* Paris 4.

Experiences & obſervations ſur differentes eſpeces d'air, traduites de Mr. PRIESTLEY, par Mr. GIBELIN, à Paris, 18. (*v. comm. noſtr. Vol. XXI. p.* 126.)

I. P. HAAS diſſ. de morſu venenato et rabido. Vienn. 8.

ALB. HALLERI cerealium genera, ſpecies et varietates. Voll. II. Gotting. 8.

I. R. S. HOLDEFREVND *Abhandlung vom epidemiſchen Stikhuſten der Kinder. Helmſtädt.* 8.

IO. HVNTERI Hiſtoria naturalis dentium humanorum ex anglica in linguam lat. verſa a P. BODDAERT, cum fig. Dordraci et Lipſ. 4. (*Eſt quoque hic liber in germanicum ſermonem translatus, et Lipſiae apud Weidmanni haeredes et Reichium figuris aeneis nitidiſſimis et quibusdam obſervationibus vtilibus in forma octaua prodiit**). *Primam autem editionem iamiam indicauimus in commentariorum noſtrorum Volumine XIX. p.* 325.)

F. JEANROY diſſ. Ergo paucis et ſimplicibus contento aetas longior vita ſalubrior. Reſp. C. LAVREMBERT. Paris 4.

I. S. ISEN-

*) JOHN HUNTERS *natürliche Geſchichte der Zähne und Beſchreibung ihrer Krankheiten, in zween Theilen.*

I. S. ISENFLAMM commentatio V. de difficiliori obſeruationum anatomicarum epicriſi. Reſp. G. G. DOPPELMAIER. Erlang. 4.

C. KALL progr. Supplementa ad Halleri bibliothecam botanicam. Hafniae 4.

I. F. KRATZENSTEIN diſp. de ligni Quaſſiae vſu medico. Reſp. P. THORSTENSEN. Hafniae 4.

TIM. KIRBY de febre putrida libellus, in quo iſtius morbi, hiſtoria, cauſae, ſymptomata medela exhibentur. L. Bat. et Berolin. 8. (*Prodiit an.* 1774. *in forma eadem haec diſſertatio inauguralis Lugduni Batauorum, apud Iacob. Murray*).

I. E. KONGE *Unterricht zum Anbau des Tabaks. Breslau.* 8.

CLAVD. HILAR. LAVRENT. diſſert. de vſu et abuſu inſtrumentorum in arte obſtetricia. Argentor. 4.

I. G. LEHMANNS *Probierkunſt. Berlin* 8. *m. K.*

H. P. LEVELING diſſ. de carie cranii militis quondam veteris, poſtea epileptici, tandem apoplexia defuncti. Francof. 4. c. f.

W. GOTTL. LILIE diſp. de plumbi virtutibus medicis. Edimb. 8.

Die in Briefen über die Beſtellung eines Küchengartens vorkommenden Küchengartengewächſe, nach 1. *der Dauer der Pflanzen ſelbſt*, 2. *den Jahren der Dauer des Samens*, 3. *der gewönlichen Zeit des Ausſäens*, 4. *der Beſchaffenheit des für ſie erfoderlichen Erdreichs etc. von* F. G. H. LÜDER. *Leipzig* 4.

P. DE M** lettre ſur les paranymphes de la Faculté de medecine, à Paris 12.

DAV. MACBRIDE introductio methodica in theoriam et praxin medicinae. Ex Anglica in lat. convertit I. F. CLOSSIVS. Vltraiect. et Lipſ. 8.

MALO *phyſikaliſche Abhandlung von den Eigenſchaften des Donners aus den Mitteln wider das Einſchla-*

ſchlagen, von I. V. REZER *ins Teutſche überſezt. Wien* 8.

METZGER aduerſaria medica. (v. *comm. noſtr. Vol. XXII. p.* 455.

MINASI diſſertazione v. *Anonym.* ſupra p. 180.

I. F. MOSEDER diſp. de dyſenteria, quam excepit aphonia. Argentorat. 4.

A. ST. MÜLLERI deliciae topographicae Norimbergenſes. Franc. et Lipſ. fol.

L. MUNIER diſp. Ergo dyſentericis anodyna. Reſp. I. JUMELIN. Paris 4.

– – Ergo e globuloſa ſanguinis parte ad cutem appellentis aethiopum color. Reſp. D. SABATIER. Paris 4.

I. A. MVRRAY *praktiſche Bibliothek, 2 B. Götting.* 8.

EIVSD. *Beſchreibungen einiger neuen und ſeltenen Pflanzen, ib.* 4.

An Eſſay on a method of preventing venereal infection, by THOMAS NEWTON, London 4.

Underraettelſe huru man i briſt of Laekare kan bota ſig ſielf for den farlinga veneriska ſinkdomen, forfattad af IOH. L. ODHELIVS, Stockholm 8.

V. C. F. OPIZENS *Geſchichte ſeiner im Fürſtenthum Minden angefangenen und mit dem glücklichſten Erfolg eingeführten Einpfropfung der Kinderplattern. Minden* 8.

Sendſchreiben an Hrn. Runde über die Unbeſcheidenheit ſeiner bey Herausgebung der zwo Preisſchriften ſich angemaßten Cenſur der an die Geſellſchaft eingelaufenen andern 5 *Abhandlungen überhaupt, und inſonderheit einer ſo die Abhandlung mit der Deviſe:* Nulla lex ſatis commoda omnibus eſt etc. *betrift, von* PHILOETHUS, *Offenbach und Hanau,* 4.

Experiments and Obſervations on different kinds of

of air. By JOSEPH PRIESTLEY. The second edition corrected. London 8. c. f.

PEYRILHE de cancro (v. *comm. noſtr. Vol. XXII. p.* 689.)

IO. PRINGLE diſcourſe on the attraction of mountains. Lond. 4.

Kurzgefaßte Anweiſung zur Hebammenkunſt von Hrn. RAULIN, *Fulda*, 8. *m. K.*

G. G. RICHTER de morte ſeruatoris in cruce, de ieiuniorum noxis, de paralitieis N. T. et balneo inprimis animali. Götting. 4. (*Theologicae diſſertationes* RICHTERI *ſeparatim ſunt editae. Praeterea autem opuſcula* EIVSDEM *indicauimus in comm. noſtr. Vol. XXIV. p.* 533.

A. G. RICHTERS *Vorleſung vom Staphyloma. Göttingen* 8.

EIVSD. *Vorleſung von den eingeklemmten Brüchen. ib.* 8.

C. E. RÜCKERTS *Früchte der Einſamkeit, beſtehend in unterſchiedlichen phyſikaliſchen mediciniſchen und chirurgiſchen Zeitverkürzungen.* 1 – 3*tes Stück. Breslau*, 8.

Zwo Abhandlungen, denen die hochfürſtlich-heſſenkaſſeliſche Geſellſchaft des Ackerbaues und der Künſte den 5 *Merz* 1755 *den Preis zuerkannt hat. Nebſt einer Vorrede von dem Urſprunge und Einrichtung dieſer Geſellſchaft, von* I. F. RVNDE. *Caſſel* 8.

Theoretiſch und praktiſche Abhandlung vom Gartenbau nach Grundſäzen der Naturlehre des Pflanzenreichs erwieſen. Aus dem Franzöſiſchen des Abts RÜDIGER SCHABOL *überſetzt.* 3 *Band. Frkf. am Mayn* 8. *m. K.*

I. G. F. SCHVLZE diſſ. inaug. de ſaponibus, Gotting. 4.

I. A. SCOPOLI *Anfangsgründe der ſyſtematiſchen und praktiſchen Mineralogie, kürzlich vorſtellend*

den Bau der Erdkugel, die mineralogiſchen Lehrgebäude, die klaſſiſchen Geſchlechter und Arten der vornemſten Steine, u. ſ. f. Aus dem Lat. von K. VON MEIDINGER. *Prag* 8.

Swenſka Honungars Olyks Oeden-utgifned af H. SCHÜZERKRANZ. Stockholm 8.

M. SLABBER *phyſikaliſche Beluſtigungen oder mikroſkopiſche Wahrnehmungen in- und ausländiſcher Waſſer- und Landthierchen. Aus dem Holländiſchen von* P. L. ST. MÜLLER, *Nürnberg.* 4. *m. K.*

G. F. TESSIER Ergo ab animi aequabilitate ſanitas. Reſp. *B. de Gevigland,* Paris, 4.

EIVSD. Ergo a febre vulgari intermittente cito compeſcenda abſtinentia. Reſp. *Z. Baigneres.* Paris, 4.

T. THAURAUX diſſ. Ergo in aeſtate media rariori indulgendum cibo. Reſp. *D. Dionis.* Paris 4.

EIVSD. diſp. Ergo nutritio ſecretionum opus. Reſp. *C. de Brotonne.* Paris 4.

J. THOURET diſp. Ergo a conceptu ad puerperium genus neruoſum ſenſibilius. Reſp. *W. Leteneker.* Paris 4.

Travels through Portugal and Spain in 1772 and 1773. by RICH. TIVISS. Lond. 4.

VERDIER *kurze und deutliche anatomiſche Beſchreibung des menſchlichen Körpers. Aus dem Franz. von* J. A. DEISCH. *Wien* 8.

R. VICQ. D'AZYR diſſ. Ergo ſimilis vegetantium et animantium generandi modus. Reſp. *D. Teſſier.* Paris 4.

CHRIST. FRIED. WEBERS *Abhandlung von dem Bau und Nutzen des Hufes der Pferde und der beſten Art des Beſchlags zu ſeinen Vorleſungen entworfen. Dresden* 8.

Beurtheilung der Schrift des Churhanöveriſchen Regie-

gierungsraths von BORKEN *über die zu Berlin aufgeworfene Preisfrage: Von Vermehrung des Wachsthums der Bäume in den Forſten, von* G. M. L. VON WEDELL, *Breslau* 8.

A. WESTPHAL diſſ. de limitandis laudibus vomitoriorum ad curandas febres malignas. Reſp. *F. Weyrauch.* Gryphisw. 4.

Handbüchlein zum Unterricht vor die öſterreichiſchen Schafmeiſter von D. WIEGAND. *Wien* 8.

Curſory Remarks made in a Tour through ſome of the northern Parts of Europa particularly Copenhagen, Stockholm and Petersbourgh. by N. WRAXHALL. London 8.

Beobachtungen auf einer Harzreiſe, nebſt einem Verſuche die Höhe des Brockens durch das Barometer zu beſtimmen, von E. A. W. ZIMMERMANN. *Braunſchweig* 8.

XXV.

Supplementum indicis ſcriptorum phyſico-medicorum, quae anno 1776 prodierunt.

Gazette de ſanté, contenant les decouvertes utiles faites en médécine chirurgie pharmacie, phyſique, chemie, botanique, hiſtoire naturelle &c. Par une Societé des Medecins, à Paris 4.

Correſpondance d'hiſtoire naturelle, ou lettres ſur le trois regnes de la nature, conténant des obſervations ſur les animaux, les végétaux, & les mineraux &c. à Paris. Tom. VIII.

Beiträge zur Naturgeſchichte, beſonders des Mineralreichs, aus ungedrukten Briefen gelerter Naturforſcher. Altenb. 8. 2 *Th.*

Der Naturforſcher. Achtes und Neuntes St. (v. comm. noſtr. Vol. XXIII. p. 640.)

Storia naturale degli uccelli. Tom. V. (*Prim. Tom. v. com-*

v. comment. noſtr. Vol. XVII. p. 293.)

Betrachtungen von dem groſsen Nuzen und Schaden der vierfüſsigen Thiere. Bunzlau. 8.

Avis au peuples, ſur l'amélioration de ſes terres, & de ſa ſanté, de ſes beſtiaux, à Avignon. 12.

Deſcription & traitement d'une fievre catarrhale epidemique obſervée en 1732, parfaitement ſemblable à celle, qui s'étend journellement en Europe, vulgairement appellée la Grippe. à Montauban 8.

Trattado de Calanturas. Madrid. 8.

Unterricht von der vorteilhafteſten Schaafkultur. Nach den Lehrſäzen der Pflanzſchule zu Mercepail. Ulm 8.

Geſpräch über die Alchymie, zwiſchen einen Adepten und Chymiſten. Berlin 8.

Kurze Nachricht wie der Landmann und diejenigen, ſo keinen Arzt erlangen können, bei graſſirenden Pokken ſich zu verhalten haben. Berlin 8.

Auszug einer Nachricht von der Heilungsart und Behandlung des Bandwurms, welche zu Murten in der Schweiz gebraucht worden. Aus dem Franzöſ. Erlangen. 4.

Anweiſung auf was Art ein Landmann, bei gegenwärtig ſich äuſsernden hizigen Fiebern, in Ermangelung eines geſchikten und erfarnen Arztes ſich ſelbſt behandeln könne. Berlin. 8.

Diſp. Hiſtoria morborum a Mercurio. Viennae. 8.

Récherches ſur les maladies chroniques, particulierement ſur les hydropiſies & ſur les moyens de la guérir, par Mſr. BACHER. à Paris, 8.

VAGER. BAKO *von den geheimen Würkungen der Kunſt und Natur, und Nichtigkeit der Magie etc. Hof.* 8.

I. G. BAUMER Progr. de aqua calcis naturali, vel ſoteria alcalina. Gieſſ. 4.

EIVSD.

EIVSD. progr. de iis, quae ſpaſmis rigidis particularibus communia ſunt. ibid. 4.

EIVSD. Diſp. de calce viua. Reſp. *L. Amburger.* ibid. 4.

EIVSD. Diſp. de Tetano. Reſp. *F. Schacht.* ibid. 4.

EIVSD. Diſp. de febre rubra, vulgo ſcarlatina dicta. Reſp. *C. Cramer.* ibid. 4.

WILH. BAYLIE'S *Nachrichten über die Pokken-Inokulation zu Berlin, worinnen der Fal, den iungen Hrn. von Blumenthal betreffend, nebſt den Meinungen verſchiedener berümter Aerzte erzält wird. Aus dem engländiſchen von* I. G. KRÜNITZ, *Dresden.* 8.

Septiéme & huitiéme decade de la premiére Centurie des planches enluminées, & non enluminées, repréſentent au natural ce qui ſe trouve de plus intereſſant & des plus curieux parmi les animaux, les végétaux & les minéraux, pour ſervir d'intelligence à l'hiſtoire générale des trois regnes de la nature. Par Mr. BUCHOZ, à Paris. 8.

IO. CAPITO diſp. de obſeruatione medica. Hauniae, 8.

Diſſertation medico-practique ſur l'uſage de refraichiſſement & des echaufans dans les fievres exanthematiques. Par Mr. CARRERE. à Amſterdam 8.

TH. CLERK diſſ. de hydrocephalo, Edinb. 8.

Vorſchriften über die Geſundheit der Kriegsleute von Hrn. COLOMBIER. *Aus dem Franzöſiſchen. Bern.* 8.

Abrégé de l'art des accouchemens &c. Nouvelle edition par Madame LE BOUSSIER DE COUDRAY, à Paris. 8.

GOTTLIEB GOTTLOB CURTIUS *Gedanken von der Arzneywiſſenſchaft und ihrem ausgebreiteten Nuzen im Staate. Eutin.* 8. (*ſ. a.*)

Phy-

Phyſiographiſka Salskapets Handlingar. Torſte Deel. Stockholm hor IOH. ARV. CARLBOHM.

SAMVEL DANIEL de ictero. Edinburg. 8.

Heads of lectures on the theory and practice of medecine by ANDREW DUNCAN, Edinb. 8.

An addreſſe to the ſtudents of medecine at Edinburgh, introductory to a courſe of lectures on the theory and practice of phyſic by the ſame. ibid. 8.

La Science & l'art de l'equitation fondées ſur l'anatomie, la mechanique, la géometrie & la phyſique. Par Mr. DUPATE DE CLAM, à Paris. 8.

Naturlere für die Jugend von I. I. EBERT. 8. 1 *Band.*

Urſachen der Liebe und Heilmittel darwider, inſofern ſie Krankheit iſt, von I. F. *einem engliſchen Arzt. Leipzig.* 8.

Recherches phyſiques ſur la nature de l'air nitreux & de l'air phlogiſtique. Par Mſr. l'Abbé FELICE FONTANA, à Paris. 8.

Abbate ALB. FORTIS *Reiſe durch Dalmazien. Bern.* 8. 2 *Band.*

F. O. GAUPPENS *Abhandlung von dem verbeſſerten Weinbau. Stutgard.* 8.

Anatomie des Parties de la génération, & de ce, qui concerne la groſſeſſe & l'accouchement, jointe à l'angéologie de tout les corps humain, avec de planches imprimées en couleur, ſelon le nouvel art: ſeconde edition, augmentée de la coupe de la ſimphiſe. Par Mr. GAUTIER DAGOTY pere, à Paris. 8.

Riſioramento della Sardegna propoſto nel Miglioramento di ſua agricoltura. dal Signor FRANC. GEMELLI, Tom. I. Turin. 4.

Elektriſche Pauſen von I. I. GROSS, *Leipzig.* 8.

C. L. HALLE' diſp. ergo in corpore animato datur vis tonica. Reſp. *F. W. Teſſier.* Paris in 4.

I. HERRMANN diſſ. ſiſtens affinitatum animalium tabu-

tabulam breui commentario illuſtratam. Reſp. *Georg. Chriſt. Würz.* Argent. 4.

I. HILL'S *Abhandlung von dem Schlaf der Pflanzen und von der Urſache der Bewegung der empfindenden Pflanzen etc. überſezt von* H. I. HAHN. *Karlsruhe* 8.

W. HOLLAND de cynanche tonſillari. Edinb. 8.

Propoſals for the recovery of people apparently drowned, by JOHN HVNTER. London 4.

IO. LANG diſp. de paſſione hyſterica. Vindobon. 8.

ER. GVST. LIDBEK fungos regno vegetabili vindicans. Reſp. *John Dryander.* Londini Gothorum. 4.

Was für die Bienenfreunde: vom Urſprung und der Beſchaffenheit der Raub oder Heerbienen von LIMBOURG. *Langenſalza.* 8.

I. A. DE LVC *Unterſuchungen über die Atmoſphäre, und die zur Abmeſſung ihrer Veränderungen dienlichen Werkzeuge. Aus dem franzöſiſchen. Leipz.* 8.

F. H. LÜDER *Fortſetzung der in den Briefen, über die Beſtellung eines Küchengartens gegebenen Anleitung zum Küchengartenbau. Hannover.* 8.

C. DES LONGROIS diſp. ergo in hepate materiae ſanguinem colorantis defaecatio. Reſp. *J. Jeanrois.* à Paris. 4.

Der Kinderarzt von J. LOOKE. *Yverdon.* 8.

FR. HENR. MEINOLPH obſeruationum electricarum decuriae IV. Würzb. 8.

C. MVNIER diſp. ergo quam diu ſerpit Gangraena, etiamſi a cauſis externis, amputatio non tentanda. Reſp. *F. de Juſſieu.* à Paris 4.

P. NAVIER diſp. ergo ſyſtema glanduloſum lymphae officina. Reſp. *C. Munier.* Paris. 4.

E. A. NICOLAI diſſ. inaug. de generatione chyli. Reſp. *I. W. Feuerlin.* Ien. 4.

Reliqua proxime.

Contenta

Contenta in hac parte.

I. Journal de médécine, chirurgie, etc. T. XLIX. et L. p. 3
II. ALB. HALLERI de partium humani corporis fabrica. T. III. 11
III. I. E. GREDING *vermiſchte mediciniſche und chirurgiſche Schriften.* 24
IV. AD. FR. VOGEL *chirurgiſche Warnehmungen. IIte Sammlung.* 29
V. A treatiſe on the theory and management of vlcers, by BELL. 32
VI. Clinical experiments, hiſtories and diſſections by F. HOME. 41
VII. A medical commentary on fixed air, by M. DOBSON. 52
VIII. *Die Elektricität aus mediciniſchen Geſichtspunkte betrachtet von* BERTHOLON DE ST. LAZARE. 56
IX. Kongl. Svenska Vetenſkaps Academiens Handlingar. Vol. XXXV. 61
X. PET. IOS. MACQUERS *chemiſches Wörterbuch, von* D. IOH. GOTTFR. LEONHARDI. 77
XI. Dictionarium botanicum. 95
XII. Chelonographia *oder Beſchreibung einiger Schildkröten von* D. IOH. IVL. WALBAVM. 97
XIII. *Vermiſchte Abhandlungen aus der Thiergeſchichte von* BLASIVS MERREM. 100
XIV. C. A. LINNE' Termini botanici recuſi a PAVLLO DIETERICO GISEKE. 104
XV. Supplementum plantarum editum a CAROLO A LINNE'. 106
XVI. Lettere odeporiche di ANGELO GVALANDRIS. 136
XVII. ED. SANDIFORT obſeruationes anatomico pathologicae. Liber IV. 143
XVIII. IO. I. HAARTMANNI Sciagraphia morborum, Partes IV. 150
XIX. *Schwediſches Apothekerbuch.* 155
XX. *Anatomiſche phyſiologiſche Abhandlung von Gehirn, Rückmark und Vrſprung der Nerven von* IOH. CHRIST. MEYER. 156
XXI. CHRIST. ERNST. WÜNSCH *neue Theorie von der Atmoſphäre.* 158
XXII. AVG. CHRIST. REVSS *Beſchreibung eines neuen chemiſchen Ofens.* 159
XXIII. Noua phyſico medica. 161
XXIV. Supplementum indicis ſcriptorum phyſico-medicorum anni 1775. 161
XXV. Supplementum indicis ſcriptorum phyſico-medicorum, quae anno 1776. prodierunt. 187

COMMENTARII
DE REBVS
IN
SCIENTIA NATVRALI
ET
MEDICINA
GESTIS.

VOLVMINIS XXV. PARS II.

LIPSIAE, MDCCLXXXIII.
APVD IOH. FRIDERICVM GLEDITSCH.
Venduntur etiam
Londini apud Fr. Elmsly, Edinburgi apud Io. Balfour, Lugd. Bat. apud Fratres Luchtmann, Parisiis apud Barroi senior. Venetiis apud Io. Bapt. Pasquali, Milano apud Ios. Galeazzi, Augustae Taurinor. apud Laurent. Giraud, Holmiae apud Magnum Swederum.


Jos Banks

I.

Kongl. Svenſka Vetenſkaps Academiens Handlingar för År 1777. Vol. XXXVIII. Stockholm 1777. 8. plagg. 351. tab. aen. 9.

h. e.

Acta Academiae Regiae Scientiarum Suecicae, anni MDCCLXXVII.

Trimeſtre primum.

I. ROLAND MARTIN *quomodo defectus vnius alteriusue ſenſus aliorum maiore perfectione ſuppleatur.* Occaſione coeci cuiuſdam varias artes exercentis iunguntur aliae hiſtoriae de coecis, ſurdis cet. variis ex ſcriptis congeſtae. p. 4.

II. *De aqua marina, ex profundo hauſta,* refert ANDR. SPARRMAN. Accepit talem circa latitudinem geographicam 29. grad. 27 min. longitudinem 38. gr. 21.′ ad occidentem meridiani Pariſini ex profunditate 60 orgyiarum. Magis ſalſa apparuit ea, quae ex ſuperficie hauritur, ſed purior, libera ab huius ſapore nauſeoſo, ſimilis aquae dulci, quae ſal ſolutum contineret. p. 21.

III. *Aquam marinam,* quam *ex profundo* 60 orgyiarum hauſtam, SPARMANN attulerat, examinat TORBERN BERGMAN. Gradibus 15 calentis gravitas ſpecifica, aquae deſtillatae grauitate poſita = 1, eſt = 1,0289, igitur menſura, quam *Kanna* vocant Sueci, pondere aequat ſemiuncias 196,5199. Haec menſura continet ſalis communis ſemiuncias 6, 48; Magneſiae ſalitae 1,77; gypſi 0,21; magneſiae in acido aereo ſolutae, minus, quam $\frac{1}{100}$ ſemiunciae. Suſpicatur fuiſſe in aqua plus acidi aerei p. 25. p. 28.

et ſolutae in illo magneſiae, ſuccuſſibus vero, et calore, abiiſſe acidum, decidiſſe magneſiam. Aquae profundiori non ineſſe ſaporem nauſeoſum, quem habet ſuperficiei propior, explicat ex cadaueribus animalium marinorum prope ſuperficiem putreſcentibus. Salis copiam prope ſuperficiem ſatis exiguam eſſe, vt putredinem promoueat, non maiorem, qua putredini reſiſtatur. Cum enim putredine reſolui debeant cadauera, ſalem aquae maxime datum eſſe a creatore, non, vt quidam credunt, arcendae putredini, ſed potius accelerandae.

p. 29. IV. *De inſectis, quae cerealibus propullulantibus* et ipſis illorum *radicibus* nocent, agit Cl. BIERKANDER. Suecicum nomen *vermes radicum* indicat. Sunt illi muſcarum laruae, inprimis *Muſcae ſecalis*,
p. 32. et *Muſcae calamitoſae*. Sed et alias laruas inter plantulas ſecalis progerminantes reperit, ex quibus
p. 33. prodierunt *Muſca velox*, *Muſca tripunctata*, *Muſca truncata*, *Muſca niualis*. Remedium inprimis in eo quaerit, ne cum ſtercoratione agri oua muſcarum eo deferantur. Igitur tegendum ſimum, aut ita tractandum, vt oua immitti non poſſint, vel ſubacto aratione ſimo deſtruantur.

p. 44. V. *De numero Lapponum* aliquot parochias Lapponiae Sueciae incolentium refert ION. HOLLSTEN.

p. 45. VI. *Proteae nouam ſpeciem* deſcribit et pingit ANDR. SPARRMAN. Reperit illam in Capite bonae ſpecie. Pulcherrimam inter viginti duas congeneres pronunciat, quas in capite bonae ſpei viderit. Itaque, regem, qui Sueciae iam imperat, honoraturus, ſpecificum nomen Proteae huic dat: *Sceptrum Guſtauianum*.

p. 56. VII. IO. CHR. WILKE phaenomena *electrophori* D. VOLTA recenſet, et explicare contendit, ſimul primaria phaenomena electrica, vnde oriantur, docere.

cere. Vtitur materiis duabus, quae ſingulae repel- p. 72.
lant, ſe vero mutuo trahant, coniunctae materiam
actiuitate carentem conſtituant, a corporibus diuer-
ſimode trahantur.

VIII. O. ACREL refert *de trunco arteriae femo-* p. 83.
ralis ſiniſtrae vulnerato, ligaturis ſeparato ſanatione,
ſalua extremitate inferiore feliciter obtenta. Vulnus p. 86.
cultro fortuito ſibi inflixerat miles, aetatis XXVIII.
annorum, d. 13. Ian. 1777. circiter 7 digitos a liga-
mento FALLOPII tranſuerſim inter muſculos, ſar-
torium et adductorem longum. Subſidiis, quae
ad manus erant, adhibitis, cum ſanguinis ſtillici-
dium, faſciis et compreſſionibus omnino cohiberi
non poſſet; pulſatio vero, aneuryſma indicaret, d. 8.
Febr. in noſocomium regium receptus eſt. Aper-
to vulnere manum tranſuerſam infra ligamentum
FALLOPII intra femur, truncus arteriae femoralis, p. 89.
longitudine digiti tranſuerſi apparebat, apertura
ſuperiore circiter duas lineas lata, ſanguine coagu-
lato occluſa. Pars arteriae, viſui expoſita, et quae
ab integumentis communibus faſcia lata tegebatur,
in formam oualem extenſa, vehementer pulſabat.
Ita iudicabatur aneuryſma ſpurium tunicae arte-
riae, a ſanguine, qui elapſis XXVII diebus iteratis
vicibus proruperat, putreſcente arroſae, alicubi
rupturae proximae. Cum appareret compreſſio-
nem ſolam profuturam, ligaturae applicatae ſunt,
ſupra et infra aneuryſma, inferior aperta manſit,
ſuperiore conſtricta, et compreſſione arteriae, tum
ſanguis, qui profluxerat, cohibitus eſt, tum aliis
non ignotis remediis ſanatione praeſtita aeger ſub
finem aprilis, libero pedum vſu fruebatur.

VIIII. Quaedam *ad hoc exemplum* commenta- p. 102.
tur ROL. MARTIN. Nutritionem quidem *extremi-*
tati huic adferri potuiſſe ab aliis vaſis, cum ſurculi
arteriae femoralis ſuperficialis ac popliteae, occur-

rant ramis arteriae profundae femoralis et perforantis, parcum tamen esse hoc nutrimentum, si cum magnitudine extremitatis inferioris huius conferatur. Itaque inprimis compressionem adhibendam suadet.

Trimestre secundum.

p. 105. I. ROL. MARTIN adnotata *de sensibus externis* continuat *), satis cognita, de tactus organo per omnem corporis superficiem diffuso, nervis, inprimis vbi subtilior tactus est, vt in digitorum extremis, copiosioribus: deinde organa reliquorum sensuum recenset eo ordine, quo maius organismi artificium ostendunt, gustus, olfactus, auditus, visus, atque variam variorum sensuum addit necessi-
p. 124. tatem. Rursus vnius defectum aliis resarcinari, quod parcatur neruis iis, quibus deficit vis, adeoque aliis
p. 126. impendi possint. Neruos non inter se dissimiles esse, sed alios aliis sensationibus aptari, quod ad or-
p. 127. gana aliter constructa pertingant. Omnes nervos sensorios esse, neque differre ab illis motorios.

p. 128. II. IO. CAR. WILKE continuat explicationem *electrophori*, *et phaenomenorum electricorum*, inprimis agit *de atmosphaeris electricis*.

p. 144. III. *De Hydnora Africana*, anno MDCCLXXI Trim. I. descripta, quaedam addit THVNBERG **) ad modum florendi cet. pertinentia. Fructus est bacca, pulpa constans, quae sparsa continet semina nidulantia: comedunt eundem Hotentottae et rusticorum liberi. Locus plantae systematicus est in Monadelphia ante Waltheriam.

p. 147. IIII. *Viuerram melliuoram* describit ANDR. SPARRMAN. Nomen triuiale *Ratel* tribuunt animali capitis bonae spei incolae, vbi habitat. Inprimis vescitur

*) v. primum articulum Trimestris primi supra p. 195.
**) v. comm. nostr. Vol. XXIV. p. 583.

ſcitur melle et cera apum, caua intra terram incolentium, quae caua variis aliis animalibus, vt hyſtrici criſtatae, ſui africano, talpis, viuerris, originem debent. Crines animalis rigidi, pellis tenax, quam canum morſus vix penetrant, ipſum animal dentibus et vnguibus ſe tuetur. Pellem prehenſam dicunt loco, vti prehenditur, a carne ſecedere, quam veluti ſaccus contineret. Figura animalis et deſcriptio ex pelle detracta exhibentur, viuum obtinere Noſter non potuit.

V. *De rectificandis arcubus ellipticis et hyperbolicis* agit NIC. LANDERBECK. p. 151.

VI. PETR. HOGSTRÖM *numeros Lapponum parochiarum* aliquot edit. Gens iſta paullatim minui videtur. p. 155.

VII. PETR. ADR. GADD rurſus agit, *de paludibus in agros aut prata conuertendis.* p. 160.

VIII. GEORG. FORSTER plantam, quam in nova Zelandia detexit, deſcribit et depingit, *Gentianam ſaxoſam* corollis quinquefidis campanulatis, foliis ſpatulatis. p. 183.

VIIII. DANIEL ME. ALGREN quaedam narrat, quae ad apes pertinentia expertus eſt, additis, quae inde ducantur, praeceptis oeconomicis. p. 185.

Trimeſtre tertium.

I. *De nitro cogitata* edit IO. BERGER: nixa iis, quae Helſingforſii, vbi nitrum coquitur, obſeruata ſunt. Lixiuium nitro foetum, cum pinguedine abundat, non cryſtalliſari. Non ea ex cauſſa, quod baſis alcalina ipſi deſit, vt chemicorum quidam docuerunt, ſed quod pinguedo cryſtalliſationem impediat. Separata enim pinguedine, cryſtallos generari, licet nihil alcalini admiſceatur. Multa de ſale ammoniaco in lixiuio, vnde coquitur nitrum, contento. Scripſit haec auctor anno 1766, cum co- p. 193.

cturae nitri Helsingforsii praeesset, consectaria complexus ex plurimis experimentis, ibi institutis. Tum hoc scriptum, tum aliud longe prolixius, quo experimenta recensentur, consilio bellico exhibuit, quod post mortem auctoris vtrumque Aca-
p. 213. demiae Regiae Scientiarum donauit. Sub finem monetur, esse in domo quadam Helsingforsii puteum, cuius aqua nitrum contineat, et quidem in cantharo aquae, cum ditissima est, semiunciam.

p. 213. II. *De magnesia nitri* agit TORBERN BERG-
p. 214. MAN, occasione scripti praecedentis. Quod pulvis albus e lixiuio, vnde nitrum coquitur, praecipitatus ope alcali fixi, facile soluatur in acido vitrioli, et crystallisatione sal anglicum exhibeat; contra, quod ex lixiuio post euaporationem obtinetur, calcinatum, in eodem menstruo absque solutione manere videatur, quod et praecipitato accidit, postquam calcinationem subiit: inde collegerunt aliqui, mutationem in calcem eueniisse, nam eadem phaenomena calx vsta exhibet. Noster docet, calcinatione abire a magnesia, 25 centesimas acidi aerei, 30 centesimas aquae, quo efficiatur, vt, quod remanet, difficilius solutum sit, nihil ceterum eius natura mutata.

p. 216. III. *De electrophoro* dissertationem finit IO. CAR. WILKE.

p. 234. IIII. *Cimex paradoxus* describitur ab ANDR. SPARRMAN. Reperit insectum in desertis arenosis Capitis bonae spei obiter conspectum frustulo folii aridi simile. Thorax margine tenui prominente circumdatur. Animal vndique aculeis munitum.

p. 238. V. *Hydrophobiam*, quae intra duos dies aegrum occidit, describit IO. L. ODHELIVS. Rabies animalium rara in Suecia, quod climati temperato tribuitur. Hominum vero, qui funesto hoc morbo perie-

perierint, vix exempla extant. Casus, quem refert, accidit puero duodecim annorum. Is catellum noctu etiam in lectum receperat. Aegrum catellum pauidum, homines, et notos, fugientem, alia indicia rabiei edentem, manibus tractauerat, ligatum in lecto retinuerat nocte, quae catelli mortem anteceſſit. Sine dubio oſculatus etiam erat animal puer, conqueſtus enim de fetido canis halitu. Male ſe habuit puer d. XXIV. iun. MDCCLXXVII. catello d. XII. iunii eiusdem anni interemto, ita tamen, vt per aliquot dies et iter breuiuſculum ſuſcipere, et ſcholam frequentare poſſet, licet animo minus quam ſueuerat erecto. Increbreſcente malo vocatus ODHELIVS d. 29. iun. ante meridiem tum ex aliis indiciis, tum quod bibere renueret, etſi de ſiti conquereretur, qualis morbus ſit, agnouit. Vena ſecta hora ſecunda eius diei ſanguis ſine cruſta inflammatoria. Nunc demum comperit canis, quam retulimus, hiſtoriam. Balneum aquae tepidae adhibitum, tecta aqua prae oculis aegri, deinde vnguento mercuriali brachia et pedes illita, bolus ex opio et moſcho difficulter ab aegro deglutitus, omnibus nihilominus in peius ruentibus. Vena rurſus ſecta, neque dum cruſta inflammatoria apparuit, conuulſiones abſque intermiſſione duraverunt, ſenſationis indicia nulla, donec decreſcentibus ſpaſmis, aeger d. XXX. iun. dicti anni ante meridiem, ſatis quietus obiit.

Conſectaria quaedam generalia huius hiſtoriae haec addit Noſter. Cum ſanguis inflammati nil oſtenderit, morbum non eſſe in humoribus, ſed in violenta commotione ſyſtematis neruoſi, a veneno, quod inprimis pectus et collum inuadat. Itaque methodum antiphlogiſticam forte non optimam eſſe. Optandum eſſe medicamentum, quod veneno neruos irritanti obſtet. Eius veneni effe-

ctus cum iam d. XXIV. iun. apparuerint, hydrophobiam tamen, nonnisi demum XXVIII. iun. successisse cum pectoris oppressione. Itaque sequelam esse vehementioris irritationis, et spasmorum in collo pectore, facie. Mercurii vim nullam esse, cum hydrophobia iam apparuit.

p. 246. VI. *Culturam solani tuberosi* describit, et vsus oeconomicos eximios laudat IO. ALSTRŌMER. Speciem huius solani vnam agnoscit, a RALEGHO anno 584 ex Virginia in Hiberniam delatam, et varietates plures recenset, ex cultura natas.

p. 265. VII. *Animal exiguum, rarum, Africanum*, depinxit et breuiter describit ERIC. SKJÖLDEBRAND. Reperitur in Africae deserto Sara, sed rarissime, vt, cum Algirii commemoraretur Noster, praemiis propositis, nonnisi vnicum nanciscì potuerit. Parvitate et velocitate captaturos effugit. Quod habuit, in fouea in sabulo excauata habitaculo suo, captum erat, et in cauea pane et carne cocta nutriebatur. Liberum dicunt vesci insectis minoribus, locustis cet. Arrosa dentibus cauea, effugit: itaque methodica descriptio edi non potest. Latravit interdum vt canis, habitus catelli aut potius vulpeculae, naturali magnitudine sedens pictum exhibetur (picturae longitudo digitos circiter septem). Forma animalis pulchra, crines nitidi, color ad fuscos pertinens, aurium alae magnae, ad quarum basin nullus apparuit ad mentum auditorium introitus, forte, ne is meatus animali in sabulo fodenti saepius impleretur. Pedes, quales catelli aut vulpeculae, etiam dentes, quantum conspicere illos licuit, nam animal in cauea viuens difficilius prehendì poterat, neque, vt id fieret, magnopere laboratum est, ne vel se ipsum laederet, vel prehensurum morsu. Itaque accuratius examinari non potuit, vnde aliud nomen ipsi Noster tribuere non audet, praeter hoc: *Vulpes minimus Saarensis.*

VIII.

VIII. PETR. HELLZE'N deſcribit *machinam granis cerealium ex ariſtis exprimendis, dum ſupra illas voluitur.* p. 267.

IX. *De morſu canis rabidi ſanato* refert WILH. STÜTZER. Ancillam anni MDCCLXXVII. d. XXI. iulii hora octaua matutina momordit canis, rabidus iudicatus, quod lingua propendente, nullo latratu, illam aggrederetur, antea vero felem, et catellum occidiſſet. Vulnus magnum inflixit pedi dextro, dentes etiam impegit brachio ſiniſtro. Noſter laeſam primo vidit hora altera pomeridiana eius diei. Vulneri pedis ſcarificato impoſitum vnguentum de ſtyrace, vena ſecta in brachio dextro adhibitum vnguentum Neapolitanum PETITI, interne vero puluis ex cinnabari e moſcho: ſpatio nouem ſeptimanarum vulnus omnino ſanatum. Hydrophobia nulla, niſi impoſterum contingat, ad quam rem attentum ſe futurum Noſter promittit. Monet Academia, non ſatis certum eſſe, an rabidus canis fuerit, interim mercurialium vſum ſuadendum eſſe poſt morſum cuiusuis canis irati, etſi non rabidi. p. 270.

Trimeſtre quartum.

I. *Annuas et diurnas variationes acus magneticae Holmiae* pluribus annis obſeruauit IO. CAR. WILKE. p. 273.

II. ANDR. HELLANT *obſeruationes declinationis acus magneticae, in variis locis intra circulum polarem habitas,* edit. p. 300.

III. *Calculo veſicae vrinariae* fruſtra adhibitum *ſaponem et aquam calcis* refert P. ION. BERGIVS. Id remedium, aliis fruſtra adhibitis, aegro inde ab anno MDCCLXII calculo laboranti ſuaſerat Noſter et ROSENSTEINIVS. Itaque ſub finem anni MDCCLXIII coepit aeger quotidie ſumere ſemun- p. 304.

ciam

ciam ſaponis, adhibitis ſimul tribus quartis (*Quartier*) aquae cálcis praeparatae ex oſtrearum teſtis calcinatis. Hoc remedio conſtanter et exacte vſus eſt, niſi, propter alium morbum, rarius, BERGIVS ipſe aliud ſuaderet. Initio, leuari viſum malum, ita, vt et cibos magis appeteret, et bene concoqueret, pinguiorem corporis habitum conſequutus. Sed poſt plures annos, coepit macilentior fieri, doloresque augebantur, atque calculus ita creſcebat, vt exterius in perinaeo ſentiretur; apparuerunt aphtharum indicia, et ſingultus perpetuus. Martio menſe MDCCLXXVII deceſſit aeger annorum LXXI. SVEDELIVS, dum aperiretur cadauer, praeſens fuit, veſica tota calculo repleta, cui fere circumcirca applicabatur, calculus obductus in ſuperficie, et circumdatus, materia ſabuloſa, cuius recentis facies cryſtallina erat. Calculi exemti pondus ſemunciarum vndecim, duos dies in loco ſicco
p. 307. ſeruatus vnciam perdidit. Hinc dubitat Cl. BERGIVS, ſaponi et aquae calcis vim eſſe, calculi in corpore diſſoluendi, etſi in calculis extra corpus id praeſtent. Forte in primis viis reperitur copia acidi aerei, quo ſaturatae particulae calcareae in aqua calcis ſanguinem non ingrediuntur. Plures hiſtorias ab aliis relatas memorat, calculorum repertorum in cadaueribus illorum, qui ſapone et aqua calcis diu vſi fuerant, ipſo etiam Stepheniano
p. 308. remedio. De lixiuio cauſtico, quod Anglis contra calculum celebratur, haec expertus eſt: quinque guttae lixiuii cauſtici, ſufficiente quantitate iuris ex carnibus coctis dilutae, aegris, qui magnis calculis veſicae laborabant, dolores plurimum auxerunt. Itaque experimenta caute inſtituenda, nec niſi cum iis, quorum calculi exigui. Saponem et aquam calcis, etſi non ſoluant calculos, dolores tamen mitigare, docet, tum ille caſus ipſe, quem

quem refert, tum equitis WALPOLE, de quo legi poſſunt Tranſact. philoſ. Vol. XLVII. p. 472. et Vol. L. p. 205 *). Calculi veſicae felleae, licet a calculis ve P. 309.
ſicae vrinariae omnino diuerſi ſint, monet tamen Noſter, contra illos aquam calcis et ſaponem fruſtra adhiberi. Plus ſperat ab acido vegetabili, propter pinguem horum calculorum habitum. Tribus vicibus ipſi contigit, colicas vehementes, a calculis veſicae felleis ortas, mitigari cremore tartari, et iuſculis ex herbis viridibus.

IV. *Pinus viminalis* deſcribitur a NIC. ALSTRÖMER. Arborem ſolitariam prope Malmby in iti- P. 310.
nere praeteriens vidit, curauit deinde, vt ſolicite examinaretur, et exhibet ANDR. SPARRMANNI botanicam deſcriptionem. Vocatur SPARRMANNO: *Pinus viminalis, ramulis elongatis, pendentibus, flexuoſis, laxis.* A pinu abiete differt 1) ramulis elongatis, P. 313.
ſimpliciuſculis dependentibus, flexuoſis, laxis, maxi- P. 314.
mam partem aphyllis, ſed ad apices foliоſis, in figuram moniliformem; 2) foliis tetragonis, minus et rarius mucronatis, maioribus intenſius viridibus, vndique patentibus, ſaepius incuruatis. Aliquot arbores repertae ſunt, ſed paucae vnde SPARRMANNO dicitur: in Vplandia et Suecia rarius habitare. LINNEO in vltima editione florae Suecicae varietas vulgatae pinus abietis adducitur, quae ipſi vocatur Abies procera viminalis, ramis caudicem proſequentibus reflexis, folio tenero, cortice ſubrubro. Quae

*) v. *Auserleſene Abhandlungen praktiſchen und chirurgiſchen Inhalts, aus den philoſophiſchen Tranſaktionen und Sammlungen der Jahre* 1754—1757. *Vierter Theil mit Kupfern. Lübeck und Leipzig*, 8. pag. 9—32. Inſtituti huius rationem dedimus in comm. noſtr. Vol. XXII. p. 563. Sunt autem et in aliis huius collectionis partibus plura exempla, vt in tertia parte p. 74. et in quarta p. 142 cet.

Quae ſine dubio ad hanc arborem pertinet. LINNEVS pro hybrida habet, quod ſterilem ſemper reperit. Noſtri vero ſtrobilos reperierunt, etſi apertos et vacuos; ſupereſt, vt, collectis ſeminibus et terrae inſertis, decidatur, ſitne ſpecies, an planta hybrida.

p. 317. V. *De platina* agit TORBERN BERGMANN. Libras quatuor ante plures annos accepit ab ALSTRÖMERO, quas cum comperiſſet amalgamationem ſubiiſſe, preſſit experimenta, cum illis inſtituta, ſperans nacturum ſe platinam talem, qualis effoditur, quam ſpem cum fruſtraneam iam iudicet, edit, quae ad illam, quam examinare poterat, pertinentia ex-
p. 319. pertus eſt. Ab alcali minerali praecipitari platinam negarunt MARGGRAF et LEWIS, praecipitari expertus eſt BERGMANN. Manet tamen flauus color ſolutioni, etſi dominetur alcali. Quae praeci-
p. 321. pitatio orta ſit, alcali vegetabili, aut volatili, item ſa-
p. 323. le ammoniaco adhibitis, refert. Platinam ſale ammoniaco praecipitatam igne fortiore liquari, MORVEAV docuit, et verum eſſe, Noſter expertus eſt. Praeterea vero, carboni impoſitam cum ſale microcoſmico, ope tubi ferruminatorii fudit. Hoc modo globuli obtinentur, magnitudine capituli acus exiguae, qui globuli, ſi malleo in laminas tenues extendantur, rurſus liquari poſſunt, vt illorum VI aut VIII in vnum confluant. Is rurſus malleo extenſus, ſemel adhuc, multo labore liquatur, vlterior fuſio nulla ſuccedit. Igitur fuſibilis redditur materia a ſale ammoniaco, quod difficilius explicatu
p. 324. Noſter iudicat. Platinam vt purgaret a ferro admixto, in acido talis coxit, coctam aqua regis ſoluit, et ſale ammoniaco praecipitauit, praecipitatam aqua frigida abluit, ſiccauit, bis fudit modo ante deſcripto. Ita regulum purum obtinuit. De loco, quem inter metalla occupet, ita iudicat: non eſſe mixturam

auri

auri et ferri, cum, his metallis, quacumque ratione colliquatis, nihil obtineatur, quod grauitate, aut aliis adfectionibus ad platinam accedat. Puriſſimam platinam argenti candorem oſtendere, aquae grauitatem ſpecificam paulo plus, quam XVIII vicibus ſuperare, ferri duritiem habere; ferri autem nihil, quod percipi poſſit, continere. Itaque metallum ſui generis eſſe.

VI. *De apibus*, obſeruationes oeconomicas continuat DANIEL. M. ALGREN. p. 328.

VII. *De oculo mundi* agit C. G. POETZSCH. Pretio centum numorum aureorum Hollandicorum hoc exemplar erat. Inter opalos Eibenſtockienſes lapis effoditur, aeque in aqua clareſcens, cuius particulam miſit Academiae Noſter. p. 333.

VIII. Hunc *lapidem* a POETZSCHIO miſſum *examinauit* BEN. QVIST. ANDERSSON, et pro varietate oculi mundi, nondum viſa, agnoſcit. p. 334.

IX. ADOLPH. MVRRAY edit, quae ad *oculum mundi* pertinentia vidit apud generoſiſſ. DE VELTHEIM, rei metallicae in montibus Hercyniae praefectum, item apud alios. Dantur alii lapides, qui aquae immerſi, clareſcunt, vt hac ſola proprietate oculus mundi agnoſci non poſſit. Itaque ex his, quae enarrat Noſter, emendari poſſunt quaedam, ab aliis de eodem lapide dicta. p. 336.

X. *De oculo mundi* agit MART. THRANE BRÜNNICH. Calcedonium ex inſulâ FERRÖ accepit, cruſta albida flaueſcente circumdatum, quae radi poterat, et linguae adhaerebat, aquae immiſſa pellucida fiebat. Hanc igitur pro lapide mutabili habet, et plura ab aliis etiam relata addit, quibus confirmetur cruſtas calcedonii, cacholongi, agatis, interdum hac proprietate pollere. p. 345.

XI. *De oculo mundi* pergit TORBERN BERGMANN. Calcedonio et opalo ſocium reperiri, ſilici iguario p. 347.

igniario ineſſe interdum venas, quae aquae immiſſae pellucidae fiant. Opalum Eibenſtockienſem, qui igne opacus fit, aquae immiſſum aliquam pellucidi-tatem conſequi. Oculum mundi non conuexa ſuperficie ſphaerica terminandum eſſe, quae pro ratione maſſae, quam circumſcribit, minima eſt, itaque efficit, vt aquae tardius in interiora penetret et lapidem pellucidum reddat. Flauum colorem oculi mundi a ferro eſſe, acido ſalis extrahi aut diminui, fortiorem reddi acido nitri concentrato, quo ferrum dephlogiſticetur *).

II.

Beyträge zur Fieberlehre von CHRISTOPH FRIEDRICH ELSNER *der Arzneygelahrheit Doctor und Kreisphyſicus zu Bartenſtein. Königberg bey Wagner und Dengel* 1782. 8. 1-3. *Stück*, 142. *Seitt.*

i. e.

Symbolae ad doctrinam febrium, Auctore FRIDERICO ELSNER. **) Pars I-III.

Prius de oeconomia animali in vniuerſum diſſerit, quam ipſam febrium naturam contemplatur. Diuidit irritabilitatem in eam, quae fibris ipſis ſolisque inſit, et eam, quae a neruorum vi aeque pendeat, atque a ſtimulo quodam externo. In motuum diuiſione adſentitur Cl°. TETEN, qui alios ait per organorum fabricam in corpore definiri, eosque plerumque eſſe inuoluntarios, alios a voluntate noſtra pendere, alios denique plurimos mediae eſſe indo-

*) De lapide mutabili ſ. mundi oculus dicto, etiam agit C. BRÜKMANNVS et circa eius indolem experimenta et obſeruata tradit v. comm. noſtr. Vol. XXIII. p. 34.

**) v. comm. noſtr. Vol. XXIII. p. 303.

indolis, qui inter vtrosque quaſi intercedant. Quibus quidem motibus perficiundis adeſt vis neruoſa; ita tamen, vt minima eiusdem pars ad motus neceſſarios, organicos et vitales impendatur, maxima autem ad voluntarios recte peragendos requiratur.

His aliisque, quae praeterimus, praemiſſis, Au- Faſc. I.
ctor demonſtrare ſtudet, omnes febres eſſe vnius febris, quam *vniuerſalem* nominat, varietates, quarum praecipuis ceteras, vt *ſpecies*, ſubmittit, non quidem apta et regulis ſyſtematicis conueniente methodo. Febre praeſente aucti motus mechanicarum neceſſariarum actionum vitalium irritabilitatem harum partium auctam eſſe demonſtrant. Itaque natura febris cernitur in mutata et aucta vniuerſali irritabilitate, quae eſt reactio virium corporis, quibus hoc ipſum ſeſe conſeruare et a particulis morboſis liberare annititur. Non tamen ſemper febris excretionem morboſae materiei comitatur. Caret ea enim interdum ſtimulo, quo febris excitari queat. Vtplurimum autem, vbi febris incitatur, ſtimulus inuadit neruorum et vaſorum ſyſtemata aequali modo et ab vtrisque etiam pendet reactio. Tum per remotas cauſas debilitas in horum ſyſtematum functionibus oritur, vſque dum irritabilitas inaequaliter mutata eſt et reactio ſubſequitur, quippe qua horror, torpor, laeſio actionum, laſſitudo, calor et pulſus praeternaturalis efficiuntur. Laudatur a Noſtro Cl. THAER, qui de actione ſyſtematis neruoſi in febribus ſcripſit *).

Ab hac ſyſtematum diuerſitate, in quae ſtimu- p. 20.
lus agit et in quibus reactio fit, pendet febris mutatio. Vis et debilitas reactionis ſiſtunt duas prae- p. 22.
cipue febris mutationes, quae ſunt febris cum diatheſi

*) v. comm. noſtr. Vol. XXI. p. 532.

p. 23. theſi phlogiſtica et febris cum diatheſi putrida. Vbi vero ſtimulus neque adeo fortis, nec reactio adeo debilis fuerit, ephemera, ſynochus ſimplex, febris vrticata, etiam nonnullae intermittentes oriuntur.

p. 29. Ephemera a Noſtro vt febris ſimplex conſideratur, quae, pro materiei diuerſitate et eius varia ſede mutata, origini multarum febrium ſeruit. Ephemera finitur, plurimis conſentientibus, tertio, ſaltem quarto die, et leuiores ephemerae vno vel altero die diſparent. Atque hoc quidem ſenſu Noſter ſumit ephemeram, vt febrem vniuerſalem.

p. 34. Quibus praemiſſis, deſcribit Auctor febrem, quam vniuerſalem dicit, atque nonnullas varietates, dein ad varias febres vniuerſalem applicat. Haec febris vniuerſalis eſt partim ephemera, partim polyhemera. Synochus ſimplex eſt febris prolongata

p. 42. vniuerſalis.

p. 43. Criticos dies Noſter non reiicit.

p. 55. Tranſit ad remittentes et intermittentes. Re ipſa ſunt febres remittentes nondum completae intermittentes, vti maxima de parte autumnales ab initio remittentes et circa finem verae intermittentes. Sedes harum febrium eſt in ſyſtemate gaſtrico. Huc pertinent febris remittens amphimerina, remittens tritaeophyes, febres intermittentes extenſae et

p. 60. hemitritaea CELSI. Reditum febris certo tempore ex natura et progreſſu febris vniuerſalis Noſter explicat. Ad varietates vniuerſalis febris referuntur ſymptomaticae febres, vti et eae, quae a venenis repetendae ſunt.

Faſc. II. Inquirit Noſter iam in diuerſitatem cauſae materialis, quae vniuerſalem febrem diuerſimode mutat. Ad febrem cum diatheſi phlogiſtica pertinent catarrhus et eius varietates, vt angina, tuſſis catarrhalis, peripneumonia notha, rheumatismus acutus cet.

p. 75. Chronicus rheumatiſmus differt ab acuto, vti inflammatio topica ſine febre ab inflammatoria febre. Huc referuntur lumbago, iſchias, hemicrania, odontalgia,

talgia, otalgia, ophthalmia e. ſ. p. Dein ad ſynochum non putrem, quam Cl. GRANT dicit, aliasque progreditur.

In tertio faſciculo a Noſtro inquiritur, cur in vno caſu phlogiſtica diatheſis in alio putrida oriatur, cur porro muco ſeu phlegmate, bileque corrupta cet. hae febres inter ſe differant. Inter cauſas remotas, praediſponentes et occaſionales referenda eſt aëris viciſſitudo per anni tempora. Cl^um GRANT *) Noſter ſequitur, qui in hanc inquiſiuit febrium diuerſitatem. Faſcic. III.

Epidemiarum, quae interrumpunt ſolitum febrium progreſſum, origo cernitur vel in tempeſtate inſolita, vel in inſolitis cauſis phyſicis, quae vno eodemque tempore conueniunt, vel in contagio peregrino, quod aliunde adfertur. Non raro omnes tres cauſae epidemiarum ortui ſeruiunt. p. 108.

Singulis his epidemiarum cauſis expenſis, communicat Auctor Cl. theoriam exanthematum et miaſmatum ſpecificorum. Sunt quaedam exanthemata cum vniuerſali febre ſporadica coniuncta, vt varioli ſpurii, roſeolae, ſcarlatina, purpura, petechiae, eryſipelas, anthraces, bubones. Quae per aëris, tempeſtatis, alimentorum, vitae generis, commerciorum, morborum praegreſſorum cet. viciſſitudinem atque diuerſitatem, vno in loco magis, quam in altero, eodem tempore, febri vniuerſali ſuperueniunt ſeu epidemica euadunt. Quibus accedit miaſma contagioſum, vt peſtilentiale cet. quod has epidemias reddit contagioſas, ſeſe coniungit cum materia exanthematica cumque ea vim inficiendi communicat et miaſma ſpecificum ſiſtit. Ita oriuntur ex variolis ſpuriis verae, ex roſeolis, morbilli, ex benigna ſcarlatina, maligna cet. p. 135.

Ad nouum morbum oriundum pertinent tem poris diſpendium multaeque praegreſſae mutationes p. 139.

*) v. comment. noſtr. Vol. XXI. p. 550.

et res, quae hunc morbum efficiunt. Vt ſunt climatis, ſoli, aquarum, ſiluarum, inundationum, paludum, terrae motuum, aeris atmoſphaerici, tempeſtatis, vitae generis, vitiorum cet. ratio atque va-
p. 141. rietas. Differit ſimili modo Cl. Auctor de origine et cauſſis reliquorum morborum contagioſorum exanthematicorum. Ex eodem fonte explicat originem febrium puerperarum, crebriorem nonnullorum morborum acceſſum, vt febris putridae. Neruoſi ſyſtematis debilitatem efficiunt varia vitae ratio atque educatio; eademque debilitas neruorum, loco inflammatorium morborum, maxima ex parte rheumatiſmis, catarrhis et febribus neruoſis gignendis ſeruit. Ad ignotas denique vel nondum plane declaratas, vi tamen in corpus humanum inſtructas, morborum cauſſas ſaepe refugiendum eſſe fatetur Noſter. Ita electricitas quidem atmoſphaerae et animalis corporis, magnetismus, aeris diuerſitas, benignae et malignae vegetabilium exhalationes, animalcula infuſoria cet. attentionem virorum doctorum excitarunt; carent tamen ſufficienti per experientiam adquirenda certitudine.

III.

ALEXANDER MONRO *des ältern, Mitglieds der Königlichen Engliſchen Geſellſchaft zu London, und des Königlichen Collegiums der Aerzte zu Edinburg, ingleichen öffentlichen Lehrers der Arzney- und Zergliederungskunſt auf letzterer Univerſität, ſämtliche Werke praktiſchen und chirurgiſchen Inhalts. Nebſt einer Abhandlung über die vergleichende Zergliederung oder die Anatomie der Thiere. Aus dem Engliſchen überſezt. Mit Kupfern, Leipzig bey M. G. Weidmanns Erben und Reich* 1782. *Seitt.* 588. 8.

i. e.

i. e.

ALEXANDRI MONRO ſenioris, opera omnia practica et chirurgica. Accedit tractatus de comparata ſeu animalium anatomia. Ex anglico ſermone in germanicum verſa.

Prodibant anglico idiomate haec opera, curante ALEXANDRO, filio Auctoris, anno MDCCLXXXI in forma quarta. Interpres vero in hac germanica verſione omiſit ſcripta de oſſibus et neruis, quae iam in Germanica lingua legi poſſunt, et ſolummodo reſpexit ad practica et chirurgica ſcripta. Quae quidem in actis Edinburgenſibus *) ex parte continentur, interim tamen aucta et, quibusdam mendis primae verſionis emendatis, hic ſunt tradita. Tractatui de anatomia comparata addita eſt breuis relatio orationis, nondum prelo ſubiectae, de humani corporis epidermide.

Continent opera anglice ſcripta memoriam MONROI ſenioris **), ex qua interpres ſequentia enarrat. Quae ad inoculationem in Scotia pertinent ſcripta, nondum, quantum interpreti et nobis conſtat, ſunt germanice vulgata. Scotia erat MONROI patria et pater chirurgus. Filius, cuius ſcilicet memoriam iam tradimus, natus eſt Londini die VIII. menſis Septembris MDCLXXXXVII. A puero medicinae erat deditus et Edinburgi, Londini, Pariſiis et Lugduni Batauorum multa didicit, inprimis erat magni BOERHAAVII diligens diſcipulus. Rediit deinde Edinburgum anatomiam et chirurgiam docens ibidem anno 1719. Eſt itaque fundator huius celeberrimae Academiae Edinburgenſis, cuius fundatio in annum 1720 incidit. Multum quoque contulit ad condendum noſocomium et eligebatur

*) vid. comment. noſtr. Vol. V. p. 54.
**) ibid. Vol. XV. p. 177.

batur anno vigesimo et primo seculi iam dicti professor anatomiae.

Tum anno vigesimo et sexto prodibat MONROI osteologia, postea neurologia et alia scripta *). Anno trigesimo secundo huius saeculi ab epistolis erat societati Edinburgensi medicae et chirurgicae, quae ante nonnullos annos erat fundata **). Curauit itaque primum volumen actorum Edinburgensium, sequentia pariter, ac noua. Praeterea nonnulla reliquit manuscripta, inter quae filius ALEXANDER MONRO, historiam anatomicorum scriptorum, instructionem ad corporis partes dissecandas, tractatum de vulneribus et tumoribus et quasdam obseruationes supra chirurgiam Heisterianam nominat.

Excellebat MONROVS indole ingenii atque humanitate, patriae suae consulens et omnia quaecunque bona instituta promouens; quapropter non solum docendo et faciendo medicinam, vtilem sese praestitit, sed etiam bonum atque fidelem ciuem. Coniugium inibat anno 1721, pater trium filiorum et vnius filiae factus est. Filius secundus DONALDVS et tertius ALEXANDER ***), editor horum operum paternorum. Corpore gaudebat Noster sano atque robusto, saepius tamen haemoptysi laborabat. Anno 1762 valdopere aegrotabat febre epidemica catarrhali, accedentibus vrinae et alui difficultatibus, quae quoque prorsus superari non poterant, sed, vlcere fungoso, in vesica et intestino inde relicto

*) ALBERT. VON HALLER bibliotheca anatomica. Tom. II. p. 176. v. comm. nostr. Vol. XXIV. p. 606. vbi et filiorum DONALDI et ALEXANDRI merita anatomica enarrantur.

**) v. comment. nostr. Vol. V. p. 54. seq.

***) Quorum merita iam supra commemorauimus. vid. in indicibus nostrorum commentariorum.

lisio dolorifica et misera mors sequebatur, die decimo mensis iulii MDCCLXVII.

Secto cadauere, detegebatur praeternaturalis concretio intestini recti cum superiore et posteriore vesicae vrinariae parte. In recto conspiciebatur vlcus fungosum, duos digitos latum, quod totius huius intestini ambitum occupabat, vt itaque hoc loco morbum initium cepisse verosimile videatur. Ex recto canalis in vesicam tendebat, cuius diameter pollicem circiter aequabat. Vesica vrinaria praeterea reperiebatur integra.

Quibus ex praefatione interpretis relatis, ea, quae in his operibus Monroanis continentur, breviter indicabimus.

1) *Annotationes super repositione, musculis et luxationibus maxillae inferioris;* anatomica pars et icones sunt additae. p. 4.

2) *De carie ossium.* Cariem, sphacelum, teredon seu tredon primum ex aliis accurate repetit Noster, dein describit diuersa phaenomena huius morbi, a se obseruata, effectus variorum remediorum expendit et demum eam sanandi methodum, quae congrua Ipsi videtur, persequitur. Inter scriptores huius saeculi Cl^um. PETIT *) nominat, qui siccam cariem, cariem vermibus exeso ligno similem (*carie vermoullie*) cariem carnosam cet. speciatim contemplatus est et methodum medendi tradidit. Cariei species a MONROO obseruatae sunt hae: 1) sicca, 2) caries exesa (*carie vermoullie*), 3) carnosa, 4) tumorum alborum (*white swelling*), 5) ea, quae occurrit in vlcere aperto, vbi album, leue os periostio destitutum est, nec cum vlla alia vicina parte, praeter ossis extremitates, ligamentis nexas, coniunctum. Nec quidquam ex experimentis intelligi posse Noster aliud, quam quod, ante absp. 36. p. 53.

*) Maladies des os. Tom. II. chap. 16.

ſceſſus inciſionem, humorum circulus in eiusmodi oſſe locum habuerit nullum. Haec oſſium ſiccitas vtplurimum aegris ſcrophuloſis ſuperuenit, in quorum glandulis quoque ſimile quid detegitur, quae circumcirca in ſuppurationem quandam abeunt atque ita ſeſe ſeparant a vicinis partibus. 6) Exoſtoſis, quae num cum aperto cancro comparari queat, Noſter quaerit; 7) caries oſſium ex aperto carcinomate, etiamſi oſſa non tam ſubito, quam molles partes, erodantur atque deſtruantur. Haec itaque ſunt PETITI, WIESEMANNI et Auctoris obſeruata in hoc oſſium morbo *).

p. 56. Iam morbi origine, cauſſis et prognoſi miſſis, ad eum ſanandum Noſter progreditur. Eſt praecipue ad cauſam cariei reſpiciendum, eidemque occurrendum; Noſter vero attendit potiſſimum externa auxilia, ſeparationem corruptae partis oſſeae quam citiſſime efficientia, quae recenſetur et ſingulae ſpecie cariei conuenientia traduntur.

p. 81. 3) *Exempla de lymphaticorum vaſorum in vulneribus perſciſſorum ſanatione*, quae attinent ortum fungoſae ſubſtantiae, ex qua lymphaticus humor effluens, partim vulneris conſolidationem impedit, partim diu durans debilitat.

p. 84. 4) *Practicae annotationes de nutritione fetus, grauiditate et partu.* Interpres tractatum ob eius amplitudinem omiſit et concluſiones hic ſolummodo inſeruit.

p. 95. 5) *Annotationes de tunicis arteriarum et earum morbis, inprimis de ortu aneuryſmatum.* Siſtit Noſter icones arteriarum brachii et illud inprimis contemplatur aneuryſma, quod venaeſectionem minus prouide inſtitutam ſequitur et inter omnia aneuryſmata praecipue ſanari poteſt.

6) *Con-*

*) v. comm. noſtr. indices Imae et IIdae decad. ſub verbo *caries*.

6) *Contemplationes de aneuryſmatibus poſt ve-* p. 107.
naeſectionem. Arteriarum extremitatis ſuperioris, de quibus Noſter hoc in loco diſputat, ſitus et iter iconibus illuſtratur, addita figurarum explicatione.

7) *De aneuryſmate.* Venaeſectionem infelicem p. 113.
illud ſubſequebatur. Aperto autem, anno praeterlapſo, tumore, euocato eius contento, et ligata arteria feliciter aeger ſanitati reſtituebatur.

8) *De albo tumore genu.* Amputato hoc genu p. 115.
eoque diſſecto, omnes quaſi emollitae inueniebantur partes, materies in eo contenta erat albumini ſimilis et pus. Oſſa paululum erant exeſa. Machina poſtea eadem, cuius Noſter no. XI. paulo infra iconem ſiſtit, vtitur. Non multum ante alibi his de tumoribus diſſeruimus *).

9) *De oſſificatione in parte cartilaginis in genu,* p. 117.
quae a reliqua parte cartilaginis ſe ſeparauerat.

10) *De ſingulari et anomalo tumore.* Erat in p. 118.
extremitate inferiore tumor fungoſus ichoroſus, cet. letalis.

11) *De vlcere in femore, amputatione ſanato.* p. 122.
Machina huic aegro commoda, in icone ſiſtitur.

12) *Obſeruationes ſuper amputatione membro-* p. 128.
rum. Spectant eaedem impediendum ſanguinis diſpendium, durante operatione diſſecandas omnes partes molles, os ſeu oſſa obtegentes, ſeparationem oſſium et impediendum ſanguinis fluxum in ſerra diſſectis oſſium partibus. Quo facto vulneris ratio ita eſt habenda, vt curatio ſit integra et facilis. Quae omnia cum caute ſint curanda, Noſter annotationes has proponit eo, quo adhibenda ſunt adminicula, ordine.

13) *De affluxu lymphae ſanguineae in mammis* p. 150.
carcinomaticis. Ab eo tempore, quo hic tractatus

*) vid. comm. hor. Vol. hui. P. I. p. 39.

in actis Edinburgenſibus primo eſt inſertus, multa exempla carcinomatica, vbi malum carcinomaticum recruduit poſt operationem; pauca autem, ab hoc malo poſt eandem immunia Noſter obſervauit, etiamſi auxilia varia adhiberentur.

p. 163. 14) *De vlcere pulmonum ſanato per venaeſectiones.* Quae non adeo largiter inſtituendae, ſed reiterandae ſunt, quoad opus eſt. Noſter hic diſputat de hac medendi ratione et nonnullas quaeſtiones, hecticos et phthyſicos morbos, iisque medendi methodum attinentes, communicat.

p. 168. 15) *De inſolito hydrope, a ſteatomate omenti orto.* Paracenteſi et aliis remediis in auxilium fruſtra vocatis, aegra e vita diſceſſit. Quae, ſecto cadauere, reperiebantur enarrat. Aliis, quae reperta ſunt, miſſis, ad illud corpus magnum veſiculare potiſſimum reſpiciamus, quod anteriorem abdominis partem occupabat. Conſtabat ex duabus lamellis, ſupra tenuibus ſenſim ſenſimque craſſioribus, ita vt ſeorſum craſſities ſex pollicum eſſet. Quarum lamellarum quaelibet leui cute obtecta et partim vlceribus obſeſſa erat. Ex cauernis, quae inter lamellas ſeſe formauerant, purulentae materiei vnciae nonnullae emanabant, cui innatabat cuticula. Quaelibet lamella denudata videbatur veſiculis conſtare, vel ſero, vel muco ſiue caſeoſa materia impletis, non
p. 178. autem ſecum coniunctis. Hoc corpus praeternaturale erat omentum, quod probabiliter, cauſa hydropis erat eadem ratione, qua morbus hic ab aliis tumoribus oritur. Icones ſunt additae.

p. 178. 16) *Emendationes methodi, paracenteſin inſtituendi.* Attinet potiſſimum locum, vbi haec operatio inſtituitur, et cingulum ad comprimendum abdomen, quod hic deſcriptum atque iconibus illuſtratum eſt.

p. 185. 17 *Anatomia oculi cataracta laborantis.*

18) *Qua-*

18) *Quatuor exempla de ouariorum tumoribus.* p. 186.
19) *De arte aperiendis ſinubus et fiſtulis.* p. 198.
20) *De ſanatione vlceris in gena cum apertura* p. 202.
ductus ſaliualis.
21) *De morbis viarum lacrymalium.* Anato- p. 204.
mica praemiſſa deſcriptione et iconibus illuſtrata, ad diuerſos morbos diſquirendos Noſter progreditur.
22) *De naſi tumore, qui infeliciter exſtirpabatur.* p. 222.
23) *De procidentia vteri.* Puella trium prope p. 225.
modum annorum, auguſto menſe 1728, febre per aliquot dies laborans, haemorrhagia ex vagina vteri per tres dies afficiebatur. Tum ſana videbatur, rediit autem viginti diebus poſt, haemorrhagia eadem. Tertia vice tumor apparebat in labiis vuluae, qui, haemorrhagia finita, diſparebat. Sequentibus vicibus tumor cum haemorrhagia augebatur euaneſcebatque iterum. Debilitate autem quotidie aucta et tumore iterum increſcente, nec amplius euaneſcente, haemorrhagia, maio menſe, ceſſabat et mucus, loco eius, ſat copioſe effluebat. Tandem gangraena accedente, die 7 nouembris, mortua eſt puella.

Secto cadauere et diſquito hoc tumore, a prolapſu vteri vero, qui vagina tectus, non tamen inverſus erat, eundem effectum fuiſſe apparuit. Additae ſunt icones, quae reperta dictaque illuſtrant.

24) *De emphraxi ureterum a calculis paruis.* p. 231.
Omnibus remediis, fruſtra adhibitis, aeger moriebatur. Ex cadaueris ſectione notamus, renem ſiniſtrum fuiſſe ſolito minorem; vreterem paruum, ſabulo impletum. Dextrum vero valdopere extenſum et lotio inſigniter impletum.

25) *Annotationes ſuper herniis inguinalibus;* qui- p. 232.
bus quidem adiungit interpres herniarum congenitarum exempla, quae huc pertinent.

26) *De*

p. 258. 26) *De ſcroti tumoribus, qui plerumque herniae ſpuriae dicuntur.* Huc pertinent hydrocele, haematocele, pneumatocele, varicocele, ſpermatocele.

p. 294. 27) *Deſcriptio variorum inſtrumentorum chirurgicorum:* quorum icones ſunt additae.

p. 308. 28) *De inſolita angina inflammatoria.*

p. 313. 29) *De aſthmate cum ſymptomatibus peculiaribus.* Neque aeger arteriae pulſum, nec medici ſentiebant, etiamſi ille, ſeſe forti pulſu alias gauiſum eſſe, aſſerebat. Octo diebus poſt, pulſus rediit plenus fortisque. Quo morbo aliquoties reuerſo, ſanitati reſtitutus eſt aeger.

p. 318. 30) *De ictero.* Bilis vel in ductu choledocho communi, vel in ductu cyſtico, vel in hepatico ſtagnans videtur Noſtro cauſa icteri. Reliquae cauſae felicem pollicentur ſanationem.

p. 331. 31) *Variae annotationes inteſtina attinentes:* quibus quidem, monente interprete, tractatus de inteſtino duodeno, inſertus partim actis Edinburgenſibus *), partim operibus Monroanis Anglicis **) continuatur. Cum vero hic tractatus id ſolummodo contineat, quod SANTORINI ***) iam ſuaſit, vt ſcilicet medici morbum, cuius ſedes in ventriculi regione et ſub coſtis eſt, non confundant cum morbo huius inteſtini, nec cum aliis, alium medendi modum requirentibus, omiſit interpres eundem. MONROO videtur haec obſeruatio tanto magis neceſſaria; quanto rarius Auctores duodeni, tanquam peculiaris morbi ſedis mentionem faciunt.

p. 345. 32) *De tympanite.*

33) *Exempla aegrorum, vbi malae conſuetudini commode conniuebatur.*

p. 353. 34) *De inexſpectatis curationum euentibus.*

35) *De*

*) Edinb. Eſſays Vol. IV. No. 11.
**) p. 616.
***) Obſeru. anatom. Cap. 9. §. 7.

35) *De effectibus corticis Peruuiani in ſphacelo, vlceribus et variolis.* p. 362.

36) *De inſolitis ſymptomatibus, a febre intermittente relictis.* p. 369.

37) *Annotationes de aquis martialibus.* p. 373.

38) *De curatione diſrupti tendinis Achillis* *). p. 384.

39) *Tophacearum concretionum in canali alimentorum repertarum hiſtoriae* **). p. 391.

40) *De procidentia ani, intusſuſceptione, inflammatione et voluulo inteſtinorum* ***). p. 396.

41) *De diſruptione vteri grauidi* ****). p. 408.

Relatio de inoculatione variolarum in Scotia, quae alibi iam a nobis eſt indicata *****). Ex praemonito interpretis haec memoramus: Pariſienſis curia ſuprema anno 1763 medicam Facultatem adibat, vt commoda et incommoda inoculationis variolarum definiret †). Ordo medicus ab aliis eruditis collectas relationes remiſit. Inter alios MONROVS quoque conſultus, omni opera euentum inoculationis per Scotiam expertus eſt. Cum autem plus temporis poſtulabatur huic rei perficiendae, atque ordo medicus ſuas iam edidiſſet relationes, Monroanum hoc ſcriptum ††) anno MDCCLXV Edinburgi prodiit, atque dein operibus ſuis inſertum hic in germanicum translatum eſt ſermonem.

Tractatus *de anatomia comparata*, et appendix de epidermide finiunt haec opera Monroana. Prima tentaminis de anatomia comparata editio prodiit auctore anonymo, curantibus duobus medicis Edin- p. 468.

*) comm. noſtr. Vol. V. p. 77.
**) ib. Vol. VII. p. 93.
***) v. ib. p. 94.
****) v. ib. p. 91.
*****) v. ib. Vol. XIV. p. 229.
†) v. comm. noſtr. indic. ſecundae decad. ſub verbo: inoculationis in Gallia fata.
††) v. locum non multum ante laudatum.

Edinburgenſibus. In praemiſſa, praefationis loco, epiſtola dignitas huius ſcripti Monroani, quod in hac editione iuxta auctam editionem eſt inſertum,
p. 580. potiſſimum agitur. Appendix de epidermide deſumta eſt ex oratione latine ſcripta a Cl. MONRO, cuius vero interpres epitomen tantum hic tradit.

IV.

Medical caſes with remarks, by ANDREW DVNCAN, M. D. Lond. CIↃIↃCCLXXVIII. pagg. 370. 8.

i. e.

Hiſtoriae morborum, additis nonnullis obſervationibus, auctore ANDREA DVNCAN.

Complectitur hic liber viginti et ſex morborum hiſtorias, quas cum omnes hic enarrare per inſtituti rationem non liceat, de quibusdam ſolummodo videamus *).

Hiſt. II. De tumore et tenſione abdominis, quinque annorum: quorum quidem indoles incerta, exitus tamen erat felix. Puella octo annorum, quae admodum ſitiebat, nec comedebat ſaepeque nares fricabat, praeter abdominis dolorem, qui ſomnum, quietem, reſpirationemque turbabat, et vrinae impediebat progreſſum, nihil amplius habebat, de quo conquereretur. Lingua ceteroquin pura, alvus apertus cet. Videbatur aſcites, item a cauſa verminoſa: nam durante febre vermes ab hac puella per anum emittebantur (vermes autem apud aegros Noſter raro vidit, quod nonnullis mutationibus

*) ANDREAS DVNCAN *Krankengeſchichten nebſt einigen Bemerkungen darüber. Aus dem Engliſchen überſezt. Leipzig* 1779. *S.* 262. 8.

tionibus diaetae tribuit.). Vermes per anum dimissos durante febre, multi medici habent pro causa febris, quos Noster vt effectum febris contemplatur. Morbi indoles itaque erat dubia, exitusque eius eatenus felix, quatenus per diuretica, laxantia, resoluentia et roborantia quodammodo imminuebatur abdomen tumidum atque tensum et symptomata cessabant. Quo facto, puella haec nosocomium derelinquebat abdomine scilicet, vti dictum est, quodammodo tenso atque tumido.

III. Annotationes supra sanatum morbum cutaneum externo mercurii corrosiui sublimati vsu. Puer octo annorum in facie tota et hinc inde in abdomine rubra et squamosa cute per tres anni partes laborabat. Absque pruritu et dolore erat hoc exanthema, nisi igni appropinquaret aut alio modo incalesceret, quod siccum erat; in facie autem suppurabat. Pulsus et aluus naturalis et praeterea erat aeger sanus. Contagium videbatur causa huius exanthematis chronici, quod cum alio dormiebat in vno lecto eodem morbo laborante: cui tamen relationi Noster non fidem habet. Secundum Nostri opinionem morbi cutanei quatuor in classes partiendae sunt, quarum prima concernit, eos morbos cutaneos, qui repetendi sunt a praeternaturali humorum indole in vniuersum; altera eos, qui ex praeternaturali statu vasorum cutaneorum oriuntur, spectat; tertia eos attinet, qui a corrupta secretione glandularum sebacearum deriuandi sunt; et quarta eos complectitur morbos cutaneos, qui a praeternaturali statu radicum pilorum proficiscuntur. Pertinet hoc exanthema ad herpetes, ad quos et lepram et omnes morbos cutaneos refert. Namque exceptis duobus his morbis, et tinea scabieque, nullum amplius accurate esse descriptum morbum cutaneum

fatetur

fatetur Noſter. Interea non negat hos morbos adeo inter ſe differre, vt ad eos recte et diligenter diſtinguendos plures exigantur ſpecies. Per externum cum mercurio ſublimato corroſiuo, quocum ſoluto ſeſe lauabat, internumque antimonii vſum, laxantibus interpoſitis, hic aeger ſanitati eſt reſtitutus.

IV. Rheumatiſmum vſu elixirii guaiacini volatilis Noſter ſanauit. Hoc remedium, quod et alibi *) laudatur, videtur nobis, non in omnibus huius morbi ſpeciebus, inprimis ſi acutum et chronicum ſpectamus, eſſe conueniens atque congruum. Porro doſis minor ab initio melior erit, quae dein, quoad effectus mutari poteſt, nec minus Edinburgenſis et Londinenſis praeparatio huius remedii diuerſa attendenda eſt. Id quod et Noſter ex parte iam vrgebat.

V. Annotationes de chronico catarrho. Noſologico catarrhi ordine a Noſtro breuiter hic conſiderato venit quoque ad epidemici et contagioſi catarrhi ſpeciem, cui plerumque nomen *influenza* imponitur et qui diuerſis temporibus et periodis ſucceſſiue per totam Europam eſt graſſatus. Probabiliter febris potiſſimum hoc in catarrho eſt attendenda, neque a refrigerio hic catarrhus pendet, ſed certe potius a febrili contagio. Alit praeterea hic catarrhus cum eo, cuius cauſa eſt refrigerium, nullam maiorem ſimilitudinem, quam variolae cum aliis morbis cutaneis, qui externo intuitu variolis valde ſimiles euadunt. Speciem autem huius catarrhi chronici non definit Cl. DVNCAN, quoniam augmentum ſpecierum minus neceſſarium et incongruum eſſe arbitratur, cum in praxi medica ſinguli aegri curatio dirigatur a ſymptomatibus ei aegro ſuperuenientibus. Catarrhis medentes

*) v. comm. noſtr. Vol. XXI. p. 594. et Vol. XXII. p. 109.

medentes neceſſario reſpiciendum eſt ad catarrhum acutum et chronicum cet.

Hiſtoria exanthematis petechiis ſimilis (*petechial eruption*) ſine febrilibus ſymptomatibus et cum exitu felici. VII.

Inter alios morbos, contra quos Cl. Auctor electricitate vtebatur, eſt quoque paralyſis, cuius ope quidem non omnes moleſtiae prorſus diſparuerunt, attamen mitiores factae ſunt. XV.

Venerea gonorrhoea, a Cl. DAWSON obſeruata. Inquirit Noſter in hanc quaeſtionem: Vtrum gonorrhoea vnius eiusdemque contagioſae materiae, quae luem veneream gignit, ſit effectus, an ex alia quadam contagioſa materie oriatur? Cl. Auctor igitur argumentis in vtramque partem collectis et inter ſe comparatis, ſaltem aliqua cum probabilitate, vti videtur, aſſerit, aliquam horum morborum eſſe diuerſitatem, quae vt in poſterum obſeruationibus vel affirmetur vel negetur ab aliis quoque obſeruatoribus optat. XVII.

De hydrocephalo interno. Cll^orum SAUVAGES, LINNEI, VOGEL, CVLLEN, aliorumque deſcriptio huius morbi cadit ſolummodo in externum hydrocephalum. Quapropter errorum euitandorum ergo Cl. DVNCAN tria conſtituit genera hydrocephali: 1) Hydrocephalum ventriculorum, hydropem cerebri *), 2) hydrocephalum cranii inter cranium nempe et cerebrum, 3) hydrocephalum integumentorum. Periculoſos ad morbos hic quidem etiam eſt referendus, interim tamen tentandam eſſe omnino curationem ſuadet. Quemadmodum igitur in aliis hydropis ſpeciebus, ſic et in hydrocephalo, reſpiciendum eſt ad euacuandum ſerum intra cranium XVIII.

*) CHRIST. GOTTL. LVDWIG diſſ. de hydrope cerebri puerorum, Lipſ. 1774. 4.

nium et ad impediendam eiusdem ſeri nouam collectionem. Quod quidem fit, tum ſi internis medicamentis ſerum errore loci peccans euacuatur, tum ſi per operationem euocatur. Ad operationem quod attinet, tam varie ſentiunt medici et chirurgi, vt nonnulli eam innoxium et vnum eſſe auxilium arbitrentur, alii de ea mortem celeriorem timeant. Veſicatoria, quae a variis Auctoribus ſuadentur, mauult Noſter, vt viciniis capitis, quam capiti ipſi applicentur.

V.

Des Barons THOMAS DIMSDALE, *Ruſſiſchkaiſerlichen Leibarztes und wirklichen Staatsraths, Mitglieds der königlichen Engliſchen Geſellſchaft der Wiſſenſchaften zu London, Schriften über die Einpfropfung der Blattern. Leipzig bey Caſpar Fritſch* 1782. 8. *Seitt.* 400.

i. e.

Scripta de inoculatione variolarum. Auctore THOMAS DIMSDALE.

Horum ſcriptorum colligendorum haec ratio eſt ab interprete habita. Primum traditur noua verſio inſtructionis de nunc vſitata methodo variolas inſerendi ſecundum ſeptimam auctam Anglicam editionem *), cuius quidem iam verſio Germanica **) et 1769 verſio Suecana ***), quae alibi a nobis ob additamenta eſt laudata, prodiit. Dein addita eſt verſio libri: *tracts on inoculation*, qui Londini 1781. prodiit et partim iam inſertus eſt collectaneis in vſum practicorum medicorum ****). Poſtea

*) v. comm. noſtr. Vol. XVI. p. 694.
**) v. ib.
***) v. ib. p. 698.
****) v. *Sammlungen für praktiſche Aerzte.*

Poſtea nonnulla ſcripta Dimsdaliana ad controuerſiam cum Cl. LETTSOM pertinentia huic verſioni inſerere propoſuit interpres, cum vero his ſcriptis potiri non datum eſſet, ipſe breuiter de hac controuerſia haec ſubiungit.

Societas, quae Londini ideo, vt variolarum inplantatio magis communis redderetur, conuenit et pauperibus in habitationibus ſuis variolas inſerere fecit, quemadmodum in libro ſingulari*) proſtat, inſtituti huius curam DIMSDALIO tradebat, qui tamen ob difficultatum varietatem, cum hac re coniunctarum, hanc ipſam denegabat, putabatque, ita variolas naturales magis diſſeminari, quam exſtingui. Contra DIMSDALIVM autem dicebant WATKINSON, LETTSOM, cet. Inter ſcripta Dimsdaliana, hanc controuerſiam attinentia, ſequentia interpres nominat, non negans poſſe plura eſſe.

1) Obſervations on the introduction to the plan of the diſpenſary for general inoculation by the Hon. Baron TH. DIMSDALE, Lond. 1778.

2) Remarks on D. LETTSOMS letter to Sir ROBERT BARKER and GEORGE STACKPOLE upon general inoculation by TH. DIMSDALE, ib. 1780.

3) A review of D. LETTSOMS obſervations on Baron DIMSDALE remarks, ib. eod.

Sequuntur tractatus ſeptem de implantatione variolarum, quae Petropoli**) anno MDCCLXVIII. iuſſu Imperatricis Ruſſiae Auguſtiſſimae vulgatae ſunt cum nonnullis additamentis, annotationes ſupra variolos epidemicos, huius morbi naturam et diuerſum euentum variarum inoculationis methodorum attinentibus, quorum primus et ſecundus tractatus Ruſſico ſermone prodiit.

*) A plan of the diſpenſary of the general inoculation.
**) v. comm. noſtr. Vol. XV. p. 179.

Commendauimus iam olim *) Cl. DIMSDALIVM Lectoribus, nec ideo quidquam amplius de vtilitate huius libri addere opus est.

VI.

JOHN ANDRE' *Abhandlungen über den veneriſchen Tripper und die veneriſchen Krankheiten überhaupt. Aus dem Engliſchen überſezt und mit einigen Anmerkungen verſehen. Leipzig, bey Weidmanns Erben und Reich.* 1781. 8. *S.* 204.

i. e.

Tractatus ſuper gonorrhoeam veneream et morbos cet. Auctore IOANNE ANDRE'.

Coniuncta hic ſunt duo Cl. ANDRE' ſcripta, quorum primum de gonorrhoea venerea **) iuxta alteram auctamque editionem verſum eſt, annotationibus translatoris additis; alterum, quo morborum venereorum natura conſideratur ***), ſubiunctis obſeruationibus translatoris. Index contentorum et rerum librum vtiliorem reddidit.

Edidit autem Auctor hos tractatus ideo, vt chirurgorum nonnullorum votis faceret ſatis, qui auide exſpectabant librum, in quo methodus ſpecialis medendi venereis morbis declararetur. Breuitati Cl. Auctor, quantum fieri potuit, ſtuduit ideoque cognita et aliis in eiusmodi ſcriptis dicta, conſulto negle-

*) v. comm. noſtr. Vol. XVI. p. 698 ſeqq. Varia alia, ad inoculationem variolarum ſpectantia, legi poſſunt in antecedentibus noſtrorum commentariorum voluminibus.

**) Eſſay on the theory and cure of the venereal gonorrhoea and its conſequent diſeaſes.

***) Obſervations on the theory and cure of the venereal diſeaſe.

neglexit, et ad ea ſolummodo reſpexit, quae in hac methodo ſint emendanda.

Agit itaque de gonorrhoea maligna ſeu venerea, de venereo morbo cum obſeruationibus, de cancro et de ſymptomatibus luis venereae in quatuor ſectionibus, quibus ſingulis multa ſunt ſubdiuiſa. E. c. dum Noſter obſeruationes tradit de morbo venereo, inquirit in diuerſitatem methodorum medendi lui venereae tam veterum, quam recentiorum, communicat etiam breuem venerei morbi hiſtoriam in Anglia et perſecutus eſt demum eius diuiſionem in gonorrhoeam, cancrum et luem veneream. Nos vero quaedam tantum exempli loco proponamus, cum liber inter lectu dignos ſit merito referendus. p. 63.

Cancer venereus variis in locis, ſi miaſma venereum ea tangit, oritur, e. g. in labiis per oſcula, item per cochlearia et vitra, quibus aegri, his venereis vlceribus vexati, vſi ſunt, e. ſ. p. p. 75.

Inter alia ſigna, ex quibus patet, mercurium aegris exhibitum verſari in reſoluto ſtatu, Noſter refert, exſudationem mercurii, quae conſpicua ita redditur per metallorum, quae cuti aegrorum proxima ſunt, mutatum colorem, vt argentum ſtanno, et aurum argento fiant ſimilia; porro ſaporem cupreum, quem ſequitur odor plane ſingularis, et eum gingiuarum moleſtus ſenſus. Quo auctо, ſaliuatio apparet. Mercurio tribuit ſtimulum (*mercurial ſtimulus*), qui ex effectibus eius cognoſcatur. p. 100.

Surditatem atque coecitatem veneream, alia- que, conſiderat Noſter inter ſymptomata, quae luem ſequuntur veneream, iisque quaedam addit a veteribus obſeruata, vt epilepſiam, dolores viſcerum, dyſenteriam, lepram. p. 181. p. 196.

Enarratis luis venereae ſymptomatibus, quae plerumque ei intereſſe ſolent, eandem ſpeciebus aliis atque aliis apparere obſeruat. Sunt p. 200.

itaque haec exempla vt peculiaria conſideranda et plerumque a procliuitate morborum vniuerſalium, qua debilitatas antea vel aegras corporum partes praecipue inuadunt, et in lue venerea repetenda. Ex qua theoria ſequitur, multos morbos, potiſſimum chirurgicos ab alio morbo obortos, veneream ſaepe nanciſci indolem. Ad tria inprimis Cl. ANDRE' tum reſpicit momenta: quorum *primum* eſt exitus antecedentis morbi venerei, *ſecundum*, ſymptomata praeſentis morbi, et *tertium*, effectus mercurii ſeu aliorum medicamentorum, quibus praeſenti morbo ſuccurritur.

VII.

Kurze Nachricht von der epidemiſchen Schnupfenkrankheit und der Beſchaffenheit der Luft 1781. *und* 1782. *Von einem Arzte der Stadt Hamburg* 1782. *bey B. G. Hoffmann*, 32. *Seitt. in* 8.

i. e.

Breuis relatio de epidemica febre catarrhali et de indole aëris, annis 1781. et 1782.

Relationis huius auctor dicitur Cl. MVMSEN. Diu Hamburgum a contagioſis morbis liberum fuit, et nonnulli morbi diſparuiſſe ſeu mitiores redditi videntur, vt calculi renales, pleureſia, peripneumonia et venereum malum. Morbilli et variolae, methodo medendi mutata, neque amplius adeo periculoſa ſunt. Phthiſis vero valde graſſatur.

p. 9. Breuiter iam deſcribitur catarrhalis epidemia. Plurimi ſentiebant, cum aëri ſeſe expoſuerant, laſſitudinem et oſcitationem. Tum rubor faciei et oculorum ardor, cephalaea, in ceruice et dorſo membrisque dolores, quibusdam quoque angina et dolores per pectus penetrantes ſuperueniebant,

niebant, non diu autem continuabantur. Febrilis poſtea tangebatur pulſus cum ſicca cute, praeter plantas pedis, horroris et caloris viciſſitudine, raucedine, tuſſi ſonora et doloribus pectoris et aſperae arteriae. Multi, qui ceſſabant a ſuis negotiis vel qui contra aerem ſe tuebantur, a ſymptomatibus his die ſecundo ſ. tertio vel per remedia vel ſponte liberabantur, etiamſi impetus morbi valdopere erat acutus. Ii vero, qui boreae frigido erant expoſiti ſeu motu agitati, neque a caloris frigorisque viciſſitudine immunes, patiebantur vehementius atque diutius.

Qui inſuper morbidis praediti erant viſceribus ſeu primarum viarum impuritatibus pleni, acutius a morbo inuadebantur et ſerius ſanabantur. Accedebant his vomitus bilioſi et mucoſi, dolores pectoris acriores et diuturniores, tuſſis ferinae ſimilis et interdum cum ſanguinis eiectione. Aduentum huius morbi indicabant ſpaſmi in extremitatibus inferioribus et ſub plantis pedum, quae quoque, durante morbo, reuertebantur. Peſſimum ſignum erat celeris defatigatio et imbecillitas, tum enim malum eas praecipue partes occupabat, quae reſpirationi et circulationi ſanguinis ſeruiunt. Acceſſit praeterea timor et animi torpor.

Haec epidemia per totam fere Europam graſ- p. 12.
ſabatur, neminique propemodum parcebat. Pauci indigebant venaeſectione, pluribus vomitoria et laxantia proderant, veſicatoria raro erant neceſſaria et ii, qui, ſine reſpectu, ad epidemiam venaeſectione, vomitoriis, purgantibus e. ſ. p. tractabantur, valde aegrotabant et nonnulli quoque moriebantur. Methodus huic morbo medendi iuxta morbi ſymptomata aptanda erat. Cremor tartari, mel, aniſum, foeniculum, gummi arabicum, folia ſennae, nitrum depuratum, manna, ſaccharum, et ſimi-

lia praecipua erant remedia. Victum Noſter praecipiebat leuem et potum lenientem.

p. 19. In Gallia ſimilis morbus, *la gripe* dictus, multos homines interfecit, probabiliter per venaeſectionem, imprudenter adhibitam. Noſter meminit obſeruare duos ſimiles catarrhales morbos. Anno MDCCLXI apparebat eodem aere ſimilis morbus in Italia et Germania, qui *Influenza* dicebatur, quoniam fortaſſe ab influxu ſiderum ille repetebatur.

Anno MDCCLXVII Noſter in Anglia commorans eadem tempeſtate obſeruauit epidemiam canum et equorum, nomine *the horſe cold*, Germanice *den Pferdeſchnupfen*, quae et homines inuadebat, ſed, quantum Noſter reminiſcitur, ſine letalitate.

Tam vniuerſam atque communem vero, quam praeſens erat, nullam obſeruauit Noſter epide-
p. 25. miam. Diſputatur nunc de indole aeris annorum octuageſimi primi et ſecundi ſaeculi, quo viuimus. Octuageſimus primus annus notatu dignus eſt ob inſigniter calidam aeſtatem et multas auroras boreales. Calor die ſecundo iulii erat 26–27 gradnum Reaumurianorum, ita ſuper 92° ſecundum Fahrenheitianum. Noſter vero in omnibus aliis aeſtatibus nunquam 84 gradus ſuperaſſe calorem obſeruauit. Secundus annus incipit frigore maximo et acerrimo vulturno, neque auroris borealibus raris.

VIII.

Beſchreibung der Epidemien, welche im Frühjahr des 1782ſten Jahres in mehreren Gegenden von Europa geherrſchet und unter dem Namen der Ruſſiſchen Krankheit bekannt geworden. Gießen 1782. 4. *Bogg.* 8.

i.e.

i. e.

Deſcriptio epidemiae, quae tempore vernali MDCCLXXXII. in pluribus regionibus Europae graſſata nominabatur morbus Ruſſicus.

Cita tempeſtatis viciſſitudine eaque valde frequenti ille morbus, quem Ruſſicum appellant, apparebat, qui raro obſeruabatur periculoſus et letalis, niſi negligentia aegrorum et iniuſta medendi methodus, item ſanitas iam antea vacillans accedebant. Phlegmatici et pectore laborantes, debiles, grauidae, et diuites potius quam pauperes facilius erant huic morbo expoſiti, et eo magis laborabant, quam caeteroquin ſani. Redibat morbus facile et quidem vehementius, ſic, vt accederent pleuritis, peripneumonia, et alia ſymptomata.

Hanc epidemiam concomitabantur ſequentia: p. 23.
tuſſis cum oppreſſione et dolore pectoris, febris etiam, in qua continuo aeſtus et horror alternabant, mucus item fauces et linguam occupans, nauſea a bile paucis, ſed plurimis a muco, qui ſtimularet, oborta, appetitus proſtratio et ſeroſa acris colluvies ad oculos et omnino verſus caput.

Sequentia autem ſymptomata maligna erant et p. 24.
praeſagiebant morbi tardiorem exitum: ſopor et phantaſia, pectoris acutus dolor et compreſſio, anxietates, aſthma, tuſſis cum ſputo ſanguineo, aluus pertinaciter obſtructa, cutis ſicca et vrina copioſa et aquoſa ſeu ſpaſtica, vermes, ſomni defectus, pulſus intermittens et reſpiratio laeſa, bilioſae impuritates multae, his ſeu paucioribus ſymptomatibus ſuperueniens grauiditas, vel haemoptyſis, vel vlcera pulmonum. Haec ſigna ſubitum praedicebant p. 26.
morbi egreſſum: diarrhoea modica, febris cum molli pulſu, vrina turbida, perſpiratio totius corporis aucta, tuſſis humida, calor moderatus. Omni-

noque abſentia non diu ante indicatorum ſymptomatum malorum.

p. 27. Ad cauſas venit Noſter. Quae cernuntur in caloris et frigoris viciſſitudine, tempeſtate humida, ventis moleſtis, refrigerio, in primarum viarum impuritatibus mucoſis, bilioſis cet. exaeſtuantium abuſu, vermibus cet.

p. 33. Inter alia praeſeruatiua Noſter ſuadet lenia laxantia, per partes exhibita. Venaeſectio plurimis nocuit, ideoque eam in vniuerſum diſſuadet et ſpeciatim vrgente morbo et ſymptomatibus ſolummodo admittit. Atque ita omnino talem huic morbo epidemico medendi methodum elegit, qualem cauſarum diuerſitas, ſymptomatum varietas et alia atque alia corporum conſtitutio exigebant.

IX.

EDVARDI SANDIFORT deſcriptio muſculorum hominis. Lugd. Batauor. CIↃIↃCCLXXXII. apud P. v. D. Eyk et D. Vygh. 4. pagg. 333.

Indefeſſi Cl^{i} Auctoris, cui iam alia plura opera, his in commentariis recenſita, debemus, ſtudium iam pridem in eo occupatum fuit, vt hiſtoriam muſculorum daret concinniorem atque intellectu faciliorem: licet enim non ignoraret, qui hiſtoriam muſculorum rite componere vellet, eum totum cuiuſcunque muſculi ambitum, figuram, reliquaſque eius virtutes accurate obſervare, originem, loca omnia, vbi muſculus adhaereat, coniunctionem partium adiacentium, inſertionemque cognoſcere, praecipuas varietates, actiones conſuetas, memoratu digniſſimas mutationes, quae ex mutato corporis ſitu, et partium exiſtant, animaduertere debere, atque adeo laborem, diligentiamque requiri ſingularem; et quamuis probe haberet perſpe-

perſpectum, fuiſſe haud paucos, eoſque viros ſummos, qui in hac anatomiae parte elaboraſſent ita, vt nihil amplius relictum ſibi videretur: tamen re penitius perueſtigata inuenit multa, quae addi atque emendari poſſent.

Sed vt normam haberet Cl. Auctor, ad quam in hoc libro conſcribendo ſe dirigeret, ALBINVM maxime ſibi elegit ducem, atque omnium muſculorum, quales frequentius occurrunt, deſcriptiones, ex tabulis Albinianis, quantum fieri potuit, breues, exactas tamen dedit; praematuram huius viri immortalis dolens mortem, qua ſine dubio impeditus fuit, quominus tabulas haſce, quemadmodum reſpectu tabularum oſſium fecit, reddere poſſet accurata explicatione vtiliores. Sed quoniam totum ALBINI opus in duo tabularum genera deſcriptum legitur, quarum alterum muſculorum ſyntaxin per totum corpus pertinentem ſiſtit, alterum ſingulorum imagines proponit, commentarium ſuum Cl. SANDIFORT in duas ſectiones diuidendum eſſe cenſuit. Ac in prima quidem parte *de diuiſione corporis in varias regiones* egit, muſculos in ſuis regionibus ſitos enumerauit, nec non cuique icones, quae ab EVSTACHIO, aliiſque exhibentur, inprimis quae in ſyntaxi conſpiciuntur ALBINI, adiecit ſic, vt ſitum, quem ratione aliorum habent omnes muſculi, inſpectis tabulis commemoratis, cognoſcere quiſque optime poſſet. Quam in rem, quo hoc melius intelligatur, exemplum afferamus tantum hoc: *in Calua*, inquit, *Epicranius, circa auriculam, Attollens auriculae, Anterior auriculae, Retrahentes tres, ſuperior, medius, inferior; in Facie, Orbiculares palpebrarum* etc. Altera pars continet ſingulorum muſculorum deſcriptiones, vbi has praecipue ALBINI icones adduxit, quae muſculum, qui conſideratur, ſolum aut cum paucis

p. 2.

p. 61.

paucis aliis ſimul oſtendunt, omneſque eius virtutes perſpicue ante oculos ponunt. Neque tamen vero ſolas ALBINI icones commemorauit, ſed quum non neſciret, has Albinianas tabulas paucorum in manibus eſſe, nec ſemper copiam fieri, eas in bibliothecis publicis examinandi, EVSTACHIO vero neminem facile carere poſſe, qui corporis humani fabricam cognoſcere ſtudeat, muſculos, hac, illaue in regione ſitos, priuſquam exponeret, enumerationem omnium, regionem aliquam occupantium, praemiſit, illaſque ex Euſtachianis tabulis addidit figuras, ex quibus muſculi egregie perſpici poſſent, quin et cuique muſculo in deſcriptione, omnium optimam EVSTACHII iconem adiunxit, quo effecit, vt etiam abſque tabulis Albinianis fortaſſe doctrina de muſculis rite addiſci queat.

Sed vt huius rei quoque exemplum proponamus, quo modo Cl. Auctor in hac altera parte ex-
p. 85. ponenda verſatus ſit, regionem quintam *de cauo oculi* enarremus, vbi, *cauum oculi praeter alias partes*, inquit, *occupant leuator palpebrae ſuperioris, obliquus ſuperior oculi, rectus attollens, rectus abductor, rectus adductor, rectus depreſſor, obliquus infe-*
p. 90. *rior*, et deinde deſcriptionem cuiuſque dat, v. c. *adductoris*, eſt *capite craſſiore, eoque tendineo, originem trahit ab inferiore parte foraminis optici, et a proxima lateris illius, quo reſpicit naſum; capite graciliore, pariter tendineo, ab initio cohaerente cum leuatore palpebrae ſuperioris et recto attollente, vnaque cum iis cum obliquo ſuperiore, a foramine optico oritur, et cum nerui illius vagina cohaeret* etc. Atque ſic vtilitatem hiſtoriae Albinianae hoc opere maiorem reddere Cl. Auctor ſtuduit, nec non omnia, vti inſignem varietatum, in muſculis obſervatarum, numerum, vnius eiuſdemque muſculi diverſas variorum auctorum denominationes, eorum-

que

que vſum latiorem, quae a propoſito ſuo plane aliena viderentur, praetermiſit.

X.

EDVARDI SANDIFORT icones herniae inguinalis congenitae. Lugd. Bat. apud P. v. D. Eyk et D. Vygh, 1781. 4. c. figg. pagg. 31.

Cl. Auctor, more ſuo, multo ſtudio ſcriptorum, antea de re propoſita editorum, mentionem fecit. Quum autem ferme omnes de hernia congenita figurae naturalem praecipue partium fabricam ob oculos ponant aegreque icones inueniantur, quibus morbus ipſe plenarie exhibitus ſit, oblatam occaſionem arripuit Noſter, et morboſum non ſolum examinauit ſtatum, verum ſitum partium etiam exacte delineari curauit, paratasque icones, non quarto obſeruationum anatomico pathologicarum libro inſerendas, ſed, vt illarum acquiſitio tanto facilior eſſet, ſeparatim edendas eſſe cenſuit.

Herniae inguinalis congenitae deſcriptio in p. 12.
capite primo traditur, et icones nitidiſſimae huius herniae adduntur. Fetui maturo et ſano praeterea dextrum inguen, prae ſiniſtro tumebat: quam quidem herniam repoſitione et bracherio ſublatam fore putabatur, quod tamen, cum ſymptomata, quae incarceratas hernias ſequuntur, apparerent, non ſucceſſit, ſed infans vix tres menſes natus e vita diſceſſit.

Separatis caute muſculis abdominalibus valdopere expanſis a peritonaeo, eius prolongatio vtrinque conſpiciebatur, dextro autem latere potius, quam ſiniſtro vſque ad ſcroti inferiora tendens. Quo diſſecto, ventriculus maxime extenſus adeo tenuis erat, vt mox diſſiliret leniſſimo tactu. Tenuia inteſtina magis erant extenſa, quam craſſa. Finis ilei cum coeco eiusque appendice vermiformi conſpicie-

ſpiciebantur in ſacco hernioſo, cuius parti inferiori accreuerat apex proceſſus vermicularis et quodammodo etiam teſti, ibique durities inſignis tangebatur cet.

p. 17. In capite ſecundo inquiritur in ortum herniae inguinalis congenitae. Inteſtina exempli, a Noſtro communicati, productionem peritonaei intraſſe ſicque inguinalem ac ſcrotalem herniam formaſſe, praeter quod nouus a peritonaeo ſaccus ſit formatus, liquet ex figuris, hic a Noſtro additis. Comparat Cl. SANDIFORT hoc cum alio exemplo, quod erat fetus ſeptem menſium. Scroto teſtibus vacuo reperto, qui fiſſuris abdominalium muſculorum quidem elapſi, ſed inguine vtroque detenti a Noſtro animaduertebantur. Ad illuſtrandum hunc morbum hoc cadauer diligenter ac curioſe perquiſiuit cum aliorum obſeruationibus contulit, et iconem egregiam curauit.

p. 26. Caput tertium complectitur explanationes figurarum egregiarum et ad hunc morbum perſpiciendum perutilium.

XI.

Cerebri neruorumque corporis humani anatome repetita, cum duabus tabulis aeneis, auctore D. IOANNE GOTTLOB HAASIO, Med. Profeſſ. Publ. Extraordinario, Facultat. Med. Lipſ. Aſſeſſore. Lipſ. apud Io. Frid. Iunium, 1781. 8. pagg. 134. praeter dedicationem, praefationem, contenta, indicem rerum et explicationem tabularum.

Anatomicam artem a Cl. Auctore diligenter fuiſſe cultam inter noſtrates conſtat, omnesque norunt, quantum priuata et publica doctrina profuerit, et etiamnum proſit: eum autem etiam litterariam

rariam huius disciplinae partem habere cognitam ac perspectam ex praefatione intelligunt Lectores, qua omnes suos praeceptores laudat, fontesque anatomicos, vtiliter ab Eo perlectos, indicat. Quaecunque igitur a praeceptoribus acceperat inque scriptis anatomicis legerat, ea in singulis anatomicae disciplinae partibus tractandis et docendis digessit et cum iis, quae in cadaueribus vidit, comparauit. Atque ita tradit hic Cl. HAASIVS neurologiam, de cuius difficultatibus nonnullis vel imminuendis, vel remouendis iam dudum cogitauit. Neurologiae igitur scriptis, sedulo indicatis, ita est vsus, vt aliorum de neruis obseruationes vel repeteret, et cum suis conferret, vel etiam quasdam iis adderet. In neruis diuidendis secutus est Cl^um WRISBERG, qui neruis cerebri illisque qui medullae spinalis sunt, tertium genus, quod mixtos comprehendit, addendum esse censuit, atque hanc ob causam spinalem accessorium et phrenicum ad id genus contulit. Iconem Anderschianam HALLERI cum eius explicatione ideo addidit, vt nervi per collum ad thoracem descendentes vna quasi conspicerentur. Ad huius enim tabulae exemplum tractum tum neruorum mollium et partis ceruicalis nerui sympathici magni, tum aliorum, qui per ceruices decurrunt, aliquoties praeparauit Cl. HAASIVS suasque obseruationes praecipue cum illis, quae ista tabula continentur, comparauit, qua in re imitatus est FRID. WALTHERVM, qui in repetita teneriorum musculorum anatome labores cum Santoriniana tabula contulit, illosque exinde illustrauit. Cum radices nerui sympathici a quinto et sexto pare neruorum cerebri prouenientes, osseis canalibus inclusae sint, quos diffringi oportet, si velis eas visui prorsus exponere, duas etiam MECKELII adposuit figuras. Caeterum Lectores, qui his

his ipsis neurologicis obseruationibus recte vti velint, ad ipsum librum relegemus necesse est. In quo certe neruorum historiam egregie descriptam inuenient. Sub finem quoque de actione neruorum disseruit Cl. Auctor.

XII.

IOSEPH LIEUTAUD's *Zergliederungskunst nach der neuesten, mit verschiedenen historischen und kritischen Bemerkungen von Herrn* PORTAL *vermehrten Ausgabe übersezt, und mit einigen Anmerkungen und Zusäzen versehen. Erster Band mit Kupf. Leipzig bey Johann Friedrich Junius,* 8. 1782. *Seitt.* 886. *Zweyter Band, ib. eod. Seitt.* 811. praeter indicem.

i. e.

IOSEPHI LIEUTAUD anatomia secundum nouissimam, cum variis historicis et criticis annotationibus Cl^i PORTAL auctam editionem, versa in germanicum sermonem, additamentis et annotationibus instructa. Vol. I. et II.

Qui ante quadraginta iam annos prima vice prodiit LIEUTAUDII hic vtilissimus liber, eum Cl. PORTAL, annuente Auctore, denuo edidit, et quidem collectis hactenus obseruatis, inuentis praecipuis, tum etiam suis ipsius animaduersionibus et iconibus auctum. Hanc itaque Cl^i PORTAL Lieutaudianae anatomiae editionem in sermonem germanicum cum nonnullis interpretis mutationibus versam, atque quoad ordinem, additamenta, animaduersionesque, et icones nonnihil mutatam iam indicamus. Ordo enim ita mutatus est, vt neurologia in parte secunda germanicae editionis traderetur, et

loco

loco eius inſtitutiones praeparationis anatomicae ex ſecunda Franco Gallicae editionis parte primae parti germanicae inſererentur, quibus interpres tractatum G. I. BEVTH *) de artificialibus iniectionibus, quo methodum tradit, vaſa ſanguifera animalis corporis eadem accuratione et nitore iniiciendi, qua RVYSCHIVS et LIEBERKÜHN. Praeterea autem interpretis additamenta, quae aut ad confirmandas, aut ad augendas deſcriptiones, aut ad limitandas propoſitas res conferunt, ſunt lectu digna. Quod icones attinet, in iis quidem translator ſecutus eſt Cl^um PORTAL, ita tamen vt tabulae ſex in quinque contraherentur, et in ſexta tabula, huic germanicae editioni adnexa, oſſicula BERTINI ſecundum BÖHMERVM **) delinearentur. Caeterum hunc ordinem obſeruauit Auctor, vt oſteologiae adderet tractatum de oſſium generatione: tum muſculorum, et vaſorum ſequitur doctrina. In parte altera de neruis cerebroque, deinde de viſceribus agitur. Denique partium omnium ſubiuncta eſt vniuerſalis conſideratio, quae facta ſectione ex ordine apparent. Abſtinemus ab vberiore ipſarum obſeruationum enarratione, quum tantae ſit vtilitatis hic liber, vt dignus ſit, qui in omnium medicorum verſetur manibus. Ipſam etiam verſionem, prae Gallica editione noſtris vtiliorem et, praeſertim propter laudandas interpretis adnotationes, magis commendandam eſſe cenſemus.

XIII.

*) Ondekking van het Geheim der Opſpuiting der Vaten gebruikt door de Herren RVYSCH et LIEBERKÜHN. Qui tractatus, vna cum tabula aenea in Verhandlingen uitgegeven door de Hollandſche Maatſchappye der Wetenſchapen te Harlem, Tom. XVI. P. II. pag. 236. inſertus legitur.

**) v. Inſtitutiones oſteologicae. Hal. 1751. 8.

XIII.

10. GOTTLIEB WALTER tabulae neruorum thoracis et abdominis. Iuſſu academiae regiae ſcientiarum Berolinenſis. Berolini, litt. Deckeri 1783. forma maxima, pagg. 17. tabb. 4. cum vmbra, 4. lineares nitidiſſimae et ad viuum expreſſae.

Opus magnae diligentiae, aſſiduitatis, multi laboris, incredibilis ſtudii, ideoque dignum, quod et nomen Cl. WALTERI ad poſteros et exteros tranſire iubeat, et vſibus medicorum inſeruiat, ſi quando par octauum et neruum intercoſtalem penitius cognoſcere cupiant. Docet Cl. WALTER in praefatione, qui qualesue viri hoſce neruos indagarint, bene, an male, *neminem ante ſe verum atque legitimum terminum vltimum ſeu finem nerui intercoſtalis vel verbis, vel figuris expreſſiſſe*, ſe vero et inueniſſe, et in tab. 1. fig. 2. delineatum dediſſe, deinde conditionem gangliorum nerui intercoſtalis eorumque originem ex neruis dorſalibus, lumbaribus et ſacralibus eruere, denique anaſtomoſes nerui intercoſtalis vtriusque lateris, nerui vagi, phrenici et ſacralis oſtendere curaſſe, vt ſtupenda morborum ſymptomata inde luce ſua colluſtrarentur. In quo negotio ita verſatus eſt, vt primum cadaueris vaſa ſanguinea cera varie colorata impleret, lymphatica vero mercurio: quo certior factus eſt, pleuram, pericardium, ductum thoracicum et peritonaeum nullos habere neruos, neque glandulas conglobatas, tranſire tantum eos; ganglion ſemilunare nihil eſſe, niſi agmen gangliorum coeliacorum.

Primae tabulae figura prima ſiſtit nerui phrenici ramos thoracicos, ramum perforantem, nerui inter-

intercoſtalis originem a neruis dorſalibus, lumbaribus et ſacralibus, nerui intercoſtalis iter per thoracem atque abdomen, neruos ſacrales, vnde naſcuntur nerui genitalium internorum et plexus hypogaſtricus, atque fig. 2. exhibet finem nerui intercoſtalis. Tab. II. monſtrat habitum gangliorum coeliacorum, anaſtomoſin nerui intercoſtalis cum ramis abdominalibus nerui phrenici, originem plexus meſenterici ſuperioris, plexus renales, ſpermaticos, plexum meſentericum inferiorem et hypogaſtricum. Tab. III. repraeſentat octauum par dextrum et cum ſiniſtro per anaſtomoſes iunctum, iter paris vagi dextri et ſiniſtri per pectus et abdomen, item anaſtomoſes eius crebras cum neruo intercoſtali. Tab. IV. continet neruos hepatis, veſiculae felleae, ventriculi, duodeni, pancreatis, omenti maioris ab vtroque pari octauo, a neruo intercoſtali ſiniſtro et dextro, ideoque hic quaſi expreſſum videas coitum vtriusque nerui intercoſtalis et vagi. Vnde patet, quam multiplex harum tabularum vſus in medicina practica ſit: ſed non licet vberius haec percenſere, cum Cl. WALTER, praeter explicationem textus, nihil addiderit.

XIV.

IOH. PET. FRANK, *M. D. Hochfürſtl. Speyer. Geh. Raths und Leibarztes, Syſtem der mediciniſchen Policey, I^ter Band. Von Fortpflanzung der Menſchen und Eheanſtalten, von Erhaltung und Pflege ſchwangerer Mütter, ihrer Leibesfrucht und der Kindbetterinnen in jedem Gemeinweſen. Mannheim, bey Schwan,* 1779. 8. *pagg.* 678. *II^ter Band. Von der außerehelichen Zeugung, dem gefliſſentlichen Misgebähren und andern Mishandlungen der unehelichen Kinder, von der phyſiſchen*

Erziehung des Neugebohrnen bis zum erwachſenen Bürger, 1780. *pagg.* 692. *III*ter *Band. Von Speiſe, Trank und Gefäßen, von Mäßigkeitsgeſetzen, ungeſunder Kleidertracht, Volksergözlichkeiten; von beſter Anlage, Bauart und nöthigen Reinlichkeit menſchlicher Wohnungen*, 1783. *pagg.* 1004.

i. e.

10. PET. FRANK Syſtema politiae medicae. Vol. I—III.

Arduum et graue auſum eſt, omnem politiae medicae ambitum ita percenſere, nihil vt reliqum ſit, quod vel ad perſpiciendam eius in conſeruanda ciuium valetudine vim, vel ad reddendum corporis robur, vel ad commoditatem vitae vllo modo pertinere videatur. Perfecit tamen Cl. FRANK laudabiliter, quae ſemel ſuſceperat, etiamſi non ſatis adiutus a doctis viris, quorum auxilium in communicandis ſcriptis auctoritate publica promulgatis, ſed alias vix ac ne vix quidem obtinendis, implorarat.

p. 93. In parte prima tractat vir Cl. quae *ad generationem* ſpectant, et abunde docet, regi populoque ſana ſobole nihil optabilius, nihil prius eſſe debere, nihil ſtimulo naturae potentius eſſe, nihil caelibatu
p. 139. deterius. Hinc reprobat *caelibatum eccleſiaſticum*, quem hiſtorice ac mira lectionis copia explicat, et optat, vt aut tollatur prorſus, aut certe ſerius eli-
p. 180. gatur; damnat *caelibatum ciuilem*, quippe ſaluti publicae et priuatae contrarium, veneris vulgiuagae luique amicum, hinc mulcta afficiendum, magis tamen dandum putat feminis, quippe praeter voluntatem matrimonii expertibus: iis vero viris, quorum conditio vetat vxorem ducere, matrimonium

ad

ad morganaticam concedendum; denique cohibendum et arcendum ſuadet *coelibatum militarem*, p. 211. quippe procreandis ciuibus perquam aduerſum, luis venereae, horribile dictu! vlterius propagandae idoneum, at facile iuſſu et promiſſis auferendum. *De matrimonio ineundo* haec habet Cl. FRANK, adiutus, more ſuo, hiſtoria et placitis medicis. *Matrimonia praematura* debilitant viros, tabem dorſalem, apoplexiam ac neruorum morbos diriſſimos inducunt, et miſellam atque immaturam ſobolem veluti efferunt; feminas vero ad abortum diſponunt: ideoque ante vigeſimum annum lege prohibenda ſunt, rarius concedenda; *matrimonia ſera* p. 269. *vel inaequalia*, irrita, ridicula et noxia ſunt, quia hic nulla ſobolis ſpes ſupereſt. Abeſſe ergo debent nuptiae effetae feminae ac iuuenis, ſenis depontani ac iuuenculae; licere vero feminae quinquagenariae nubere viro ſexagenario, et viro quinquaginta annos nato vxorem ducere viginti et octo annorum, et ſexagenario eam, quae quinquaginta annos numeret; *matrimonia inſalubria* diſſuadenda p. 297. videntur, quoniam morbi inde contrahuntur, irritamenta amoris nulla ſunt, voluptatis deſiderium non ſatiatur, liberi aut nulli proueniunt, aut marcidi, nec vlli negotio vtiles. Procul ergo hinc, procul eſtote phthiſici quicunque, epileptici, ſcrophuloſi, leproſi, venerei, arthritici et podagrici, cachectici, gibberoſi; maniaci, melancholici, calculoſi, haemoptoici et laborantes haemorrhagia vteri vel fluore albo, deformi pelui praeditae, male mentulati.

Fecunditas magis propria viris, quam feminis p. 375. eſt. Hinc durae datae leges ſterilibus. Saniores ſunt, quae ingrauidantur et pariunt. Cauſſae, vnde ſequitur ſterilitas, innumerae et morales, et phyſicae. Videndum ergo quouis modo, vt flagitium

apud populum ſit, numerum liberorum finire.
p. 435. *Coacta matrimonia* naturae inimica ſunt, ergo non
p. 459. toleranda. *Inſtitutio puellarum matrimonio apta-*
p. 486. *rum* et *educatio phyſica* ſedulo commendanda eſt,
p. 491. eamque ob rem monendae ſunt *de grauiditate an-*
p. 509. *nexisque iuribus*, mortuae *ſub partu* aperiendae, item
p. 609. *cura parientium et puerperarum* reipublicae ſacra eſſe debet.

Vol. II. In parte ſecunda Cl. FRANK multus eſt in explicandis *praeſidiis infantum patre incerto natorum*,
p. 3. et auertendis a foetus corpore iniuriis. *Cura publica fetus ſpurii* ſacra eſſe cuique bono debet. Puella grauida ea omnino iura ſperare ac exigere poteſt, quibus nuptae fruuntur. Ciuem enim in vtero alunt, ignominioſae poenae pariunt infanti-
p. 55. cidium et inaudita ſcelera. *Abortus* in his eminet, et expoſitio infantis, adhibenda ergo ſunt apta remedia. Ex quo numero eſt domus obſtetricia, ſed
p. 161. multi eam diſſuadendam putant. Praeclara ſunt, quae *de educatione phyſica* in medium profert vir Cl. Talia ſunt cubitio ſolitaria, remotio rerum adſpectu foedarum vel terribilium, commendatio lactationis, quae matrum eſt, vel nutricum officium, paedatrophia et domus recipiendis expoſitis infantibus deſtinatae, praematura meditatio vel citatus labor, cura ſcholarum publicarum, gymnaſtices veteris reſtitutio cet. quae ſi cara eſſent principi populoque, innumeris malis deſtituerentur ciues, quibus ſuccumbere ſolent.

Vol. III. In parte tertia, quam vere *diaeteticen publicam*
p. 3. diceres, verſatur Cl. FRANK in explicanda *cura carnis*, maximeque ea, quae ad magiſtratum pertinet, docetque pluribus, quae caro concedenda vel interdicenda ſit, quae noxa ab eſu morbis infectorum animantium metuenda, rel. In quo iterum, more ſuo i. e. multa cum lectionis copia, oſtendit, quid

quid e re atque vſu populorum veterum et recentiorum fuerit; deinde ſubiecit quaedam *de lacte*, p. 143.
butyro, *caſeo*, *ouis*, quatenus ex his, praeſertim ob
vaſa cuprea vel vaccarum morbos, damna ſanita-
tis irreparabilia oriri poſſunt. Sequitur *cura pi-* p. 165.
ſcium. Reprobat ergo Cl. Auctor putridos ac ae-
gros, venenatos, mortuos, venerem ſectantes, ve-
neno narcotico captos, ad metallorum inprimis
plumbi fodinas, ſeruatos, commendat exſiccatio-
nem piſcinarum, et vberius profitetur, quid de
oſtreis, cochleis, halecibus cet. ſtatuendum iuben-
dumque eſſe videatur. Eadem accuratione vtitur
Cl. FRANK in percenſendo *victu vegetabili*. Vt enim p. 197.
magni intereſt ſcire, quae *panis boni* natura eſſe
debeat, quae ſuccedanea exiſtimari; ita etiam *ſecale* p. 217.
cornutum in medio veluti relinquit, illudque *inter-*
dum maiorique in copia valetudini aduerſum eſſe
poſſe contendit. *Vſtilaginem* et *rubiginem*, item p. 230.
lolium temulentum, nutriendo corpori aptum non p. 235.
eſſe, nihil praeter cribrationem diligentem profi-
cere, bona et incorrupta frumenta ceteris antepo-
nenda eſſe, molitori non dandam venditionem
farinae, curam molendinarum, panis coquendi et
cocti, fungorum aliarumque plantarum, pomo-
rum, olerum, non negligendam prorſus ſuadet.
De *apparitione ciborum* eorumque *additamentis*, pu- p. 323.
ta *ſale*, *aceto*, *oleo*, *aromatibus*, nota quidem multa,
at non ſpernenda praecepta adferuntur, eademque
diligentia perſpicitur, cum Cl. FRANK de *potuum*
generibus, *aqua*, *cereuiſia*, *vino*, *ſpiritibus ardentibus*,
aqua calda, v. c. *infuſione theae*, *coffeae*, nec non *de* p. 349.
vaſis culinaribus cupreis, *ſtanno obductis*, *plumbeis*,
terreis, *de temperantia* agit, ſiue eam in potu ac p. 650.
cibo quaeras, ſiue in *tabaci puluere ac fumo*, ſiue
in *veſtitu*, *capillamentis eorumque confectoribus*, quos
procul e republica bene conſtituta abeſſe iubet,

p. 756. ſiue in *fuco feminarum* et *thoracibus*. Abunde enim docet, quae factu opus ſunt. Superſunt adhuc
p. 784. *oblectamenta publica*, quae nequaquam prohibenda, ſed moderanda Auctor noſter iubet; ſuperſunt *do-*
p. 824. *micilia*, quorum ſtructura ſanitati commoda adhuc negligitur. Vtinam omnia certe potiora praecepta, quae hoc in opere vtiliſſimo reperiuntur, tandem aliquando in vſum veniant!

XV.

IOH. DAN. METZGERS, *Profeſſors zu Königsberg, vermiſchte mediciniſche Schriften. Iſter Band. Königsberg bey Wagner und Dengel*, 1781. 8. 213. *Seitt. IIter Band*, 1782. 308. *Seitt.* 8.

i. e.

IO. DAN. METZGERI ſcripta medica varii generis. Vol. I. et II.

Digna erant haec ſcripta Cl. METZGERI, quae cum orbe erudito communicarentur. Continent enim multa et lectu iucunda. Videamus de ſingulis.

I. *Extiſpicia*. Continentur quatuor obſeruatio-
p. 1. nes: 1) *Dislocatio viſcerum*. Docet vir Cl. talem mutatum poſitum hinc inde apud auctores reperiri, cumprimis apud Cl. DAVBENTONIVM; ſed negat,
p. 8. eum nominandum monſtrum fuiſſe, hunc vero praecipue mutato cordis motu cognoſci tunc potuiſſe, viuo adhuc homine, ſi nulla exinde incommoda oriantur. Qua data occaſione vir Cl. doctrinam de euolutione dubiam reddere ſtuduit, WOLFII epigeneſin laudauit, ita tamen, vt eius vim eſſentialem pro vi quadam viuifica corporis animata habeat.

p. 39. 2. *Sectio calculoſi*. Iuuenis quatuordecim annos
p. 40. natus, inde ab ſex annis calculos plures paruulos cum

cum dolore reiecerat, tandem poſt ſpretam ſectionem intumeſcerat regio renis ſiniſtri cum quadam fluctuatione. Facta ergo eſt ſectio perpendicularis, et effluxit magna puris foetidiſſimi ac nigricantis copia, vnde ſequebatur quaedam doloris remiſſio. Ex odore vrinoſo coniectare licuit renem ſuppuratum; at cum ſequenti die digito exploraretur cauitas, finis reperiri non potuit: hinc plaga ſuperius amplianda videbatur. Sed incaſſum, pus fluere per aliquot dies porrexit, etiam per anum, ſed aeger marcore confectus, duodecim ab inciſione diebus interiectis, diem ſuum inter diriſſimas anxietates obiit. Abdomine aperto, aquae fetidae magna vis apparuit, deinde fuerunt inteſtina pure craſſo veluti ſuperinducta et inter ſe praeter naturam tela quadam celluloſa coalita, hepar praetumidum et omnino induratum, veſicula fellea magna et bile viridi plena, omentum flaccum, induratum et purulentum, meſenterii glandulae durae et inſignis durities eo loco, vbi flexus coli ſecundus ac meſocolon cum ſplene ac rene ſiniſtro quadam tela cellulari coalita eſſe ſolet. Hic ſedes puris, hic origo effuſi per inciſionem puris. Ren induruerat, veſica vrinaria emarcuerat et incraſſata reperiebatur, vtero virgineo non abſimilis. Neque pulmones ab hac labe immunes erant. Ex his colligitur, haec vitia dudum ante mortem nata fuiſſe, dubium vero videri, num ſine praeuia inflammatione haec fieri potuerint.

3. *Mania.* In feminae maniacae cerebro ſtriata corpora deerant, fere, vt in exemplo ſummi MORGAGNI, et medullaris ſubſtantia referebat ex oblongo rotundatum nucleum, ab cineritia veluti circumcinctum. p. 53.

4. *De apoplexia.* Hiſtoria feminae apoplexia mortuae poſt largam coenam eo ſpectat, vt Cl. p. 59.

WEICKARDI enunciationem precariam de apoplexia sine effuso humore, a sola materia arthritica oriunda, per experimenta confutet.

p. 81. II. *Obseruationes practicae.* 1. *De morbo venereo.* Incredibilis luae affectorum numerus in Borussia est. Hinc idoneus etiam aduersarius Todianae hypotheseos de gonorrhoea non venerea Cl. METZGER est, qui praeter vere veneream gonorrhoeam dari plures formas, vidisse se gonorrhoeam catarrhalem, hanc et luem natura sua eandem esse, endemiam veluti anginam veneream, hanc ab saliua poculorum ministerio oriri, interdum ab lectulo communi, vnde scabies venerea, ad inueterata vitia valere pilulas magnas Hofmanni, ad vlcera vero pilulas paruas Hofmanni, rarius adhibitum vnguentum mercuriale ostendat.

p. 101. 2. *De scorbuto.* Hic morbus proprius est carceribus et maniacorum claustris, nec oritur ab aere marino, cibis salitis, sed curae neglectae sequela est. Nam homo homini lupus est.

p. 108. 3. *Morbus conuulsiuus ab onania.* Mire profuerunt aegro cortex, lignum quassiae, balnea frigida, ob acorem flores zinci, cum radice valerianae ac terris absorbentibus copulati.

p. 121. 4. *Febris intermittens in epilepsiam transmutata.* Primum facta est febris erratica, post transiit inopinato in epilepsiam bis quouis die repetentem. Dati sunt flores zinci et lotio ex camphora composita, vnde semel rediit inde ab hora nona, et ad mediam vsque noctem aegram tredecim annos natam tenuit. Abiit epilepsia, mansit cephalalgia vehemens, et insecutus est post dolorem colicum, cum tensione abdominis copulatum, purgatio menstrua. Sed iterum quouis biduo incidit accessio morbi comitialis, et tandem, etiamsi rite fluxerant menses, epilepsia sextana vel octiduana facta est.

eſt. Cortex, flores zinci, nitrum et radix valerianae mire leuarunt malum, non profligarunt.

III. *Caſus chirurgici.* 1. *Hiſtoria ſynchondrotomes feliciter peractae.* Femina quaedam nobilis, bis partum enixa et vndeuiginti annos nata, iterum dolores ad partum ſenſit, ſed non peperit, prolapſo foetus humero, morti potius proxima. In tali vitae periculo facta eſt ſynchondrotome. Die decimo ſexto ab operatione aegra pedibus inceſſit, at vero doloris expers, duodeuigeſimo die vulnus prorſum coaluit: hinc Cl. METZGER putat, praeferendam eam operationem ſectioni caeſareae eſſe, hanc vero ad lanienam videri relegandam. p. 135.

2. *Singularis quaedam grauiditas.* Femina triginta annos nata et iterum ingrauidata ſenſit motum foetus, et ſtato tempore dolores ad partum, per quatuor et viginti horarum ſpatium continuantes, ſed irriti euanuerunt ſine aquarum fluore, poſt incidit febris intermittens octimeſtris et tunc ſponte ſua ſilens, menſtrua vero purgatio nunquam rediit. Erat abdomen tumidum, quale ſub finem grauiditatis eſſe ſolet, magis tamen in latere ſiniſtro, orificium vteri paullo obliquum, attamen naturale. An grauiditas ouarii ſiniſtri vel abdominis ſuberat? Videtur. p. 159.

3. *De panaritio.* Olitorem arthriticum vexabat ea ſpecies, quae ſicca dicitur ſine inflammatione. Quaeritur, paronychia arthritica dicenda ſit, nec ne? p. 162.

IV. *Experimenta cum nouis medicamentis.* 1. *Vis ſalutaris gummi guaiaci aduerſus podagram.* Mire profuit illuſtri cuidam perſonae, minus Cl. *Gervais*, qui praeterea ex hepate aeger erat, minime in dolore rheumatico. p. 171.

2. *Arſenici vis in cancro debellando.* Cancer oris veluti endemius eſt. In ciue quodam adhibitum arſeni- p. 177.

arſenicum ea via, quam docuit LE FEBURE: primis hebdomadibus mirifice iuuit, pus melius factum eſt; ſed vbi ad doſin tertiam ventum eſt, incidit tenſio quaedam pectoris, tuſſis ſicca et raucedo, hinc reiiciendum arſenicum videbatur, quia ſemper eadem vitia inſequebantur. Idem in ceteris experimentis vſu euenit.

p. 186. 3. *Aſa fetida cariei apta.* Primus in caſibus ſpem, quam Cl. BLOCK fecerat, prorſum deſtituit.

p. 192. V. *Medicina forenſis.* 1. *Vis generandi dubia in pene inferius perforato.* Femina quaedam, infanticidii rea, patrem dixerat quendam, cuius mentula inferius pone glandem aperta inde a naſcentia reperiebatur. Statuit ergo Cl. METZGER, potuiſſe eum ſui ſimilem procreare, quia interdum ſufficiat, ſemen vuluae dediſſe. (Poſſent multa in contrariam partem adferri, ſed nec lubet, nec licet vberius diſputare).

p. 204. 2) *Pulmonum docimaſia.* Eam maſcule defendit aduerſus ſubitas et incertas Cl^i LODERI ratiunculas. Vna enim obſeruatio, de qua dubitari adhuc poteſt, vtrum rite facta ſit, nec ne, non ſufficit ad tollendam docimaſiae pulmonum vim.

Vol. II. In parte altera haec pertractantur. I. *Tria re-*
p. 3. *ſponſa*, quorum primum et ſecundum *de ſuſpicione infanticidii* agit, tertium vero *de homine poſt ictum capitis mortuo*, idque magna cum accuratione ſcri-
p. 99. ptum. Prae ceteris docimaſiam pulmonum veterem laudat, nouam Cl^orum PLOUQUETI et DANIELIS
p. 103. ſuperuacuam putat: caſum in podicem ſaepe mortiferum fuiſſe docet.

p. 105. II. *Topographia medica Regiomonti vrbis et ditionis.* Si quis ſitum vrbis, conditionem aeris, aquae, terrae, vitae genus, item ſtatum medicinalem, morbos epidemicos inde ab a. 1312. vſque ad 1779. et epizooticos, tabulas mortalitatis, vt vocant, ab

an.

an. 1772. vſque ad 1782. ſcire auet, huc adſit, et haud contemnenda ſcituque iucunda inueniet.

III. *Sectiones cadauerum.* 1. *Hiſtoria morbi et ſectio feminae maniacae.* Prae ceteris erant ſinus frontis praegrandes, ſpeciatim dexter plenus multo pure recenti, craſſo, albido, et odoris experte, oſſa integra, arteriae ac venae ſanguine nigro praeditae, dura mater ex parte indurata ibique ſubſtantia cinereitia ac medullaris purulenta, in anterioribus ventriculis aqua copioſa, ceterae vero partes intemeratae. Hinc memoratu digna putat Cl. METZGER, purulentum cerebri ſtatum, abſceſſum ſinus dextri frontis et apoplexiam, quam hic iterum contra Cl. SELLIVM defendit more ſolito. p. 191. 2. *Deſcriptio binorum monſtrorum.* Primum monſtrum referebat caput et pectus naturaliter conformatum, praeter digitos valde rigidos et incuruos, tibiam pedis ſiniſtri retro pedem vero extrorſum flexum, vertebras lumborum antrorſum eminentes, in regione hac foueam profundam, vnde apertura quaedam ad colon ducebat, abdomen praetumidum, funiculum nullum, colon nimis expanſum, hepar magnum, meſenterium hydatidibus repletum, anus et genitalia deerant; alterum vero erat puella, cuius cor et viſcera extrorſum propenderent, ceteris integris. p. 206. 3. *Vterus deficiens.* Eſt deſcriptio, quam Cl. ENGEL in diſputatione quadam extemporanea dederat. Femina, ceteroquin pulcra, habebat vulvam membrana tendinea clauſam, nuſpiam extabat vterus et vagina, tubae et ouaria, nec non ligamenta lata et rotunda aderant. p. 219.

IV. *Supplementa ad volumen I.* Pertinent ad euolutionem et niſum formandi, quam ceteris praefert Cl. METZGER; ad ſynchondrotomen, qua docet, eandem feminam, poſthaec ingrauidatam, gemellos peperiſſe, (hic iterum in laudes operationis huius p. 225. p. 229.

ius excurrit) ad violae tricoloris vſum, qua con-
p. 237. firmatur Cl. STRACKII effatum.
p. 241. V. *Therapia*. Continet orationem non ſpernendam de vi agendi medicamentorum.

XVI.

Journal de médecine, chirurgie, pharmacie &c. 1779. Tom. LI. à Paris, 8. p. 576. et Tom. LII. ib. eod. 576.

h. e.

Diarium ad medicinam, chirurgiam, pharmaciam etc. pertinens. Tom. LI. et LII.

Menſis ianuarius.

p. 13. 1. HORNII *obſeruationes varias methodos concernentes mercurium ſubminiſtrandi in morbis venereis*. Ex chemicis principiis et obſeruationibus practicis hunc libellum compoſitum eſſe, quilibet intelliget, qui ipſum inſpicere atque perluſtrare cupit; nos quidem ex vernacula verſione *), quae nuper prodiit, eius vtilitatem praeſtantiamque
p. 17. ſatis ſuperque cognouimus. In quatuor autem, iuxta medelae morborum diuerſitatem, diſpeſcuit ſuum librum partes, quarum 1) obſeruationes morborum continet, quibus vna methodus ſalutaris fuit, 2) hiſtorias morborum, in quibus duae ſunt adhibitae, 3) hiſtorias morborum, quibus diuerſae methodi adhibitae ſunt, et 4) hiſtorias morborum, vix ac ne vix quidem curandorum; atque ſigillatim de vnaquaque ſic egit, vt ex obſeruationibus morbique hiſtoriis veritatem

*) Prodiit Lipſiae 1782. 8. ſub titulo: *Herrn von* HORNE *Abhandlung von den verſchiedenen Methoden das Queckſilber in den veneriſchen Krankheiten zu gebrauchen, durch Beobachtungen beſtätiget und auf Befehl der Regierung herausgegeben.*

ritatem ſuae ſententiae conciliare ſtuderet. Iam duae priores ſub examen vocatae ſunt partes Cap. I. propoſuit obſeruationes de morbo venereo, ſola frictione mercuriali ſanato, cuius quidem methodi commoda et incommoda, inſufficientiam in quibuſdam caſibus, et praeparationem aegrorum optime declarat. C. II. obſeruationes de applicandis emplaſtris mercurialibus continentur, cuius methodi antiquitas aſſeritur. C. III. fumigationes ſiſtit, eiuſque commoda recenſet in quatuor adiectis obſeruationibus lectu digniſſimis. C. IV. de mercurio ſublimato corroſiuo, eius vtilitate ac noxis, et circumſpecto vſu agit, ſimulque ad obiectiones Cl. PIBRACII reſpondetur. Palmam inprimis concedit ſolutioni mercurii ſublimati in aqua fontana, miramur tamen, eum nihil de pilulis ex mercurio ſublimato confectis dixiſſe. C. V. inſunt obſeruationes de morbo venereo, ope clyſmatum antiuenereorum ſublato, quam methodum ceu recentiorem maximeque ingenioſam laudat. C. VI. de balneo antiuenereo Cl. BAVMII agit. C. VII. proponit obſeruationes morborum, inſolubili mercurio ſublatorum. Inprimis KEYSERI *) pilulas ſub examen vocat, earumque effectus noxios et encomia thraſonica, ab ipſo illis tributa, examinat. P. II. C. I. Commemorat morbos venereos frictionibus mercurialibus ſudorificis iunctis ſublatos. C. II. frictionum mercurialium cum fumigationibus coniungendarum docet neceſſitatem. C. III. coniungendum eſſe mercurium ſublimatum cum frictionibus, et C. IV. et cum frictionibus in vſum vocanda eſſe clyſmata antiuenerea probat.

Partis I. p. 19.
p. 21.
p. 22.
p. 25.
p. 30.
p. 35.
p. 36.
p. 38.
p. 41.
p. 42.
p. 44.

2. Cl. CAPMAS *reſpondet ad ea, quae contra inoculationem variolarum ex ſuppoſita progreſſione in numero mortuorum dici ſoleant.* Ex obſeruatis recentioribus

p. 47.

*) Eas iam fuſius PENOT *in theatro chemico* deſcripſit.

tioribus demonſtrare annititur, hanc ipſam progreſſionem magis imminui, quam augeri: ideoque hanc quidem obiectionem vanam atque nullam eſſe.

p. 55. 3. NOELLII *obſeruatio de vaginali grauiditate.* Mulier ante grauiditatem iam hernia vaginali laborabat, in qua quidem fetus ſitus erat. Poſt partum, arte adiutum, infantis mortui, mulier altero die etiam moriebatur: atque ſectione vterum ſcirrhoſum atque durum, vaginam autem maxime extenſam atque gangraenoſam inuenit Cl. Auctor. Rara quidem eſt et fortaſſe in hoc genere vnica, ſimilem tamen quodammodo fere litteris conſignauit SENNERTVS *) et RVYSCHIVS **)

p. 63. 4) BONNEL DE LA BRAGERESSE, iun. *tractatum de carie femoris*, eandem multa cum attentione examinans, continuat et finit.

p. 76. 5) LUDOVICI CLAUDII BOURDELINI *vitae deſcriptio*, ex qua haec notemus: Natus erat Lutetiae Pariſiorum d. 18 octobr. 1696, Doctoris medicinae gradum anno 1718 acceperat; 1725 academiae ſcientiarum membrum factus, et claſſi chymicae adſcriptus eſt. Commentariis academicis inſerti ſunt tractatus de ſalibus alcalibus, ex cineribus extractis; de ſale volatili ſuccini, in quo probatur illud acidum eſſe. Alios duos tractatus iisdem commentariis inſeruit de ſale ſedatiuo, quorum vltimus anno 1755 editus eſt. An. 1736 BOURDELINVS electus fuit decanus facultatis medicae pariſienſis, quae quidem prouincia eſt magni momenti. Hanc ita geſſit, vt laudibus omnibus etiamnum nomen eius celebretur. An. 1743 profeſſor chemiae factus eſt; 1761 nominatus eſt medicus primarius principiſſarum. Denique

1777

*) L. IV. med. pract. ſect. 2.
**) Aduerſ. anat. med. chir. ſect. 2. p. 23.

1777 die XIII ſept. aetatis 81 annorum, mortuus eſt; relinquens nomen virtutibus humanitatis, et benevolentiae, quibus aequales atque pauperes ſuſtentauit, celebre.

Menſis februarius.

1. Cl. HORNII *obſeruationes, varias methodos etc.* p. 98. quarum ſummaria epitome ſupra tradi coeperat, hic continuantur. C. V. traduntur nouem animadverſiones de ſuffimigiis ex mercurio ſublimato corroſiuo inſtitutis. C. VI. continet ſuffimigia cum p. 102. clyſmatibus antiuenereis compoſita. C. VII. illuſtrat p. 106. vſum mercurii ſublimati cum ſudorificis. C. VIII. p. 107. praeparationes mercurii inſolubiles cum ſolutione mercurii ſublimati examinat. C. IX. tradit, qua p. 108. ratione ſolutiones mercurii ſublimati cum clyſmatibus antiuenereis iunctae, et C. X. quomodo clyſ p. 109. mata antiuenerea cum praeparationibus mercurii inſolubilis agant. P. III. continet obſeruationes p. 110. de pluribus aliis methodis curatorum morborum venereorum. P. IV. denique morbos incurabiles p. 119. factos funeſtoſque commemorat.

2. *Obſeruationes* NOELLII, *de quadam cariei oſſium ſpecie.* Recenſitis quinque illis ſpeciebus cariei oſſium, quae apud alios auctores iam occurrunt, ſextam eamque penitus recentiorem obſeruationibus illuſtratam addit, quibus docetur, caries pro- p. 139. funde ſerpentes formaſſe quaſi quandam colliquationem oſſis, proxime illi accedentem, quae in machina Papiniana deprehenditur, eandemque eſſe ſine vllo acido et acri materia. p. 131.

3) *Obſeruatio* Cl. SUMEIRE *de quadam anomala ſpecie febris intermittentis.* p. 140.

4) Cl. GENTIL *experimenta electrica cum pilis cuniculi et felis.*

5. Cl. COUSSINET *ſuper libello* DESBRETI *de aquis mineralibus et medicatis Chateldonianis.* Nimiam p. 150.

virtutem, quam nullus medicorum hactenus his deprehenderit in aquis, a DESBRETO ipsis tribui argumentis, non adeo incongruis, comprobare nititur Cl. Auctor.

p. 173. 6. *Consultatio de febribus miliaribus ad* Cl. BOUTEILLE *missa.* Illa febris, ex lue epidemica Lursensi orta, in eruptione per curandi rationem admodum audacem retardata erat, atque variis con-
p. 175. comitabatur symptomatibus vsque ad sextum annum, ita vt formam febris hecticae nanciscereturcum praecordiorum anxietate et defatigatione, matutino aeque, ac vespertino tempore. Tranquilliore autem facto statu animi et corporis, paruae rubrae erupere maculae, quae per tres dies in su-
p. 177. perficie corporis conspectae euanuerunt, et serositatem limpidam ad instar pustularum miliarium
p. 179. continentes suoque tempore rediere. Quaeritur iam qualis sit huius morbi indoles, quaenam causa, et qua methodo eidem medendum?

Mensis martius.

p. 225. 2. NOELLII *obseruationes de magno ossium incremento in duobus adultis,* cuius prioris ossa in toto corpore ita intra quatuor annos increuerunt, vt simul musculosae partes caperent incrementa, posterioris autem ab infantia adeo celere incrementum ceperunt, vt in iuuentute iam ad septem pedes adscendissetvigesimo autem anno mortuus est.

p. 235. 3. BARBVTI *obseruationes de effectibus fungorum.* Quidam vesperi fungos comedens noctu se inquietum sensit et affectum cardialgia cum tremore omnium artuum corporis et tanta anxietate, vt de eius vita periclitaretur. Incassum oruietanum et vomitoria ex aqua salsa fuere adhibita. Itaque accersitus Cl. BARBVT, ipsi duas vncias vini emetici

emetici ſuggeſſit, quo aſſumto, vomitio vehemens et plures euacuationes aluinae copioſae ſubſecutae ſunt, quibus ſeſe ſenſit leuatum aeger, atque cum colica remaneret, illa clyſteris ope ſublata eſt. Eiuſdem tenoris eſt

4. *Epiſtola* Cl. COTTE *de venenata virtute fungorum malignae indolis.* Hiſtoriis funeſtis commemoratis, editores huius diarii obſeruationes PAVLETI et PARMENTIERI addunt, quibus declaratur 1) extare quaedam remedia, quibus venenoſa qualitas fungorum quorundam poſſit corrigi, ea tamen remedia non ſufficere, ſi venenata qualitas iam peruenerit ad ſtomachum; 2) remedia alcalina fixa et volatilia exulare debere penitus, cum tormina augeant mortemque accelerent, 3) aetherem vitriolicum omnibus remediis eſſe praeferendum. p. 241. p. 247.

5. *Conſultatio plurium medicorum facultatis Pariſinae ad* BOUTEILLVM. Concernit illa febrem miliarem epidemicam, de qua ſupra. Methodus autem haec eſt, vt adhibeantur apta remedia vſque ad finem morbi, quibus videlicet vires ſuſtineantur, eruptio adiuuetur, et facilitetur, denique vt omnibus praeternaturalibus motibus, qui oeconomiam turbent animalem, via praecludatur, quod quidem fit analeptica diaeta, correctione ſanguinis et humorum, et facili materiae morboſae per poros cutaneos expulſione, vt hac ratione fiat criſis. Praeſeruationis autem gratia, ante omnia perſpiratio cutis procuranda, materia peccans euacuanda, et alterantibus remediis naturae eſt ſuccurrendum. p. 249. p. 251. p. 255.

6. Cl. BOUTEILLE *commentatio de febre miliari.* Duabus partibus abſoluit ſuum libellum, quarum altera febris miliaris naturam et ſymptomata, altera autem practicas concluſiones ex obſeruationibus peculiaribus hauſtas complectitur. Vnde miliarem febrem diuiſit in intermittentem, putridam, p. 259. p. 261.

Forcalquieram ab vrbe huius nominis, ſimplicem, anomalam, cet.

Menſis aprilis.

p. 308. 2. Cl. DUSSEAUX *de tympanite abdominali ex frigore orto.* Virgo ſedecim annorum ſanguinei temperamenti hiemali tempore veſperi in camera non calefacta commorata, ſubito ſenſit menſium reditum, cum colica quadam violenta, quam mater eius per ſpiritum frumenti, theriacam ac vinum calidum leuare atque abigere ſtuduit, ſed ſpe ſua fruſtrata, viginti quatuor horis praeterlapſis, abdominis intumeſcentiam ingentem vidit. Igitur conſuluit Cl^um^ BRIEUDE, qui quidem abdominis punctione magnam copiam aeris eliciendam eſſe ſuaſit, quam operationem DUSSEAUX ſuſcepit, ſed cum redirent ſymptomata, et altera punctio recuſaretur, virgo extincta eſt.

p. 315. 3. Comitis DE PREVAL, M. D. *obſeruatio de inflammatione et ſuppuratione cutanea.* Vir quidem ſexagenarius ebrietati deditus, inflammatione et ſuppuratione cutis, vndequaque phlyctaenis con-
p. 319. ſperſae laborans opera Cl^i^ DE PREVAL, per venaeſectionem, ptiſanam ex ſcorzonera, liquiritia et gramine, pulueribus ex lapidibus cancrorum et nitro, euacuationibus ex manna, nitro et tamarindis, quinque ſeptimanarum ſpatio reſtitutus eſt.

p. 321. 4. *Obſeruatio de egregio vſu ex applicatis ficubus Indicis* (Cactus opuntia) *in tumoribus inflammatoriis podagricis*, Auctore Cl^o^ PAVLLE. Auctor in itinere cum principe de Monaco inſtituto, hunc ipſum doloribus inteſtinorum cum diarrhoea, quae in dyſenteriam demum tranſiit, correptum vidit. Omnia huic morbo conuenientiſſima remedia in ſubſidium ſunt vocata, verum adhibito altero pediluuio dolores pedum exacerbati podagrae acceſſum declarunt,

rarunt, qui tamen impoſitis foliis opuntiae mitigati atque proſcripti ſunt penitus.

5. *Epiſtola* Cl^i BALME *de variolarum inoculatione*, in qua de felici eiusdem ſucceſſu in puella, quae ſibi ipſi abſque arte atque praeceptis medicis variolas inſereret, refertur. p. 327.

6. *Animaduerſiones peculiares* NOELLII *de morbis venereis, naturam epidemicam inducentibus.* Cauſam horum morborum Auctor potiſſimum ponit in tempeſtatum aëriſque viciſſitudinibus frigidis et calidis, ſiccis et humidis, quippe quae multas febres malignas, putridasque producant, ideoque et morbo venereo generando occaſionem praebeant. p. 333. p. 327.

7. 8. *Continuatio conſultationum commentationis* Cl^i BOUTEILLE *de febribus miliaribus.* Agit hic Auctor de anginoſa febri miliari atque demum ſubnectit pathologicas et therapeuticas regulas, primoque eſſentialem febrem miliarem examini ſubiicit. p. 351. p. 358. p. 362.

Menſis maius.

2. Cl. BOUTEILLE *commentationem de febribus miliaribus* continuat et finit. Tractat Noſter miliarem ſymptomaticam, mixtam, chronicam atque, qualis methodus iisdem ſit adhibenda, proponit. p. 403.

3. *Diſſertatio, qua locus Ciceronis explicatur ad rem medicam pertinens, qua occaſione ſimul aduerſus* Cl^os BERNIER, CLERICVM, ELOY *et* MATTHIAM *probatur,* LYSONEM *non fuiſſe medicum.* Locus eſt in Epiſt. ad Famil. L. XVI. in quo ſymphoniam LYSONIS belle ex GALENO explicat, qui *συμφώνου τῷ Πεοξένου confectionis Proxeni* meminit. Vis autem argumenti, LYSONEM non fuiſſe medicum, ex verbis elicitur: *Videbis quid Curio, quid Lyſoni, quid medico placeat?* p. 421. p. 446.

4. MICH. CHEVREUL *de organiſatione monſtroſa partium genitalium et peculiari quodam morbo puellae* Douenſis in Andegauo. p. 447.

p. 460. 5) *Obſeruatio* COLINI *de ſalamandra aquatica deglutita*, quae in corpore puellae, a qua deglutita fuit, per duos dies et dimidium vixit, poſtea autem per anum viua eſt reddita.

Menſis iunius.

p. 498. 2. Cl. PARMENTIER *rationem docet conficiendi panis ex ſolano tuberoſo abſque farina.*

p. 507. 3. *Obſeruatio* GILBERTI *de catarrho veſicae.* LIEUTAUD hoc nomen ipſi indidit atque ſemel tantum eum obſeruauit, LINNEO dicitur *glus veſicae*, et HOFFMANNVS deſcripſit eundem ſub nomine *rari veſicae morbi.*

p. 511. 4. BAION *de humorum metaſtaſi ad vterum cum grauiditate.* Femina triginta et trium annorum febre correpta noctes egit inſomnes, colicos ſenſit dolores, et motus conuulſiuos cum ſenſuum abolitione. Colica autem flatibus emiſſis ceſſauit. Initia morbus cepit ſtatim poſt quartum puerperium, quo propter abſceſſum in mammis nutriendo lactandoque infanti mater impar fuerat. Cl. BAION inde augurabatur materiam peccantem propter conſenſum vteri cum mammis in eundem delatam eſſe. Remediis plurimis incaſſum adhibitis, facta venaeſectione, febreque ſuccedente, magna puris copia ex vulua profluebat, vt abortum contigiſſe crederet mulier. Quo facto, ita mederi curauit illi feminae, vt ptiſanam leniter aperientem praeſcriberet atque iniectiones ex hordeo decocto et radice chinae faceret, iisque ſaſſaparillae radicem, mel aliaque adderet, quibus continuatis pus eductum eſt magna copia, femina conualuit atque feliciter peperit.

p. 524. 5. GRATELOUP *de phthiſi tuberculoſa.* Lac aſininum, in vſum vocatum mirifice profuit. Ophthalmia autem, quae inde orta erat, diſcuſſa eſt per ſangui-

ſanguiſugas, ita, vt ad nares materia progrederetur, ſed vnguentum populneum cum ſale ſaturni, extractum cicutae, ſolutio mercurii ſublimati corroſiui hoc malum abegerunt et febris lenta vſu corticis peruuiani et pilularum ex antimonio diaphoretico, tartaro chalybeato, ſapone albo; et rheo puluerato ceſſauit.

6. *Obſeruatio de morte improuiſa ex nucleo mali perſici deglutito*, auctore Cl° VIRARD. p. 534.

7. Cl^i BERTHOLETTI *epiſtola de acido animali.* p. 537.

8. Cl^i MARTIN *obſeruatio de aſphyxia*, quam inſufflatione, methodo a Cl° GAULTIER DE CLAUBRY nuper *) deſcripta ſuſtulit. Huic addit Cl. PEBORDE, frictiones plantarum pedis ibidem vtilem eſſe. His ſubiungit Cl. FILLEAU ſe in eadem aſphyxia cauterio actuali feliciter vſum eſſe. p. 545. p. 547.

Menſis iulius.

1. *De globulis* KEYSERI *et rob* DE L'AFFECTEUR. Quae quidem examini accuratiori ſubiecta veroſimiliter nihil, niſi mercurialia, eſſe probantur. T. LII. p. 1.

2. *De noua methodo calculum extrahendi ex vesica vrinaria ſupra pubem*, quae quidem a Cl° COSME adhibita, et in Eiusdem libro expoſita eſt, cuius hic traditur epitome de hac materia. Duabus iſte partibus conſtat, quarum prior ſiſtit extractionem calculi per apparatum magnum vna cum deſcriptione neceſſariorum inſtrumentorum; in poſteriore autem parte diſquiritur relatio contra lithotomum reconditum, inſerta commentariis Academiae regiae chirurgorum Pariſinae, ſimulque ad obiectiones reſpondetur. p. 35. p. 36.

3. Cl. NAUDOT *de principiis ſalinis aquarum mineralium Prouinciae.* Quas quidem aquas LIEUTAUD comparauit cum aquis Forgenſibus propter vitrio- p. 51.

*) v. comm. noſtr. Vol. XXV. P. I. p. 11.

vitriolicas, ferruginoſas aereaſque particulas, ſed Cl. OPOIX *) plura in illis contineri aſſeruit, et quidem aliquid de alumine plumoſo, et ſale mirabili Glauberi; hanc virtutem autem ipſis conciliarunt pyritae vitriolici et ferruginoſi, qui in ſtrato argillaceo copioſe continentur, per quod iſtae fluunt atque eiuſmodi ſe impraegnant particulis. His ſubiiciuntur plura, quae ad naturam harum aquarum declarandam earumque vſum legitimum pertinent.

p. 60. 4. Cl. DESGRANGES *diſquiſitiones ecchymoſium in pectore et ſignorum incertorum, quae in eiuſmodi morbis pro ſignis pathognomonicis venditantur.* Periculoſas et vt plurimum lethales eſſe tales ecchymoſes Noſter aſſerit et ratione organorum in thoracis cauitate contentorum, et ratione laeſionis functionum eſſentialium, ſimulque declarat differentiam, quae huic cum ecchymoſibus in aliis cor-
p. 71. poris intercedat partibus. A Cl°. VALENTINI **) ſigna ſuppeditata examinat, et communia ſigna apud auctores reperta atque per experientiam com-
p. 81. probata, quae videlicet declarant adeſſe eiuſmodi ecchymoſin, vberius exponit.

Menſis auguſtus.

p. 111. 2. Cl. DESGRANGE *diſquiſitiones continuat ecchymoſium in pectore cet.* quinque obſeruationes recenſet, quae quidem ſatis graues, non tamen nouae ſunt.

3. CAROLI PHIL. ROUDIER *de ingenti tumore*
p. 125. *hypogaſtrii.* Tumore diſcuſſo, vulnus factum eſt, ex quo vermis vnius pedis longus et ſecundum proportionem craſſus exiit, quo facto, aeger, legitima curandi

*) in l'analyſe des eaux minerales de Provens, edita Pariſiis. cf. etiam Journal de Rozier menſ. aug. 1777.
**) in recherches critiques ſur la chirurgie moderne p. 76.

curandi ratione adhibita, priſtinam recuperauit ſanitatem.

4. ROCANVS *de bubonocele per operationem ſanata.* p. 127.

6. *De damnis Narbonnae d.* 16. *april.* 1779. ob- p. 149.
ortis refertur, atque mortes ſubitaneae a mephiticis exhalationibus deriuantur.

Menſis ſeptember.

2. Cl^i GOULIN *de noua editione graeca et latina* p. 207.
aphoriſmorum HIPPOCRATIS *adornanda:* multa, quae ſpectant ad hiſtoriam litterariam aphoriſmorum, magno cum ſtudio ſunt a Cl. Auctore collecta.

3. Cl^i BONNARD *obſeruatio de vſu venaeſectio-* p. 238.
nis in reſtituenda vita ſuſpenſis. Polemica eſt atque aduerſus Cl^um BOULLON directa.

4. *Relatio de damnis Narbonnae enatis finitur.* p. 244.

Menſis october.

3. *Obſeruationes ſuper doloribus pleuriticis a ver-* p. 331.
mibus oriundis, et de virtute corallinae, in eiuſmodi aliisque morbis. Duas hiſtorias commemorauit auctor, atque affirmauit egregios corallinae ſpeciem, quae, a vi contra vermes, *helminthochordon* appelletur, praeſtare vſus in vermibus necandis etomnibus ſymptomatibus inde prouenientibus penitus tollendis. In infuſo aeque ac decocto exhibetur ita, p. 333.
vt ad drachmam vna vncia aquae ſufficiat, in prima infantia datur drachma dimidia, in paullo proiectiore duae, in adultiori tres vel quatuor.

4. Cl^i CROHARE' *commentatio, quomodo paran-* p. 337.
dus ſit aethiops martialis ope acidi nitroſi. Modus hic eſt: limaturae martis bene lotae, quantum pla- p. 338.
cet, in ſcaphio terreo cum aqua deſtillata ita humectatur, vt haec aliquot lineas ſuper illam eleuata ſit; illud autem ſcaphium fornaci calefacto tamdiu imponitur, donec intenſe caleat vas: tunc por-

tio aquae fortis cum aequali parte deſtillatae aquae verſando inditur, qua fit efferueſcentia materiesque mirum eleuatur in modum et ſpumam nigram copioſamque efficit; quo facto, omnia ſpatula ferrea indeſinenter ſunt agitanda. Tunc vero ſenſim aqua fortis impraegnata atque debilior reddita immittitur, donec materies ſicca fiat, quae humectanda eſt aqua calida. Si deinde aethiops eſt ſeparandus, dilui debet cum ſufficiente quantitate aquae.

p. 349. 5. Cl. LATOUR *obſeruatio ſuper quadam catalepſi.* Hiſtoria morbi narrata, cauſas potiſſimum praediſponentes binas producit, ſcilicet quod aegra igni officinae lateritiae expoſita fuerit, qui effectus, auctore LORRY *), inde oritur, ſiquidem omnibus neruorum morbis praecipue patent, qui aridiora loca ſimul et aeſtuoſa incolunt, deinde ex WHYTTI **) ſententia ad cauſas pertinent febres, quae pluribus vicibus breui redeunt tempore.

Menſis nouember.

p. 436. 3. DE LA PLANCHE *analyſis aquae hepatico martialis, in regione quadam vicina Bourſault in Campania ſcaturientis*, quam vſibus medicis aptam cenſet.

p. 445. 4. Cl DESFARGES *operatio cataractae a natiuitate.* Methodus GARANGEOTI per extractionem eſt adhibita.

p. 447. 5. Cl BARRAL *obſeruatio de morbo puellae ex magna copia nucleorum ceraſorum deglutitorum et in inteſtinis contentorum.* Colicae frequentiores, diarrhoea quaedam habitualis interdum cum vomitionibus illam excruciabant, verum diaeta leniori et humectante, clyſteribus emollientibus et oleo olivarum priſtinam recuperauit valetudinem.

p. 451. 6. Cl SUMEIRE *obſeruatio de incertitudine ſignorum*

*) Tract. de melanch. T. II. p. 47.
**) Maladies nerveuſes T. I. p. 158.

rum diagnoſticorum cum ſuppuratione coniunctorum in pectore praegreſſa pleuritide.

7. Cl. GUILLEMAIN *de fractura cranii, qua ſimul pars cerebri exiit ex aure.* Mortuo aegro fractura in ſquamoſa oſſis temporum et petroſa parte, et dura menynx dilacerata reperiebatur. p. 454.

Menſis december.

3. Cl. BAUDAMANT *de capillis repertis in ventriculo et inteſtinis tenuibus.* Puer quidam appetitu extraordinario ferebatur in deglutitionem capillorum, et quamquam parentes hanc prauam conſuetudinem omnibus modis impedire ſtuderent, tamen appetitui ſuo vel noctu ſatisfacere ſtuduit, et nihilo ſecius ad decimum vſque annum ſecunda valetudine ipſi licuit frui. Sed ab eo tempore inordinatus ille appetitus paululum deſiit, et puer de doloribus ventriculi multum conqueri cepit, tum externus tumor in conſpectum venit, febris lenta, dolores ventriculi vehementiores, colicae inſignes cum vomitionibus materiae viſcoſae, craſſae et bilioſae cum inſomniis cruciarunt aegrum. His tamen non obſtantibus iuuenis corpus increuit ad conſuetam magnitudinem, ſed decimo ſexto anno incidit in profundam melancholiam cum ploratu, vomitiones factae ſunt vehementiores, difficiliores-que, materia eiecta maiorem viſcoſitatem nacta, coloreque fortiori tincta grauem ſparſit odorem, et tandem obiit. Aperto cadauere capilli reperti ſunt in ventriculo, pyloro, duodeno et ieiuno et nuclei ceraſorum ſedem in illis capillis fixam occupauerant. Cl. Auctor horum capillorum imaginem addidit. p. 507.

4. HENR. AUD. DE CHAIGNEBRUN *de ſingulari quodam tumore, reſpectu originis, figurae, magnitudinis, longitudinis ac grauitatis.* Vir quadraginta p. 515.

et

et octo annorum tumore colli affectus illum ſuſpenſorio eleuare debebat, figura eius cucurbitam repraeſentabat, petiolo autem parti laterali dextrae colli adhaerebat ab apophyſi maſtoidea vſque ad clauiculam, grauitas autem ſedecim libras aequabat. Clyſteribus, ſanguinis miſſione, purgationibus praeparatus aeger per ligaturam tandem a tumore liberatus eſt.

p. 518. 5. Cl. DE LA ROCHE *de vſu interno florum zinci*, quorum vſum antiſpaſmodicum, in conuulſionibus infantum, in conuulſionibus et irregularibus motibus hyſtericarum Noſter commendat et decem obſeruationibus firmat.

p. 540. 4. *Obſeruatio de amputatione tibiae, in qua ligatura nulla adhibita eſt.*

XVII.

Icones plantarum et analyſes partium, aeri inciſae atque viuis coloribus inſignitae, adiectis indicibus nominum neceſſariis, figurarum explicationibus et breuibus animaduerſionibus, quas compoſuit D. CASIMIRVS CHRISTOPHORVS SCHMIDEL. Editio IIda, curante et edente *Valentino Biſchoff*, Manipulus I. Norimb. typis Felſeckerianis, 1782. plag. 24. tab. aen. 25. fol.

Ponas deſcriptionem plantae alicuius, quoad fieri poteſt, exactam et perſpicuam; carebit tamen claritate illa, quam icon fideliter naturae ad ductum compoſita, affert, atque in animo lectoris excitat. Fieri interea poteſt, vt planta quaedam alteri, quoad externum habitum, conueniat adeo, vt pro eadem habeatur, quamquam quibusdam polleat partibus, vnde ſyſtematis cuiusdam vigore, niſi

niſi genere diſtent ambae a ſe inuicem, tamen ſpecie ſaltem eiusdem generis diſcrepent. Hinc ſi iconiſmo tali adiecta quoque fuerit diſquiſitio minutularum eſſentialium partium exacta, exarataque deinceps cuncta iſta ſint calamo vere ſcientifico; habebis demum opus omnibus numeris hoc reſpectu abſolutum. Atque his ſane dotibus inſtructum eſt pretioſum hoc Ill. SCHMIDELII opus, et adeo quidem, vt palmam omnibus ſibi congeneribus facile praeripere videatur. Vt taceamus laborioſe erutam definitionem ſynonymorum numeroſorum varietatumque, praecellit in eo vel maxime, quod contineat inter alia etiam perquam ſtudioſam diſquiſitionem, obſeruationem et iconiſmum illarum plantarum cum ſuis partibus temporariis, quae iis, qui ſexum in regno vegetabili reiiciunt et inde petiti Linnaeani ſyſtematis aduerſarii ſunt, anſam inprimis dedere, eadem reprobandi et cauillandi. Sunt nimirum iſtae cryptogamicae inde non plane immerito ita dictae, quod nuptias ſuas omnino nudis imo vel aliquantum armatis oculis ſubtrahant. MICHELIVM ſi excipias, nullus botanicorum abinde auſus eſt tenebras iſtas ita adire, quam quidem Ill. Auctor noſter; interea autem neque vllus ante eundem fuit, qui hoc paſſu lumini veritatis adeo ſeſe appropinquaret; vt e ſequentibus patebit.

Prodierat iam tum ſectio prior huius operis an. 1747. curante chalcographo KNORR, tabulis IX adornata. Cum vero iſte tabula decima inciſa morti ſuccumberet; vices eius ſupplere ſuſcipiebat I. C. KELLER pictor et chalcographus Norimbergenſis, ſicue demum hanc ſectionem quatuor tabulis ditatam publico tradebat qui poſtmodum idem negotium in V. BISCHOFF, artificem non minus peritum, detulit. Colores interea harum tabularum viuidiores ſunt: nonnunqaum autem etiam hunc modulum

dulum excedunt, ſeu virore vltra naturam in luteum inclinant. Qui e. g. *Mnium pellucens* tab. III. cum ipſa plantula conferre voluerit, hoc clare perſpiciet.

p. 12. Monendum tamen eſſe videtur, quod oculis Ill. Auctoris perquam acutiſſimis tamen vna alteraque notatu digna circumſtantia in hoc muſco ſeſe ſubtraxerit. Ill. HALLERVS omnino recte viderat, cyatophorarum plantularum corpuſcula figuram habere triangularem. Procul dubio autem et iſte praecellens naturae ſcrutator plantulam vel iuſto ſerius adiit, vel examinauit inſtrumentis inferioris notae, ideo, quod et eundem ſubterfugerent corpuſculorum horum pedunculi, quibus cum plantula cohaerent, nec non contenta intro maſſa granuloſa et interpoſita iisdem filamenta ſucculenta perquam breuia. Abſoluto eorum negotio euaneſcunt filamenta ſucculenta, atque corpuſculorum augmenta antea in ſingulares formas abeunt, quam cyathos deſerunt. Id vero, quod nonnulli Cll. Viri crediderunt, plantulas abinde, ceu partus viuos pullulare, nobis nec vnquam obuenit; nihil enim aliud ſunt, quam alterum genus maſculorum organorum, ſingularis huius muſci. Alterum vero illis plantulis ineſt, quarum, vt nobis videtur, no. IX. mentionem fecit Cl. Auctor. Atque iſtae plantulae femineis ſimillimae ſunt. Viderat harum perichaetium in ſuo gremio continere corpuſcula cylindrica, bina ternaque. Ex his formantur flores maſculi totidem capituliformes, pedicellis ſquamoſis ſuſtenti, eleuatique extra perichaetium rubello ſaepius colore extus ſuperbientes. Intra ſquamas concauas perianthii continentur antherae cylindricae filaque ſucculenta, haud ſecus atque in plantulis *Mniorum* LINN. ſtellatis.

p. 15. Numero quinto Cl. Auctor perhibet, operculi cuſpidem cum calyptra non cohaerere atque conſtanter

ſtanter in quatuor partes diuidi. Sed concedat quaeſo hanc rem longe aliter nobis ſeſe demonſtraſſe. Illuſit certe exactior cohaeſio operculi cum calyptra ſagaciſſimum alioquin obſeruatorem. Niſi enim omnis iſte apparatus habitaculum ſeminum operiens bene fuerit madefactus, fructusque nondum plenariam maturitatem adeptus, calyptra conſtanter operculum ſecum ducit. Vidimus quidem operculum hoc, perquam tenerrimum, de baſi ſua in quatuor partes diuidi, at nunquam de ſuo cacumine; quod vix non penes omnes, vi ſtructurae, firmiſſimum exiſtit. Atque hinc forſitan eſt, quod DILLENIVS dixit: *in recenti planta corona pluribus ciliis dehiſcit* *). Vel hinc adparet; quanta cautione opus ſit in diſquirendis his minutulis plantulis.

. Clauaria, quam MICHELIVS definit: *turgida* p. 17.
obtuſa: et *oblonga puluinata* quartam quintamque tabulam occupat. In prima huius fungi aetate Auctor eius ſuperficiem veſiculis contectam, obſeruauit, diſparentibus, vbi puncta ſeminalia prodirent. Veſiculas illas organa fungi maſcula eſſe, et merito quidem, ſtatuit.

Veluti et primus eſſet, qui genuina iſta organa p. 38.
Marchantiae polymorphae detegeret publicaretque. Inſunt nimirum peltis pedicellatis. Pyriformes autem pingit Vir Ill. loculos maſculae virtutis. Id quod vero nobis in diſquiſitione non ita ſeſe probauit. Oblongam enim habebant formam, vtraque extremitate acuminata. Marginem cingebat pellucentior annulus, ad baſin vero, vbi cum thalamo cohaeſerat, aderat tuberculum quaſi carnoſum. Alteram ſpeciem, pedunculis radiatis, quae vere femella huius eſt ſocia, alio loco daturum pollicetur Auctor.

Cum

*) Hiſt. Muſc. p. 232.

Cum admodum rudis atque parum bene digeſta adhuc dum ſit ſcientia noſtra circa fungorum familiam, addere quaedam iis placet, quae Ill. Auctor
p. 42. de agarico ſuo *ouiformi*, tab. X. delineato, expoſuit. Solitarius gregariusque eſt iſte fungus; prout nimirum defluxa eius in atramentoſa amurca numeroſiſſima ſeminula, pluuiis aliisque cauſis accidentalibus ab inuicem dimouebantur, vel congeſta permanebant. Quod radix audit, conſtanter corpus eſt cuneiforme. Interior ſuperficies annuli, qui prima fungi aetate pilei marginem quoque cum ſtipite coniungit, innumerabilibus globulis candidiſſimis, intra tenuiſſimam filamentoſam ſtupam locatis, conſperſa eſt. Atque candidi iſti globuli, nequaquam vero proceſſus illi ſucculenti in margine lamellarum, vt MICHELIVS aliique voluere, maſcula huius plantae ſunt organa. Repugnant enim dicti proceſſus naturae maſculorum organorum inde, quod eodem in viuido ſtatu ad maturationem ſeminum vſque perſiſtant; id quod per omnem naturam in hoc organo occurrit. Interiorem in meditullio quaſi ſtipitis contentam ſtupam, pulcherrime, et quantum ſcimus, ſolus obſeruauit Noſter. Inferior eius pars tenerrimo acumine cum ſuperiori parte illius, quod radix audit, committitur. Vbi autem ad pileoli faſtigium accedit, adeo arcte cum iſto nectitur, vt continuo pars eius ſequatur dum pileolum integrum de ſtipite auellimus. Color atramenti, in quod tandem colliquat pileolus, praecipue de innumeris atris ſeminulis, dum maturitatem plenariam acquiſiuere, pendet. Sufficientem numerum huius fungi, in quauis aetate ac ſtatu, ſuperficiem terrae excedente, diſquiſiuimus, vnde pro certo affirmare queamus, non ſolum vtramque MICHELII definitionem, ſed SCHAEFFERI quoque ſpecies fungorum

circa

circa Ratiſbonam naſcentium Tom. I. tab. 8. 46 et 47. vnum eundemque eſſe fungum. Atque hac occaſione adnotare placet, perquam optime monuiſſe Cl. GLEDITSCHIVM *): fungos in fructificationis ſtadio conquirendos eſſe ab illo, qui eosdem rite cognoſcere atque diſtinguere cupit. Dum vero pileolus, aut aliter effigurata feminigera pars in conſpectum prodiit, dudum iam elapſum eſſe hoc ſtudium. Sciant enim Botanici et rerum naturalium curioſi; fungos adeo breuioris aeui vegetabilia non eſſe, ac ſummi quidam viri ſtatuere atque in vulgus creditur. *Agaricum fimetarium* LINN. vero diſtinctam ſpeciem ab hic tradito fungo eſſe, alia occaſione oſtenſurum pollicetur Auctor.

Retinuit etiam, vbi de Acroſticho *Thelypteride* LINN. exponit, nomen genericum RVPPII, *Thelypteris*. Crediderimus autem, hanc plantam maiori iure ad *Polypodia* ſpectare. Denticulis tegumenti cuticularis capſularum, impoſitos globulos luteos obſeruauit Auctor, quibus merito officium maſculum adiudicat. Iis vero in locis, vbi nos hanc ſpeciem legimus et diſquiſiuimus, ad omnes ſic dictas venas paginae inferioris pinnularum, perquam abundantes offendimus hos globulos maſculos. p. 45.

De reliquo hac in ſectione, pari induſtria diſquiſiti, expoſiti atque delineati inueniuntur: *Ribes*, *Rubus*, *Helleborus niger*, *Vitis vinifera* et *lacinioſa*, *Martynia annua*, quam Proboſcideam nuncupat, propterea, quod deſcriptum et perquam eleganter hic delineatum exemplar, cum habitu, foliis floribuſque, tum, et praecipue quidem calyce ab Ehretiano differret. Videndum an conſultum iudicent, qui ſtructuram vegetantium et originem partium recte norunt? p. 49.

Altera

*) praef. ad meth. Fung.

Altera huius manipuli ſectio prodiit 1781.
p. 53. Cuius Tab. XIV. pulcherrime repraeſentat *Charam* ſecundum Auctoris definitionem *inermem pellucidam* adiunctis fructificationis partibus naturali et aucta magnitudine. Ill. LINNAEVS in altera ſpecierum editione hoc genus plantarum cryptogamicis adnumerauerat: in duodecima autem Ed. Syſt. Nat. diſquiſitionem SCHREBERI in *Chara vulgari* ſecutus, ad Monoecias translocauit. Species ab Auctore deſcripta, productiones laterales ſeu folia, vt volunt, extremitatem verſus vtplurimum habet bifurca, cui diuiſurae perpetuo flores vel vtriusque, vel vnius tantummodo ſexus aſſident: neque aliter, quam his praeſentibus, geniculata exiſtunt. Globuli demum rubri maſcula organa ſiſtunt. Horum deſcriptio exacte quadrat illis *Charae vulgaris*, excepto annulo pellucente, qui hic deficit. Externa eorum ſuperficies inaequalis eſt. Contenta horum globulorum ſunt granula crocea, filis tenerrimis intertexta. In vulgari ſpecie ad augmenta maiora, ac quidem Ill. Auctor adhibuerat, ſitus granulorum ſeſe nobis manifeſtabat: aperto vero globuliformi folliculo, deprehendimus oualia receptacula, procul dubio maſculae virtutis.

Organon femineum, piſtillum 5fidum repraeſentat, quod demum in fructum abit, ſpiralibus lineis ornatum, nigricantem maturitate. Aperto ſuſpenſa manu exteriori hoc folliculo, nucleus laeuis inde excidit. Huius contenta ſunt granula alba, inaequalia ſphaericaque, variae magnitudinis. Liberum hinc Noſter relinquit, an iſta granula, an totum nucleum pro ſemine habere volueris. In *Charae vulgaris* nucleo autem, ſtriis ſpiralibus, etiamnum poſt exemtionem, notato, nobis ſeſe obtulerunt cum illis albis alia granula opaciora, multo

nume-

numeroſiora, atque minora; quae forſan huius plantulae vera ſunt ſemina.

Tab. XV ſiſtitur *Clauaria teres fiſtuloſa.* Huius fungi varias botanicorum denominationes Ill. Auctor, pro ſuo ſingulari ſcientifico more, exacte diſtinguit. Sane, penes nullam vegetantium familiam hoc reſpectu tantus labor, tantum opus eſt, ac fungos. Idque, ſi recte iudicamus, praecipue ideo, quod foecunda eorum iuuentus hactenus lateret botanicos confundereturque cum ſenio, vbi conceptum fructum maturant et matrix perit. In hoc fungo autem ille perfectionis ſtatus indefeſſum noſtrum ſcrutatorem ſubterfugere nequiuerat: quando quidem numero ſexto eius fructificationis partes exhiberet. Obſeruauerat eundem iuvencum adhuc veſiculis lacteis totum quantum conſperſum, quae ſubinde in citreum colorem vergebant et progreſſa vegetatione diſparebant. Qui cryptogamicarum plantarum fructificationis morem nouit, atque ſepoſitis praeconceptis opinionibus, exacte hic deſcriptas commutationes perpendit, facile perſpiciet; veſiculas iſtas vera huius fungi eſſe maſcula genitalia.

Sequitur deinde Tab. XVI. *Iua annua.* In prima et quarta editione Generum, et Hort. Cliff. LINNEVS hanc plantam, ſpeciesue cognatas nomine *Parthenii* complexerat: poſtmodum vero mutauit hoc conſilium, proprium genus *Iuae* condendo. LVDWIGIVS autem in *Defin. Gen. Ed.* altera eandem nihiloſecius *Parthenio* adnumerat. Inſtituta vero accuratiori diſquiſitione, Cl. Auctor hanc difficultatem ita definiuit; quod omnino propter floris feminei locum, huius petalum eiusque formam ab *Ambroſia* diſcrepet: a *Parthenio* autem, ſecundum LVDWIGII praecepta, propter florem femineum non nudum ſed petalo ornatum, et ſe- p. 59.

cundum LINNEI, e coniunctione florum vtriusque sexus, differat. LINNEVS flori femineo corollam denegauerat, vnde euenit, vt stylos duos numeraret. Noster autem tribus sibi succedentibus annis constanter eandem reperit atque stylum, corollae lymbo superato, in stigma bifidum diuisum. Praeterea quoque quam luculentissime demonstrat; flores masculos etiamnum suo pistillo instrui, hinc nequaquam meros masculos esse. Neque profecto extra omnem dubitationem posita est infoecunditas horum pistillorum, cum annotante accuratissimo oculatissimo nostro scrutatore, maturantibus illis femineorum florum adhuc sint superstites.

p. 63. Traditur Tab. XVII. Semperuiuum, quod LINNEVS in suis speciebus inter synonyma *Semperuiui hirti* enumerauit. Cum vero Linneana huius speciei definitio etiam *globuliferae* competere videatur, neque vllus recentiorum botanicorum hanc plantam suo in natali solo viderit; huius scientiae amatores omnino perquam sibi obstrinxit Noster et disquisitione stirpis curatiore et eius iconismo, quem omnium primus dedit. Species ista etiamnum non caret nectariis, generi *Sedi* solemnibus; quorum numerus, numerum pistillorum; iste vero petalorum sequitur. Stamina e contra duplicatum ab illis tenent. Plurimi florum hexapetali sunt; occurrunt autem et heptapetali: primarius tamen flos perpetuo est dodecapetalus:

p. 67. Dum Auctor suum Tab. XVIII. exhibitum *Teganium* disquireret et delinearet, obseruationesque super hanc plantam elaboraret, vtique parum adhuc his in terris cognita erat ista planta. Ipse LINNEVS in secunda Spec. edit. patriam eius indicare nequibat, vbi nomine *Nolanae prostratae* proposuit, et Filius, in suis Decuriis iconem, hac tamen multo inferio-

feriorem, dedit. Abhinc eadem iſta planta apud GOUANUM, EHRETIVM, in *Act. Helv.* etc. reperitur; at vbique alio nomine inſignita; procul dubio, quod quisque crederet ſe primum eius euulgatorem.

Sequitur *Anthoceros laeuis*, cuius quidem DILLENIVS primus inuentor; MICHELIVS autem accuratior deſcriptor conditorque huius nominis fuit. Ad cryptogamicarum numerum pertinet plantula; hinc inprimis fructificationis partibus attendendum videbatur. Id tamen debemus Bufonianis Neckerianisque cauillationibus in ſexum plantarum, quod illis partibus nunc penitior opera impendatur ac olim factum eſt. MICHELIVS iamtum praeter corniculatas, deinceps puluiſculo refertas excreſcentias, animaduerterat, ceu coronula circumductas areolas, quarum in gremio nonnulla luteola corpuſcula latitarent. Iſta, pro haud pridem adhuc conſueto more, feminea, illa maſcula eſſe contendit. Cum vero luteola haecce corpuſcula ante maturitatem corniculorum prodeant, pereantque absque omni continuata vegetatione; Ill. SCHMIDELIVS firmo hoc de fundamento concludit quam rectiſſime in plane contrariam ſententiam: nimirum cornicula femineis, et corpuſcula foveolarum, maſculinis organis accenſeri debere. Foveolae igitur cum ſuis proceſſulis vices calycis gerunt. Harum MICHELIVS, conſtanter ſe ſex animadvertiſſe, perhibet: Noſter vero quatuor, quinque, ſex, imo ſeptem numero vidit. Origo horum proceſſulorum vtique rupturae cuticulae circa fructificationis actum debetur. Nobis interea adeo producti regularesque non obuenere, ac quidem Auctor MICHELIVSque pingunt; ſed margo, foueolam ambiens, repraeſentabat cuticulam retro volutam, quae hinc inde tantillum eminebat. Idem exp. 71.

hibent vaginae corniculorum; quippe quae marginem modo aequalem, modo inaequalem, modo dentatum habent, veluti Noſter bene animaduertit. Vaginula interea neutiquam mera cuticulae eſt propago, ſed ipſius ſic dicti parenchymatis. Neque ſtylus hic deficit pro ſuſcipienda plaſtica virtute. Qui iſtum cum ſuo ſtigmate animaduertere volet, probe inchoantem intumeſcentiam corniculorum vt attendat, oportet. In huius cacumine ſic lente mediocriter augente animaduerſurus eſt cylindrum minutulum, truncatum fuſcum, de quo quaſi calyptrae in modum exporriguntur filamenta tenerrima, itidem fuſca. Stylus breui cadit; filamenta autem calyptram aemulantia, niſi tempeſtate deturbentur, remanent ad notabilem elongationem corniculi, punctati fuſci in eius cacumine infixi. Hinc eo magis confirmatur puluiſculi, in corniculis contenti, ſeminalis dignitas. Seminula iſta Ill. Auctori per lentem, quaſi granulis ſuperficie adſperſa videbantur, elaſticae vero his additae machinulae, quaſi e ſerie veſicularum compoſitae. Nobis vero ad augmentum, lineam pariſinam circiter 170 multiplicans, illa echinata, hae alius plane ſtructurae ac *Iungermanniarum Marchantiarum*que elateres, ſeſe exhibuere. Perquam enim variat harum machinularum figura, vix ſatis deſcribenda. Columnula, meditullium biualuis capſulae occupans, ſecundum Auctoris ſententiam, medullaris ſubſtantiae eſt propago. Et recte quidem, quatenus medullaris ſubſtantia contextum cellulo-ſum in medio vegetabilis partis denotat: ſed non vi illius praerogatiuae, quam citra omnem rationem, atque experientiam huic ſubſtantiae adiudicarunt rei vegetabilis doctores. Neque nos vnquam vidimus hanc columnulam, tantis ſeminulis obſitam, ac quidem MICHELIVS DILLENIVSque ſuis figu-

figuris repraeſentant. Valuis capſulae manifeſtiora certe inſunt vaſa, alibilem ſuccum aduehentia.

Inuito Auctore huic tabulae ſeſe immiſcuerat *Aſpergillus*, MICHELIO dictus. Noſter eundem cum Ill. GLEDITSCHIO, *Byſſis* adnumerat.

Tab. XXI *Vtricularia minor* pulchre delineata reperitur. Quo vero Auctor eſſentiale diſcrimen hanc inter atque *vulgaris* ſpeciem eo euidentius figeret, cum nonnulli botanicorum illam, huius varietatem eſſe contendant: analyſin florum vtriusque ſpeciei hic exhibuit. Calyx *Vtriculariae minoris* nonnunquam tertio quoque foliolo ditatus eſt: faux vero corollae aperta exiſtit, quam in ſpecie *vulgari* intumeſcentia quaedam claudit. LINNEVS pro ſigno diacritico carinam nectarii poſuit, quam vero Noſter nunquam offendit. Filamenta ſtaminum quoque aliquatenus ratione formae a ſe inuicem diſcrepant. Antherarum loculum, quem HALLERVS duplicem dicit, Ill. SCHMIDELIVS ſimplicem tantum deprehendit. Folia interea vtramque ſpeciem etiamnum diſcrepare faciunt. Praeterquam enim, quod *Vtriculariae vulgaris* folia volumine maiora ſint, *Vtriculariae minoris* marginem etiam diuiſionum dentatum habent, qui laeuis eſt in iſta. p. 79.

Inter ſynonyma *Iungermanniae puſillae* Auctor cum LINNEO et SCHREBERO ſpeciem DILLENII 46 retulit. Quam vero MICHELIVS *Nov. gen. tab. V. fig.* 10. propoſuit, atque eadem eſt cum DILLENII tab. LXXI. fig. 22, varietatem illius eſſe cenſet. SCHREBERVS autem in ſpicilegio Fl. Lipſ. hanc ceu ſingularem ſpeciem proponit, nomine *Iungermanniae barbatae*, cuius mentionem iniecerat Ill. SCHMIDELIVS in Diſſ. *de Iungermanniae charactere* pag. 20. Quodſi vero fig. 2 et 7, ſeu harum augmenta III et XVI. noſtri operis cum figuris Dillenianis Michelianisque comparamus, in aprico p. 82.

eſt, has plantas a ſe inuicem non diſcrepare. Procul dubio modus diſſeminationis confuſioni anſam dedit. Quodſi enim ſeminula iſta cumulatim ſeſe terrae mandarunt ſicue pullulauere, plantulae inde ſuccreſcentes, in ceſpitem condenſatae, figuram DILLENII 46 referunt. In contrario autem caſu, fit, quod SCHREBERVS ſpicil. p. 188. in parentheſi adnotauit. Truncellus nimirum, fructificatione abſoluta, quum ſpatium ipſi conceſſum ſit, more plurimorum vegetantium, elongatur, fructusque ſic in medium eius locum quaſi transfertur. Hinc igitur neque ſpecierum multiplicatio bene fit, nec varia a LINNEO et HALLERO adiecta ſynonyma fundamento innituntur. *Iungermannia* denique *palmata*, quam HALLERVS *Elem. ſtirp. Helv.* num. 1387. inter ſynonyma puſillae DILLENII repoſuit, cum forma et conſiſtentia frondium, tum ſtructura et diſpoſitione partium fructificantium, toto coelo ab hac et ambroſioide diſtat. Ill. Auctor plantulam noſtram pro mere dioica habet. At haec res in *Iungermannia puſilla* eadem ratione eſt comparata, ac in *Anthocero* et *Blaſia*, vt nimirum nonnullae plantulae floribus femineis prorſus deſtituantur, aliae vero hos, vna cum maſculis, ſed de ſummitate promant. Radiculae ſimpliciter per ſe conſideratae, fuſco colore pollent; quodſi vero luci aduertantur, eleganti violaceo perfuſae animaduertuntur. Membranulam antheras calycis loco ambientem, quam Auctor proponit, nos non inuenimus. Sphaerulas illas omnino maſcula organa eſſe docet granuloſae materiei intus contentae praeſentia atque praeprimis huius eiectio, quam oculatiſſimus Vir vidit et fuſius deſcripſit. Calyptram in hac quoque ſpecie, veluti in reliquis, bene obſeruauit Noſter. Capſula in quatuor finditur valuas: femina vero et huius *Iungermanniae* ad

ſumma

ſumma vitrorum augmenta echinatam habent ſuperficiem.

Pro definitione *Crucianellae latifoliae*, quam integram Tab. XXIII. exhibuit Ill. Auctor, LINNEVS poſuit numerum foliorum quaternarium. Noſter autem, cum CLVSIO, IMPERATO, FABRICIO, ad ſumma genicula, eorum ſex inuenit; at conſtanter anguſtiora inferioribus. Quilibet ſcapus ſpica finitur acuminata, cuius columnae alternis thalamis bini inſident flores, modo cerealibus ſolemni. GOUANUS, et eius ad ductum LINNEVS duo tantum calycina folia aſſumſere; tertium tanquam meram ſquamam conſiderant. Noſter autem ſimilem ſtructuram inter iſta foliola et tertium maturo quoque fructu praeſens deprehendit; hinc nullum ab officio calycis excludendum autumat. Quod corollam attinet, adnotauit eius tubam quandoque etiam in tres tantum lacinias abire. Quaevis lacinia terminatur appendiculo conico geniculato, ariſtaeformi, vnde margines decurrunt ſerie veſicularum tumiduli. Vtraque conditio lacinias has hygrometricas faciunt, adeo, vt interdiu ſeu ſicca tempeſtate contrahantur, circa veſperam e contra aut ad aeris humiditatem exporrigantur. Hinc quoque ad flores irritabiles pertinent. Stamina corollae inſerta conſtanter quaternarium numerum tenent. Rudimentum fructus vtrinque ſulcatum in ſummitate binas glandulas reniformes accepit, aſſurgente ex eorum medio ſtylo bipartito, parte altera longiore, altera breuiore. Sem. 2. p. 87.

HALLERVS iam in *Hiſt. Pl. Helv.* propoſuerat *Trichiam* ab Ill. Auctore acceptam; dubitat tamen ibidem, an iſta fungi ſpecies recte a *Lycoperdis* eximi poſſit, cum etiamnum ſubter ſua integumenta puluiſculoſum ſemen filamentis tenerrimis intertextum contineat. Noſter eandem tab. XXIV. no- p. 91.

mine *Trichulii* proponit, characterem genericum in eadem illa elaſtica filamenta atque comprehendentem cutem, pro ratione plantulae duriuſculam per fruſtula dehiſcentem, collocando. Plantula ipſa ab initio dilute rubet in ſuo capitulo, quod ſtipite breui at craſſiuſco, baſi lata inſtructo, inſidet. Ob. ſeruauit Noſter primordia plantulae intra minutiſſimos mucoſos aceruulos latitare. Simile phaenomenon de *Stemonite fuſco* LINNEI nobis indicare videbatur, intra hunc mucorem contineri maſculam plantulae virtutem.

p. 92. Claudit agmen *Clauaria ophioglossoides* LINN. tab. XXV. cuius deſcriptionem exactam exhibet Auctor.

Proſtant adhuc duo nitidiſſimi huius operis faſciculi, quorum breuem recenſionem proxime dabimus.

XVIII.

D. IOANNIS HEDWIGII fundamentum hiſtoriae naturalis muſcorum frondoſorum, concernens eorum flores, fructus, ſeminalem propagationem, adiecta generum diſpoſitione methodica, iconibus illuſtratis, Pars I. et II. Lipſ. apud Siegfr. Leber. Cruſium 1782. 4. mai. plagg. 28. tabb. aen. XX.

Ante quatuor iam annos in collectionibus tractatuum ad phyſicam hiſtoriamque naturalem pertinentium *) indicauerat Noſter muſcorum temporarias partes hactenus perperam a botanicis quaeſitas, vel peruerſe venditatas, imo abnegatas plane a Cl. NEKERIO **) omni huic vegetantium tribui-

*) vid. comm. noſtr. Vol. XXIV. p. 299.
**) vid. ib. Vol. XXII. p. 739.

tribui. Qua re ibi breuiter expedita, veluti promiſerat, fuſius iam explicata et pulcherrimis decem tabularum iconibus, viuis quoque coloribus egregie dilucidata, prima hac parte accepimus. Ad muſcos frondoſos, reſpectu aliorum, hepaticorum ipſi dictorum, ſingula Linneana genera, *Lycopodio* excepto, refert: conſulto tamen omnigenae pertractationi cunctarum in his plantulis occurrentium partium et progenitae earundem ſeminalis ſobolis reſeruat exactam, hic tantum ſummatim datam, muſci definitionem, nemini philoſophorum, p. 6.
ſecundum RAII effatum, adhucdum poſſibilem.

Expoſitis vero praecipuis, quae radicem, caulem, folia eorum ſpectant, variantibusque Auctorum placitis de ſexualibus partibus propoſitis, in generali floris conſideratione, florendi modum p. 43.
reſpectu hermaphroditorum, monoicorum et dioicorum, penes muſcis frondoſis plane contrarium illi vegetabilium proceriorum, nec non locum et tempus pro facilitanda inquiſitione indicat. Ma- p. 53.
ſcula organa vegetabilium, igitur et ſperma plaſticum, non ex alburno, vt LINNEVS pluresque alii praeſtantiſſimi botanici voluere, ſed, velut in animali corpore, de vniuerſali adducente vaſorum genere ſuccorumque fonte ortum habent; quod argumentis, anatomicae vaſorum in plantis diſquiſitioni ſuperſtructis, demonſtratur.

Hinc, et e mutationibus, quae genitalia ma- p. 61.
ſcula ſubeunt officio perfuncto, nec non conformi ſtructura, rite fluit, corpuſcula cylindrica, in roſulis capitulisque *Polytrichorum*, *Mniorum*, *Bryorum* nonnullorum, et in gemmiformibus floſculis *Hypnorum*, *Bryorum* aliorum, *Fontinalis*, reperiunda, neutiquam a natura ſtaminum abludere; quin eiectione inde granuloſi operis, ſaepius ab Auctore obſeruata, praeſentibusque iisdem quauis in ſpecie,

liquet,

liquet, his impraegnationem muſcorum frondoſorum vere celebrari.

p. 67. Stylus, calyptrae inſidens, qua firmatur fructus rudimento, clauſus antea, aperitur de ſummitate in ſtigma tubiforme, et abſoluta impraegnatione adparent ductuli deferentes. Huic ſemper, et ſaepe abunde, ſociantur corpuſcula ſimillima, quae, cum nihilominus plurimae muſcorum ſpecies vnicam tantum capſulam proferant, eodemque, quo antherae, pedunculo inſtructa inueniantur, quamvis adductores ſeu opitulatores quaſi impraegnationis diceret Cl. Auctor, in medio tamen relinquit ratione ſui veri vſus.

p. 80. Calyptram de thalamo exortam, eamque limbo vaginulae antea cohaerentem, petalum omnino eſſe et vi ortus et vaſculoſae ſtructurae et vtilitatis euincit Noſter. Filorum ſuccoſorum, vix non in omni flore praeſentium, figura perquam varia eſt, articulationes a ſeptis tranſuerſalibus habent et officium ſuum cum humectando genitalia, tum adiuuando expulſionem receptionemque maſculae virtutis praeſtant.

p. 95. Perichaetium denique non in hypnis tantum, ſed in quouis muſcorum flore, maſculo et femineo, praeſens eſt ſiſtitque verum calycem botanicorum, ſeu, vt Auctor mauult, *perianthium externum:* quum enim calycem inter atque corollam genuina diſtinctionis nota non detur, neque a diſtincta parte, vt hactenus credidere, ortum ducant, in perianthium externum et internum aptius diſ-
p. 100. peſci contendit. Formas florum a perichaetio concinnatas, in gemmiformes, capituliformes, diſciformes diuidit.

Cuncta hic prolata obſeruationibus innixa et experientia comprobata, iconibus ab ipſo auctore naturae ad ductum confectis illuſtrantur.

Altera

Altera huius operis pars, quae proxime illam Pars II.
ſequuta eſt, cum eſſentialia, tum accidentalia fructus, praecipue concernit. Haec inter primo loco occurrit connexio pedunculi capſulae nullae ſpeciei deficiens, cum plantula. Fit illa penes omnes, p. 4.
ſolo Sphagno exemto, mediante vaginulae plantula producta, quae pedunculi ſeu ſetulae baſin conicam recipit: vnde ſane perquam augetur cohaeſionis ſuperficies, alioquin perquam exigua ſecundum ipſius partis diametrum tranſuerſalem.

Pedunculus omnibus, praeter *Buxbaumiam aphyllam*, laeuis, e vaſis primariis ſuccigeris plantulae conſtat, demum quaſi ligneſcentibus, et medio cellulari opere, medulla dicto. Directionem variam habet, erectam, flexam, incuruam; colorem ſeneſcens, vt aliorum pedunculi, mutat, ſaepeque tunc, laquei ad inſtar ſicceſcens, ſpirali ductu torquetur, rediens iterum madefactus.

Tractationem de capſula in quatuor diſpeſcuit p. 7.
noſter ſectiones, quarum prima thecae ſeminalis nexum, ſtructuram, conformationem et directionem exhibet. Pedunculi ſeu ſetulae vaſcula recta p. 10.
in capſulam continuantur, modo intercedente, modo quaſi deficiente apophyſi; inque duplicem membranam, parietes capſulae conſtituentem, abeunt. Exterior firmula duriuſculaue, cruſta SCHREBERO dicta, e nutritiis vaſculis exſtruitur, reticuli in modum compoſitis. Interior tenerior pelluci- p. 16.
diorque, maxime ab interiore cellulari tela ortum ducere, vaſcula vero, quae et Ill. SCHREBERVS et Noſter obſeruarunt, ab interioribus vaſculis pedunculi accipere videtur. Vtramque membranam perpetuo intercedit communicatio, nunc maxime, vt in *Buxbaumia aphylla*, *Bryo pomiformi*, *Mnio fontano* cet. nunc minus conſpicua, per vaſcula, quibus ſeminula hic adhaerentia nutriuntur, veluti

hic

hic experimentis docetur. Ad aperturam capſulae etiàm remotiores ab inuicem per reliqua membranae iſtae committuntur demum inuicem. De reliquo hic loci fundamenta quaedam denominationis directionum capſularum etiamnum figuntur.

p. 18. Excipit hanc ſectionem altera de operculo, vbi primo loco variae eius formae determinantur. Procedit iſta pars e vaſculis parietis externi capſulae, qui maturitatis tempore ab inuicem dehiſcunt. Intercedit autem in nonnullis ſpeciebus capſulam operculumque annulus, qui hic exactius, quam ab
p. 24. vllo antea factum eſt, deſcribitur. Conſtat e firmiore lamina colorata et proceſſibus ſucculentis pellucidis. Illa exteriora ſpectat, iſti vero ſubter operculum apicem verſus protenduntur.

p. 25. Sectio tertia de columnula agit. Conſtat haec e cellulari parte, procedente ab illa medullari ſic dicta pedunculi parte atque ad apicem vſque operculi producta. Variam habet pro ratione ſpecierum formam atque dimenſionem. Particula intra operculum ſita modo remanet in primicera parte; modo cum operculo ſecedit et exſiccata MILLERI antheram *) conſtituit; modo in globulum intra periſtoma contrahitur; modo exſiccatione membranulam format apicibus dentium adglutinatam, vt in *polytrichis*.

p. 31. Denique ſectione quarta de periſtomate, qua denominatione Auctor omnem conditionem aperturae capſularum in muſcis frondoſis complexus eſt, exponitur. Eſt hoc vel nullum, vel nudum, vel effiguratum. Effiguratum vel eſt ſimplex e meris dentibus aut meris ciliis; vel compoſitum e dentibus liberis et connexis, ciliisque membranula, reticulo

*) Quam ita dixit et pinxit in libro: An illuſtration of the ſexual ſyſtem of LINNEVS. London 1779. 8. tab. 103. fig. 11. 12.

reticulo. Audiunt vero Noſtro *dentes*, proceſſus firmiores ab externa capſulae membrana procedentes vel ſimplices vel bifidi, numero 4, 8, 16, 32: *cilia* e contra, teneri internae membranulae proceſſus, perquam varie compoſiti. Definiuit ſub- p. 45.
inde Auctor officium ſingularis huius mechaniſmi, cuius partes vim accepere, ſeſe contractione aut expanſione viciſſitudinibus aeris accommodandi, ſicue ſeminulorum portam vel recludendi, vel aperiendi.

His de ſeminum receptaculo expoſitis, ad ſe- p. 48.
minum ipſorum et plantarum inde progenitarum conſiderationem pergit. Puluiſculum illum intra thecas muſcorum, vera eorum eſſe ſemina, confirmare atque demonſtrare aptius luculentiusque poterat nihil, quam plantarum ſimillimarum matri, de qua depromtus erat, educatio. Feliciſſimo euentu hoc praeſtitit Noſter ſatione diuerſorum muſcorum frondoſorum, cuius hiſtoriam cum cautionibus ſingulis adhibitis et euentu fuſius expoſuit. Patet nunc ex his quam certiſſime, nonſolum praeſentia genuini ſeminis, in hac quoque vegetabilium familia, virtute maſcula foecundati; ſed cotyledonum quoque et membranarum, cuncta huc pertinentia includentium, eadem ac in aliis ſeminulis ratione. Pullulantia iſta ſeminula quoque primordialem radiculam ſimplicem propellunt. Cotyledon non minus eſt ſimplex; ſucceſſu autem temporis ramificatur. Cuncta haec figuris egregiis illuſtrata conſpiciuntur.

Abſolutis nunc omnibus, quae muſcos frondoſos eorumque partes concernunt, quaeſtio dilucidatur, quid eſt muſcus? Atque primo quidem intuitu muſcus videbatur eſſe,

planta, petalo calyptrato ſtyligero inſtructa. p. 61.

Dum vero perpenderet Auctor, hanc definitionem

nem non minus etiam *Iungermanniis* et *Marchantiis* competere, hinc iſtas ſtirpes quoque ad muſcos pertinere: ſingulis bene perpenſis, diſpeſcuit omnem hanc familiam vegetantium in muſcos *frondoſos* et *hepaticos*, vtrumque ordinem ſequentem in modum definiens:

Muſci frondoſi ſunt plantae petalo calyptrato ſtyligero, baſi dehiſcente, inque altum cum capſula elato, inſtructae; capſula operculata.

Muſci hepatici ſunt plantae petalo calyptrato ſtyligero, ex apice dehiſcente, inſtructae; capſula quadriualui.

Placuit tandem Auctori Cl^{o} omnibus his peractis, methodum addere, qua muſcorum frondoſorum ſpecies in definita genera diſtribuuntur. Et primo quidem fata generum et ſpecierum translationes varias exhibet. Deinde exponit ſuum diſpeſcendi fundamentum quod inprimis in periſtoma locauit, adſociando huic altero loco formam maſculorum florum. Euaſit inde ſequens tabula methodi ſynoptica.

Muſci frondoſi inſtruuntur

Capſulis

I. Periſtomate nullo - - 1. *Phaſcum*

II. Periſtomate nudo: maſculo flore

1) clauato - - 2. *Sphagnum*

2) gemmiformi - - 3. *Hedwigia*

3) diſciformi - - 4. *Gymnoſtomum*

III. Periſtomate figurato

A) ordine ſimplici

a) dentato: dentibus

α integris

1) quatuor; maſculo flore dimorpho - - 5. *Tetraphis*

2) octo, apophyſi inflata; maſculo flore diſciformi 6. *Splachnum*

3) 16, anguſtis erectilibus; mare gemmiformi 7. *Leerſia*
4) 16, latiuſculis reflexilibus; mare gemmiformi 8. *Grimmia*
5) 16, latiuſculis reflexilibus; mare capituliformi - 9. *Weiſia*
6) 32, membranulam prehendentibus - 10. *Polytrichum*

β) biſidis
1) longioribus erectis, mare gemmiformi - 11. *Trichoſtomum*
2) breuioribus inflexis, maſculo flore
*) gemmiformi 12. *Fiſſidens*
**) capituliformi 13. *Dicranum*

b) ciliato tortili; maſculo flore
1) gemmiformi - - 14. *Tortula*
2) capituliformi - - 15. *Barbula*

B) ordine duplici
a) dentato ciliato; dentibus
α) apice liberis; ciliis
1) non cohaerentibus baſi 16. *Neckeria*
2) cohaerentibus baſi membranacea
a) vniformibus;
*) maſculo flore gemmiformi - - 17. *Leskia*
b) difformibus; maſculo flore
*) gemmiformi 18. *Hypnum*
**) capituliformi 19. *Bryum*
***) diſciformi 20. *Mnium*

β) apice cohaerentibus
*) mas diſciformis 21. *Koelreuteria*

b) dentato membranaceo: dentibus
1) acuminatis; fl. hermaphrodito - - 22. *Webera*
2) truncatis; maſculo diſciformi - - 23. *Buxbaumia*

c) dentato reticulato: masculo flore
1) gemmiformi - - 24. *Fontinalis*
2) disciformi et hermaphrodito - - 25. *Meesia*

Rationes, quibus hanc distribuendi in genera methodum suffulcit, vti et omnia reliqua obseruata et monita lectu dignissima sollertissimi atque oculatissimi Auctoris, qui his quidem discussis et elucidatis in botanica tenebris aere perenniorem sibi comparauit gloriam, ex ipso libro cognoscant Lectores, quo nemo botanicorum facile, praesertim propter icones summa diligentia atque accuratione factas, omninoque iuxta naturae ductum coloratas, poterit carere.

XIX.

CHRISTOPH. WILH. IAC. GATTERERI Breuiarium Zoologiae. P. I. Mammalia. Goetting. 1780. 8. pag. 228.

Zoologiae quidem videbatur omnino deesse compendium, quod et facili esset sermone exaratum, et recte dispositum species omnes nouissime inuentas comprehenderet: dum b. ERXLEBEN*) manum admoueret, deque animalibus ederet opus, quod sui generis futurum fuisset absolutissimum, ni mors praematura laudabili eripuisset instituto virum. Neque enim, nisi mammalia pertexuit, sed ita, vt facile omnium in se conuerteret spem et conspectum. Verum quod huic non licuit perficere, id aggreditur hoc specimine Cl. GATTERER; in quo quid praestiterit ipse perhibet in praefatione.

Mammalium genera et species ab ERXLEBENIO repetiit, vt tamen, quae specierum non satis illi digna viderentur honore, mammalia, in hanc restitueret dignitatem

*) in libro: Systema regni animalis Class. I. Mammalia. Lipsi. 1777. 8.

gnitatem. Qualia ſunt Simia Troglodytes, Cebus Syrichta, Erinaceus Tanrec, Equus hemionius, Antilope capenſis, Muſtela Ichneumon, et Viuerra mellivora. Vnicuique animali adiunxit characterem genericum et ſpecificum, in quibus definiendis accuratiſſimum eum deprehendimus, vt paſſim adeo nouos proferat. Habitum anthropomorphum, vocem grunnientem in Simia. In Papione caput prolongatum, corpus breuius. In Cercopitheco vocem crocitantem. In Sorice auriculas breues. In Equo caudam ſetoſam. In Cauia auriculas rotundatas, paruas. Denique caudam diſticham in Sciuro.

Porro diligenter indicauit auctor libros, in quibus deſcriptiones et icones optimae inuenirentur, cum monographiis ipſi notis, quarum praefixit etiam libro catalogum, quem dolemus minus eſſe completum, quam ex bibliothecis Brückmanni, Gronouii, tum Platneriana, Riuiniana, Ludwigiana et ſimilibus facillimo potuiſſet negotio adornari, et in quo ſtatim ab initio Agricolae liber vitioſe refertur inter Zoologos.

Pari diligentia attulit ſynonyma variis ex linguis petita. Sed non diſſimulamus, bene feciſſe, ſi aut noua tantum addidiſſet populorum minus cognitorum nomina, aut vſu ſolummodo inter Europaeos recepta. Neque enim Indorum, quae ERXLEBEN propoſuit, habet omnia, et fatendum eſt, ſi haberet, habet autem eorum nonnulla, minus profutura tironibus: criticorum eſt enim fontes aperire. Contra, vt exemplum offeramus, ne quid temere videamur pronuntiaſſe, Simiae Inui nec germanicam indicauit, nec gallicam anglicamue appellationem, neceſſarias vtique, et a b. ERXLEBEN iam enarratas. Neutiquam vero Cl. Auctor omni eſt laude priuandus in ſynonymia colligenda, vt qui Tartarorum inprimis, aliarumque Ruſſiae et Sibiriae gentium proferat incognitas denominationes.

Reliqua de Cl. Auctoris libello haec fere sunt. Hominum varietates a b. ERXLEBEN: sed in altera operis parte chartam orbis terrarum cum obseruatis, nouis promittit. Animalis cuiusque patriam addidit, et generalem totius generis naturam, cum obseruationibus LINNEI, ERXLEBEN et aliorum. Nomina hungarica a b. ERXLEBEN in additamentis proposita suis inseruit locis. Adiecta est ad calcem vtilissima FR. ECCARDI epistola, ad auctorem data, in qua islandica quaedam et Indiae orientalis, nec non aliarum Europae septentrionalis gentium, celeb. ERXLEBEN et BÜTTNERO, qui operam in hisce nauauit strenuissimam, ignota nomina perhibentur. Colophonem imponit libello index duplex, generum alter, alter specierum et synonymorum.

Etsi itaque haud magnopere nouis obseruationibus liber sit commendabilis, vtilissimum tamen fore speramus scientiae naturalis et Zoologiae tironibus, propter ordinem, quo scriptus est, et orationis concinnitatem: atque vt de auibus promissa pars subsequatur, accurateque exponatur optamus.

XX.

Nouae species quadrupedum e glirium ordine cum illustrationibus variis complurium ex hoc ordine animalium, auctore PETRO SIM. PALLAS, academico petropolitano. Erlangae, sumtu Wolfg. Waltheri. MDCCLXXVIII. 2 alph. plagg. 3. tabb. aen. 39. in 4.

Etsi annus 1778 titulo impressus sit, nos tamen haud ita pridem posteriores plagulas et tabulas aeneas recepimus, quae ideo forsan serius apparuerunt. Quidquid sit, in tanta librorum copia nos olim

olim iam ſancitam legem, libros ex ordine temporis, quo ad nos mittuntur, recenſendi, eo ſtrictius ſeruare coacti ſumus, quo maior eſt numerus amicorum, qui de continuatione horum commentariorum laetati libros ſuos nobiscum beneuole communicarunt. Iam ipſum quod attinet librum, de quo commentamur, eum omnino omnibus zoologis acceptiſſimum fore praeuidemus, eſtque vtique dignus, qui in omnium manu verſetur. Etenim Cl. PALLAS, quemadmodum in aliis ſuis egregiis libris fecerat, non ſolum animalia multa, prius incognita, hic egregie et perſpicue deſcripſit, verum etiam ad ea, quae aliquatenus cognita erant, tot atque tales obſeruationes adiunxit, vt eorum hiſtoria inſigniter illuſtraretur. Mira enim doctrinae copia omnia dubia critica et philologica tollit, atque ita hiſtoriam horum animalculorum tradit plurimis certe numeris abſolutam. Adſentimur et nos Cl. Auctori, qui nouis vel obſcuris animantium ſpeciebus vberiores partium deſcriptiones et accuratas earundem dimenſiones ſubiunctas vult. Atque ex dimenſionibus quidem proportio partium ſingularum ad ſe inuicem colligenda eſt atque computanda. Ipſe vero liber ſpectat praeſertim genera e *Glirium* ordine haec: *Lepus*, *Mus*, et *Sciurus*. De ſingulis quaedam delibabimus. E leporino genere quinque nouas ſpecies p. 1. deſcribit *leporem variabilem*, *L. tolai*, lepores ecaudatos, quorſum pertinent *L. puſillus*, *alpinus* et *ogotona*. Priorem nempe *L. variabilem* iam VARRO*) recte diſtinxerat; recentiores cum Lepore vulgari confuderunt; BRISSONIO, PENNANTO et FORSTERO exceptis: a PENNANTO *alpinus* dicitur: differt is a *vulgari* ſ. *Lepore timido* LINNEI magnitudine, qua fere quarta parte totius longitudinis

*) de re ruſtica l. III. c. 12.

hunc ſuperat, circumferentia cranii roſtrique exiliore, auribus minoribus, oculis naſo propioribus; artubus anticis poſticisque paullo breuioribus, cauda multo breuiore, et omni anni tempore alba. Differt etiam reliquus velleris color, vel aeſtate: color capiti griſeorufeſcens, auribus fuſcus, ceruix fuſco cineraſcens: dorſum fuſcum, pedes griſeo rufeſcunt, vt et pedes antici; poſtici primi albeſcunt; hibernum vellus omne, praeter apices aurium nigro molliſſimo veluto marginatos et volas
p. 4. pedum luteſcentes, niue candidius eſt. Per omnem Scandinauiam, Lapponiam Fennoniamque, in omni Ruſſia et Sibiria borealiore, in Scotiae montanis et in
p. 5. Liuonia abundat *L. variabilis*. In Polonia media atque Ruſſia hybridi Lepores occurrunt ex L. variabili et vulgari orti: ſunt plerumque maiores vulgaribus albis, et confirmata hieme ſeruant roſtrum ſupra griſeo pallidum, verticem et ceruicem totam, dorſumque medium aeſtiuo colore griſea, apicibus tantum pilorum albis; aures vero, apice late nigras, extus griſeas, reliquo albas habent; vt et reliquum corpus totum album eſt. Cauda huic varietati longior, et ſupra, vt in europaeo, nigra; proportio itidem artuum auriumque media eſt inter vtrasque ſpecies: horum leporum maxima copia propter pelles capitur. Atque ex hac quidem hybrida leporis progenie Cl. Auctor recte colligit leporem variabilem a vulgari omnino ſpecie eſſe
p. 7. diuerſum. Notatu digna eſt obſeruatio, in quadrupedibus temporatae atque frigidae zonae natura bis quotannis pilum nouari; vere aeſtiuum produci, breuem, plerumque rigidiorem, intenſius coloratum; autumno hyemale vellus oriri, largum, pilo plerumque denſiore, at tenuiore et molliore, lanugine intertexto factum et colore ſemper di-
p. 8. lutius vel albidum. De cauſſa differens, cur qui

busdam

busdam animalibus, vti et leporibus hieme candidus pilus ſuccreſcat, GMELINI opinionem, iuxta quam ex ieiunio hiberno rapacium animalium indeque orta macie deriuanda eſt pilorum albedo, reiicit: quum pilus albus iam autumno, vel ſub initium hiemis, abundante tum maxime pabulo, enaſcatur; vere autem, corporibus animalium per inopiam et iniurias hiemis exhauſtis, colorati ſuccreſcant pili. Videtur itaque potius abundantiae et mitiori indoli ſuccorum tribuendum eſſe, quod autumno largum denſumque vellus animalibus luxuriet, penuriae contra alimenti deberi breuem, imperfectum rariorem pilum aeſtiuum; poteritque forſitan bilioſae ſanguinis dyſcraſiae, a nimis ſubacto et exaltato ſine renouatione cruore ortae, tribui etiam color intenſior aeſtiuae veſtis. Quam quidem hypotheſin Cl. Auctor exemplis atque analogia probare nititur. Naſcitur denique etiam in hac leporis ſpecie varietas tota fuſca vel etiam aterrima, hieme colorem non mutans, cuius ſpecimen, in borealibus regni Caſanenſis captum, ſpeciatim deſcribitur. p. 12.

Leporem Tolai primus MESSERSCHMIDIVS *), deinde GMELINVS **) deſcripſerunt: BVFFONIVS ***) male eundem pro varietate cuniculi habuit et ſeduxit in eundem errorem Cl. ZIMMERMANNVM ****). Comparatiuam igitur Noſter huius leporis dat deſcriptionem, ex qua differentia eiusdem ſpecifica abunde patet. Eſt enim multo maior cuniculis vel maximis, ita vt *L. variabilem* aequet, imo ſuperet, capite longiore, quam *L. variabilis* et *timidus* inſtruitur; aures paullo longiores, p. 17.

*) in *Xenio Iſidis Sibir.* et in *Hodegetico MSto.*
**) in Nov. comm. Petrop. Vol. V. p. 357. tab. XI. f. 2.
***) Hiſt. nat. Vol. XV. p. 138.
****) Spec. Zool. geogr. p. 191.

quam *L. variabilis*, ſed proprio capite fere breuiores, adeoque paullo minores *L. timido* habet, eaeque margine ſummitatis tantum nigrae ſunt. Artuum proportione L. variabilem proxime refert, praeter cubitum et tibias paullo breuiores, palmasque et plantas minores, et pedes tenuiores, femora vero paullo longiora; quibus praeſertim a cuniculo valde differt. Cauda in *L. Tolai* multo longior, quam *L. variabili* et *cuniculo*, paullo tamen breuior, quam in *L. timido*. Praeterea etiam in hoc differt ab aliis ſpeciebus, quod in venatu recto curſu ferri ſoleat, et, quamprimum poteſt, rupium hiatibus, vel alienis cuniculis ſeſe tutetur. Non tamen proprios ſibi cuniculos effodit. Sequitur vberior deſcriptio, menſura et anatome partium.

p. 28. Nouam, quam in itinere Ruſſo Sibirico detexit, leporum phalangem hic deſcribit. Conueniunt tres nouae hae ſpecies cum cognitis leporum ſpeciebus dentium numero atque forma, ſuperioribus inciſoribus ſulcatis, et minoribus duplicatis, natura velleris, numero digitorum forma cranii et inteſtinorum genitaliumque generali diſpoſitione.

Differunt autem auribus multo breuioribus, artubus poſticis non elongatis, et caudae defectu. Caeterum interna anatome inter ſe ſimiles ſunt, moribus etiam ſimilibus gaudent, et in cuniculis vitam tranſigunt. Praeterea Cauiarum generi affines redduntur, habitu externo, caudae defectu, voce crebra et arguta, coſtarum numero et clauiculis perfectis:

p. 30. Praemittit ſpecialiori hiſtoriae ſpecificas omnium Leporini generis ſpecierum definitiones his verbis.

a. *Auriti plerumque et caudati.*

Lepus europaeus, apice aurium capite longiorum, caudaque ſupra atris.

L. To-

L. Tolai, auribus apice nigromarginatis, cauda ſupra atra.

L. variabilis, apice aurium atro, cauda concolore alba.

L. hudſonius, apice aurium caudaeque cinereo.

L. capenſis, auribus - - -, cauda ruſa.

L. cuniculus, auribus apice atris, cauda ſubconcolore, cruribus poſticis trunco breuioribus.

L. Tapeti, auritus, collari albo, cauda nulla.

b. *Reptabundi, ecaudati.*

L. puſillus, ecaudatus, fuſco griſeoque mixtus, auribus ſubtriangulis, albo marginatis.

L. Ogotona, ecaudatus, griſeo pallidus, auribus ouali ſubacutis concoloribus.

L. alpinus, ecaudatus, ruſeſcens, auriculis rotundatis, plantisque fuſcis.

Qui ſpecialiorem horum animalculorum hiſtoriam noſcere cupiunt, eos ad ipſum librum relegemus neceſſe eſt. Tum enim in ipſa hiſtoria tot ſunt nouae obſeruationes, vt, niſi cuncta transferre velimus, delectus locum non habeat; tum ipſae vberiores partium deſcriptiones, menſurae et anatome iconum additarum egregiarum egent explicatione.

Ingens ſane eſt nouarum ex *murino genere* ſpe- p. 71.
cierum numerus, quas in vna Ruſſia et Siberia detexit Cl. Auctor: atque recte inde colligit, etiam, quoad quadrupeda, ingentem animalium numerum etiamnum incognitum latere. Vt igitur ſpecies Murium rite diſtinguerentur, totum genus in naturales phalanges diſpeſcuit, et cognitis ſpeciebus ex ordine nouas ſubmiſit, ſubiunctis differentiis ſpecificis: quam quidem ſynopticam enumerationem repetere iuuat.

In *prima* phalange *Mures ſoporoſos*, *alpinos* ſ. *Marmotas* cum affinibus recenſet: quae toto habitu, corpore magis craſſo, capite grandi, gibbo, ob-

tuſo, auribus minutis vel nullis, dentibus grandioribus non bene tectis, caudae breuitate et villoſitate, internis denique characteribus, praeſertim coeco ampliato, et genitalibus, tanto differunt a frequentiore Murium habitu et ad Caſtores paene accedunt, vt ſingulari genere conſtitui poſſent, niſi inſigniores deeſſent characteres et alia phalanx quarundam ſpecierum habitu ad has accederet. Conveniunt inter ſe, vita diurna et ſopore hiberno, voce, moribus. Huc pertinent:

1. *Mus Marmota*, capite gibbo, auriculato, cauda villoſa breui, palmis tetradactylis, corpore fuſco ſubtus rufeſcente.
2. *Mus Monax* capite gibbo auriculato, roſtro coeruleſcente, cauda longiuſcula villoſa, palmis tetradactylis, corpore griſeo.
3. *Mus Arctomys*, capite gibbo auriculato, cauda brevi villoſa, palmarum vngue pollicari, corpore griſeo. *Boback* BVFF. Vol. XXVI t. 18. mala. Iconem meliorem et hiſtoriam vberiorem Noſter ſubiungit.
4. *Mus Empetra*, capite gibbo auriculato, cauda villoſa breui, palmis tetradactylis, corpore ſupra vario, ſubtus rufo. PENN. ſyn. t. 24. f. 2. bona. FORST. act. angl. Vol. LXII. p. 378. Huius deſcriptionem Cl. Auctor addit.
5. *Mus Citillus*, capite gibbo, auriculis nullis, cauda breui villoſa corpore vario. Icon tab. VI. traditur.

Secunda phalanx *Mures ſubterraneos* continet, capitis mole et figura ad Marmotas accedentes, qui dentibus primoribus maximis, latis, denudatis, ſupra infraque in cuneum acuatis, aurium defectu palmis plenius pentadactylis foſſoriis, cauda breviſſima vel nulla, et moribus denique ſecum conueniunt; hieme vero ſaltim non tota torpent, ſed colli-

colligunt pro penu radices. Sequentes huius phalangis ſunt ſpecies.

6 *Mus typhlus* ecaudatus, palmis pentadactylis, inciſoribus ſupra infraque latis, oculis auriculisque nulils *Tab. VIII. Slepez.* GMEL. *Spalax* ERXLEB.

7. *Mus aſpalax* brachyurus, inciſoribus ſupra infraque cuneatis, auriculis nullis, vnguibus palmarum elongatis. *Tab. X. Mus myoſpalax* LAXM. act. Holm. 1773. *)

8. *Mus capenſis* brachyurus, inciſoribus ſupra infraque cuneatis, auriculis nullis, palmis pentadactylis, ore albo. Tab. VII.

9. *Mus talpinus*, brachyurus fuſcus, inciſoribus ſupra infraque cuneatis, auriculis nullis, palmis pentadactylis foſſoriis. Tab. XI. A.

De ſingulis no. 6 - 9. vberior eſt ſubiuncta deſcriptio et ſpecialis hiſtoria.

Tertia phalanx *mures cuniculorios* comprehendit, brachyuros, grandiuſculo ſed aurito capite, dentibus pedibusque paruulis inſtructos; qui tota hieme vagantur, vel congeſta in latibulis penu viuunt, quorumque plures migratorii. Referuntur huc

10. *Mus Lemmus* brachyurus, auribus vellere breuioribus, palmis pentadactylis, corpore fuluo nigroque vario, ſubtus albo. *Tab. XII.*

11. *Mus torquatus* brachyurus, auribus vellere brevioribus, palmis pentadactylis corpore ferrugineo vario, torque interrupta albida, linea ſpirali nigra. *Tab. XI. B.*

12. *Mus lagurus* brachyurus, auriculis vellere brevioribus, palmis ſubtetradactylis, corpore cinereo, linea longitudinali nigra. *Tab. XIII.*

13. *Mus ſocialis* cauda ſemunciali, auriculis orbiculatis breuiſſimis, palmis ſubtetradactylis, corpore pallido, ſubtus albo. *Tab. XIII. B.*

14. *Mus*

*) vid. comm. noſtr. Vol. XXIV. p. 97.

14. *Mus arualis* cauda vnciali, auriculis vellere prominulis, palmis ſubtetradactylis, corpore fuſco. *Campagnol* BVFF. VII. p. 369.

15. *Mus oeconomus* cauda ſubſesquiunciali, auriculis nudis, vellere molli latentibus, palmis ſubtetradactylis, corpore fuſco. *Tab. XIV. A.*

16. *Mus gregalis* cauda ſeſquiunciali, auriculis vellere longioribus, palmis ſubtetradactylis, corpore cineraſcente.

17. *Mus rutilus* cauda vnciali, auriculis vellere longioribus, corpore ſupra fuluo, ſubtus candido *Tab. XIV. B.* Quaerit Auctor an *Mus gregarius* LIN.?

18. *Mus alliarius*, cauda vnciali, auribus maiuſculis ſubpiloſis, corpore cinereo, ſubtus albido. *Tab. XIV. C.*

19. *Mus ſaxatilis* cauda longiuſcula, auribus vellere maioribus, palmis ſubtetradactylis. *Tab. XXIII. A.*

20. *Mus amphibius* cauda longitudine dimidia corporis, auribus vix vellere prominulis, palmis ſubtetradactylis.

Quarta phalanx habet *mures buccatos*, Criceto affines ſpecies, omnes breuitate corporis, artuum atque caudae, arguto capite, buccis vtrinque ſaccatis, promptuariis et vita vix, niſi ſummo frigore, ſuppreſſa, conſpirantes.

21. *Mus Cricetus* buccis ſacculiferis, corpore ſubtus aterrimo cicatricibus lumbaribus detonſis. *Tab. XXV.* 1. 2.

22. *Mus Accedula* buccis ſacculiferis, auriculis ſinuatis, corpore griſeo, ſubtus albido. *Tab. XVIII. A.*

23. *Mus phaeus* buccis ſacculiferis, corpore caudaque fuſco cineraſcentibus, ſubtus albis. *Tab. XV. A.*

24. *Mus arenarius* buccis ſacculiferis, corpore cinereo, lateribus ſubtusque albo, cauda pedibusque albis. *Tab. XVI. A.*

25. *Mus ſongarus* buccis ſacculiferis, dorſo cinereo, linea ſpinali nigra, lateribus albo fuſcoque variis, ventre albo. *Tab. XVI. B.*

26. *Mus furunculus* buccis ſacculiferis, corpore ſupra griſeo, ſtriga dorſali nigra, ſubtus albido. *Tab. XV. A.*

In *quinta* phalange ſunt *Mures lethargici*, vellere mundae, colore et habitu omnium lepidiſſimae, inſigniter auritae et caudatae, cauda pilis veſtita, ſaepius floccoſa vel lanata, poſticis artubus plerumque magnis deſultoriae, quae omnes leui frigore ſopiuntur totamque hiemem lethargo tranſigunt: atque huc anomalae ſpecies, quae bipedes incedunt, transferri debent.

27. *Mus Iaculus* cauda longiſſima apice pennata, nigro alba, pedibus poſticis maximis, pentadactylis. *Tab. XX.*

28. *Mus Sagitta*, cauda longiſſima, apice ſubpennata nigro alba, pedibus poſticis longis, tridactylis. *Tab. XXI.*

29. *Mus cafer* cauda longiſſima, apice floccoſa nigra, pedibus poſticis longiſſimis tetradactylis.

30. *Mus longipes* cauda longa veſtita rufa, corpore fulueſcente ſubtus albo, pedibus poſticis maiuſculis, pentadactylis. *Tab. XVIII. B.*

31. *Mus tamaricinus* cauda longiſſima, veſtita, fuſco ſubannulata, corpore griſeo cineraſcente ſubtus albo. *Tab. XIX.*

32. *Mus Nidetula* cauda longa, ſubfloccoſa, corpore rufeſcente, ſubtus albo, area oculorum nigra. (*Lerot* BVFF.)

33. *Mus Glis* cauda longa villoſiſſima, corpore cano, ſubtus albo. (*Sciurus glis* LINN.)

34. *Mus*

34. *Mus auellanarius* cauda longa, ſubfloccoſa, corpore fuluo, gula alba.

35. *Mus betulinus* cauda lòngiſſima nudiuſcula, corpore fuluo, faſcia dorſali nigra, auribus plicatis. *Tab. XXII. fig.* 1.

36. *Mus vagus* cauda longiſſima nudiuſcula, corpore cinereo, faſcia dorſali nigra, auribus plicatis. *Tab. XXII. f.* 2.

37. *Mus ſtriatus* cauda longiuſcula ſubnuda, corporis ſtriis plurimis parallelis, albo-guttatis. Dubia eſt etiamnum ſpecies, quam ex SEBA et LINNEO huc transtulit Cl. Auctor.

In *ſextam* phalangem relegati ſunt *Mures* vagabundi, auribus maiuſculis, cauda longa, ſubnuda, annulis ſquamata agnoſcendae, quorum vix vlli frigore obtorpeſcunt, licet plerique acerrimae tempore brumae lateant. *Myoſuros* eos appellat:

38. *Mus pilorides* cauda longiuſcula, ſquamata, truncato obtuſa, corpore albido. Hoc nomine comprehenditur Mus albus ceylonicus BRISSONII et *Piloris* BVFFONII.

39. *Mus Caraco* cauda longa ſquamoſa obtuſiuſcula, corpore griſeo, plantis ſubſemipalmatis. *Tab. XXIII. A.*

40. *Mus decumanus* cauda longiſſima ſquamata, corpore ſetoſo griſeo, ſubtus albido. (*Surmulot* BVFF.)

41. *Mus rattus* cauda longiſſima ſquamoſa, corpore atro, ſubtus caneſcente.

42. *Mus ſiluaticus* cauda longa ſquamoſa, corpore griſeo luteſcente, ſubtus lateribusque abrupte albo. Huc pertinet etiam *Rattus meſſorius* PENN.

43. *Mus muſculus* cauda longiſſima ſquamoſa, corpore fuſco, ſubtus cineraſcente.

44. *Mus agrarius* cauda longa ſquamoſa corpore luteſcente, ſtriga dorſali nigra. *Tab. XXIV A.*

45. *Mus*

45. *Mus minutus* cauda longa ſquamoſa, corpore ſupra ferrugineo ſubtus albido. *Tab. XXIV. B.*

His nominibus et definitionibus ſubiunxit ſynonyma, et earum, quas non ſigillatim hiſtoria illuſtrat, breuem deſcriptionem vel alia ſcitu digna. Singulas autem ſpecies, tabulis aeneis depictas vberiori commentario illuſtrat, e quibus plura eſſent, quae commemorari viderentur, niſi iuſto longiores fieri metueremus et arbitraremur, naturae ſtudioſos ipſum librum lecturos eſſe. Zootomicae inprimis laudandae ſunt obſeruationes.

Illuſtrationes quaedam in Sciureum genus ſequuntur. Tres Cl° Auctori Sciurorum volitantium ſpecies videntur: 1) *Sciurus Petauriſta*, quem in *Miſcellaneis Zoologicis* iam deſcripſit Auctor: indicum animal, maximum ex his volantibus ſpeciebus. BVFFONIVS etiam in *Supplem. Vol. III. p.* 151. *t.* 21. hanc ſpeciem habet. 2) *Sciurus volans*, de quo poſtea ſpeciatim; et 3) *Sciurus Volucella*, quem D'AVBENTONVS graphice deſcripſit, et LINNEVS *Murem volantem* appellauit: eſt animalculum gregarium, Americae ſeptentrionali proprium, vti *Sc. volans* Sibiriae et Europae, qui etiam ſolitarie viuit. *Sciurus Sagitta* LINNEI conuenire videtur cum *Sciuro volante maiore* ex America hyperborea, a Cl° FORSTERO in Actor. angl. Vol. LXII. p. 379 deſcripto, eſtque a tribus enumeratis diuerſus, vlterioremque illuſtrationem poſcit. p. 349.

Sciurus volans eſt intra Europae fines rariſſimum animalculum, multo copioſius Vralenſes ſilvas colit et in omnibus Sibiriae betuletis abundat. Nidulatur in cauis truncorum, qua poteſt altiſſime a terra remotis, vbi nidum e congeſtis muſcis molliſſimum parat. Praecipuum alimentum eiusdem ſunt betularum gemmae; hieme non, niſi tepida tempeſtate, nido prodit; non tamen obtorpeſcit. p. 355.

Non

Non quidem, vt conſtat, volat animal, ſed ſaltus audaciores, pellibus laterum inter diuaricatos pedes tenſis et corpus in aere ſuſpendentibus ita adiutos, vt ad 20 et vltra orgyas e cacumine vnius verſus alterius arboris medium ferantur. Captos in media ſilua experimenti gratia depoſitos vidit ineptiſſime, erecta cauda, quaſi per ſaltus fugere; ſimulac vero arborem attigerant, velociſſime et quaſi ſubſultim ſcandent, cauda modo reiecta in dorſum, modo demiſſa. Exaltiore trunci parte deiecti, excipiebant ſeſe velis ſuis et in aëre varie librabant atque motu caudae dirigebant
p. 358. corpus. Pulli naſcuntur ſub initium vel certe ante mediummaii, et plerumque duo, tres, vel quatuor cum ſingulis matribus reperiuntur. Per diem mater incubat pullis, occidente ſole nidum relinquens, muſco nidi cooperit pullos, pabulum quaerens, tota nocte eſt inquieta. Oculorum conſtitutionem Strygi Aluconi habet ſimillimam. Pulli manſerunt coeci vſque ad tredecimum diem. Caeterum mordaculi ſunt Sciuri volantes, et vitae tenerrimae: ſedent et incedunt conglobato ſatis trunco, cauda vel circa clunes circinnato contorta, vel in dorſum reflexa vel arcte applicata, palmis lauant, et pabulum ori admouent clunibus inſidentes. Clamor rariſſimus doloris, murinus; iracundi muſſitant. A *Sciuro Volucella* differt Sc. volans *magnitudine* plus tota tertia parte excedente; *colore* non in flauum inclinante, ſed ſupra candide leucophaeo, ſubtus candidiſſimo, caudaque ſupra vix fuſco inumbrata; *forma capitis* breuiore et globoſiore; *cauda* breuiore; *oculis naſo* propioribus, circulo magis atro cinctis, artubus anticis breuioribus, at poſticis tibiis longioribus. Praeterea pellibus ad brachia in alulam radio tenſilem dilatatis, auriculis nudis breuibus, latiuſculis palmis tetradactylis. Sequitur deſcriptio, menſura, et anatome partium.

De-

Deinde refutat BVFFONIVM et PENNANTVM, qui Sciurum Americanum cinereum, cum Sciuro Europaeo vulgari, hiemali tempore cinereum vellus induente, vnam eſſe ſpeciem perhibuerunt, hancque poſteriorem a Sciuro vulgari rufo ſeparaverunt, argumentis ex obſeruatione ipſorum animalium ſumtis. Sic etiam monet, *Sciurum hudſonium* FORSTERI *) vere differre a Sciuro vulgari. Novam ſpeciem breuiter deſcribit, quae Ipſi *Sciurus erythraeus* dicitur, corpore luteo fuſco, ſubtus rufo, palmis tetradactylis, verruca inſigni loco pollicis, plantis pentadactylis. p. 376.

Denique *Sciuri ſtriati* hiſtoria ſubiungitur, quem Sibiria cum America communem habet, etiam in Europam tranſiit, ad Kamae fluuii tractum et ad Duinam. Siluas aceroſas inhabitat, victitans praeſertim ſeminibus *Pini Cembrae*. Antra ſibi fodit humi, ſpithamae profunditate, canali flexuoſo adeunda, alterne coarctata atque dilatata, vel varias in cameras cohaerentes diſpertita, quarum vna pro nido, reliquae pro promptuariis ſeruiunt. Haec promptuaria autumno maxime replet plantarum ſeminibus in ſaccis buccalibus, quibus ſola haec *Sciuri* ſpecies inſtruitur. His moribus et ſacculis buccalibus Criceto et Citillo affinis eſt Sciurus ſtriatus, naſo conuexo foſſorio poſteriorem refert; diurno tamen vitae genere, et quod hieme ſine ſopore lateat aliisque Sciurum refert. Propter pelles ignobiliores partim in arboribus obtuſis ſagittis occiduntur, partim decipulis compreſſoriis capiuntur.

Icones additae egregie pictae et ſculptae ſunt.

XXI.

*) vid. Philoſ. tranſ. Vol. LXII. p. 378.

XXI.

P. M. AVGVSTI BROUSSONET, Medicinae Doctoris, ſociet. reg. Londinenſis et Monſpelienſis ſocii, ichthyologia, ſiſtens piſcium deſcriptiones et icones. Proſtat Londini apud Petr. Elmsly. Pariſiis apud P. Franc. Didot, iun. Viennae et Lipſiae ap. Rud. Graeffer. Lugd. Bat. apud Andr. Koſter et ſoc. 1782. plagg. 13. fol. min. tab. aen. XI.

Viri perilluſtris IOSEPHI BANKS, cui etiam has primitias obtulit, beneuolentia conſiliisque ſuffultus copiam nactus eſt Cl. Auctor, piſces rariores deſcribendi. Eſt itaque hoc primum ſpecimen illorum naturae theſaurorum, quos in celebri illa orbis circumnauigatione collegerunt peregrinatores celeberrimi; ſpesque ita augetur, et Cl^{i} Auctoris ſtudio reliquas piſcium ſpecies, et ipſius Ill. BANKSII opera plantarum diuitias cum orbe erudito fore proxime communicatas. Ingens, quemadmodum in praefatione monet Cl. BROUSSONET, nouorum piſcium numerus, quos muſea Bankſianum et Britannicum continent, fecit, vt Cl. Auctor a conſilio ſuo, omnes et ſingulas ſpecies piſcium breui differentia ſpecifica diſtinctas in ſyſtema redigendi, recederet, atque prius omnes, quos poterit, piſces vberius deſcribere, et cum deſcriptionibus icones ſingulorum per decades in publicum emittere ſuſcepit, hoc quidem modo, vt, omiſſo paginarum et tabularum numero, deſcriptiones et icones piſcium in quemcunque ordinem pro lubitu digeri poſſint.

Deſcriptiones ita compoſuit, vt varii dimenſionum inter partes termini ſecum comparentur, quae, quum piſcium diuerſae partes ſucceſſiuum et pro-

proportionale incrementum accipiant, certos ſpecificos characteres praebere videntur. Vtitur Cl. Auctor pede Anglico in decem vncias diuiſo, vncia vero ſingula in totidem lineas. Diſtantias inter varias partes ope circini detegit, vt varietates ab accidentalibus ſuperficiei corporis inaequalitatibus oriundae vitentur. Ita diſtantias dimenſas ſecum comparat, vt e. g. poſita diſtantia inter apicem maxillae ſuperioris et baſin pinnae caudalis ſeu longitudine corporis (LC) = 80 linearum, eandem cum aliis diſtantiis ab eodem apice maxillae ſuperioris ad anum (A) = 50 lin. ad pinnae dorſalis initium (DI) et finem (DF), ad pinnarum pectoralium baſin (PB) et apicem (PA) ad pinnae anaiis initium (AI) et finem (AF), et pinnae caudalis medium comparet: quae breuius ſic ſcribit:

LC:A :: 80 : 50.

LC:DI :: 80 : 20. et ſic de caeteris.

Iam ſi alium piſcem, qui eiusdem videtur ſpeciei, et diuerſae eſt magnitudinis, definire volueris, magnitudo tota atque omnes reliquae partium diſtantiae dimetiendae atque cum iis, quae in deſcripta ſpecie dimenſae ſunt, comparandae erunt; quae, ſi eandem inter ſe proportionem oblaturae ſunt, indicabunt, ambos piſces eſſe vnius eiusdemque ſpeciei. Vt tamen haec relatiua pinnarum poſitio citius eluceſcat, diſtantiam inter apicem roſtri et baſin pinnarum pectoralium aſſumit, in totidemque partes aequales piſcem partitur, ab apice roſtri ad apicem pinnae caudalis, easque partes regiones appellat. Supponatur e. g. ſpatium inter apicem roſtri et baſin pinnarum pectoralium 10 linearum, piſcem vero 45 lineas longum eſſe: tunc, huius piſcis corpus in quatuor regiones et dimidiam diuidi dicit Cl. Auctor; in prima regione nullae adſunt pinnae; in ſecunda pectorales et ventrales;

tertia et quarta dorſales et analis: quae breuiter ſic exprimit;

R. 4, $\frac{1}{2}$. P. 2. V. 2. D. 3. 4. A. 3. 4. C. 4, 5.

Signum – ſupra 5 denotat, regionem quintam eſſe incompletam. De omnibus his fuſius egit Cl. Auctor in vol. LXXXI. actorum Anglicorum.

Atque his praemiſſis piſcium hac prima in decade deſcriptorum et egregie depictorum nomina et differentias ſpecificas ſubiungamus.

Gobius *ſtrigatus* corpore compreſſo lanceolato, ſubpellucido, vireſcenti glauco, inferne albido, ſtrigis aliquot fuſcentibus pone baſin pinnarum.

B. 6. D. 6, 20. P. 20. V. 6. A. 19. C. $\frac{3-3}{22}$

R. 5. P. 2. D. a 2, 3. b 3, 4. V. 2. A. 3, 4. C. 4. 5.

Differt a reliquis *Gobiis*, quorum pinnae ventrales ſunt vnitae, pinnis ventralibus disiunctis; a *Gobio Koelreuteri* pinna dorſali prima ſexradiata, a caeteris pinna anali radiis 19. Inuenitur in oceano pacifico prope inſulam Otaheite.

Gobius *ocellaris* corpore compreſſo lanceolato, ex oliuaceo et nigro obſcure nebuloſo, ocello poſtice prope baſin pinnae dorſalis primae nigro.

B. 5. D. 6. 11. P. 16. V. 6. A. 11. C. $\frac{4-4}{22}$

R. 3 $\frac{2}{3}$. P. 2. D. a 1. b 2, 3. V. 2. A. 3. C. 3. 4.

Differt pinnis ventralibus vnitis a diuiſione Gobiorum pinnis ventralibus disiunctis: a Gobiis anguillari et melanuro pinnis dorſalibus duabus; a caeteris ſpeciebus maxilla ſuperiore longiore et ocello. In riuulis aquae dulcis in inſula Otaheite habitat.

Pleuronectes *mancus* oculis ſiniſtris, capite tuberculato, pinnis pectoralibus inaequalibus.

B. 5. D. 94. P. ſiniſtra 13. dextra 12. V. 6. A. 80. C. 17.

R. 4, $\frac{1}{4}$. P. 2. 3. D. 1–4. V. 1. A. 1–4. C. 4. 5.

Idem

Idem eſt piſcis cum *Aramaca* MARCGRAVII *braſil. p.* 181. quod nomen LINNEVS ad *Pleuronectem papilloſum* minus recte retulit.

Chaetodon *trioſtegus* LIN. Nomen triuiale reliquit Cl. Auctor, etſi membranam branchioſtegam quatuor radiis inſtructam inueniret. Synonyma RAII et SLOANEI a LINNEO ad hanc ſpeciem relata ad *Chaetodontem Fabrum* ſunt amandanda, ſynonymon BROWNEI ad *Chaetodontem capiſtratum*. Locus et deſcriptio ſecundaria LINNEI in editione XII. ſyſtematis etiam ad *C. Fabrum* pertinent.

Chaetodon *Faber* pinnae dorſalis aculeis 9, pinnis pectoralibus ouatis, maxillis rotundatis, radio aculeato quinto pinnae dorſalis caeteris longiore, membrana branchioſtega triradiata, aculeo nullo ad latera caudae. In SEBAE *theſauro* tom. III. p. 67. tab. 25. n. 14. bona deſcriptio, ſed icon minus perfecta ibi occurrit.

Chaetodon *longiroſtris*, pinnae dorſalis aculeis 11, aculeo nullo ad latera caudae, roſtro cylindrico.

B. 5. D. $\frac{11}{35}$. P. 15. V. $\frac{1}{6}$. A. $\frac{3}{22}$. C. $\frac{33}{22}$.

R. $2\frac{1}{4}$. P. 2. D. 2. V. 2. A. 2. C. $2.\overline{3}$.

Inuenitur in oceano pacifico, prope inſulas ſocietatis, et inſulas Sandwich.

Polynemus *plebeius*, corpore argenteo, digitis quinque, corpore dimidio breuioribus.

B. 7. D. $8,\frac{1}{14}$. P. 16. V. $\frac{1}{6}$. A. $\frac{3}{14}$. C. $\frac{4-4}{22}$

R. $5\frac{1}{5}$. P. 2. D. a 2, b 3. 4. V. 2. A. 3. 4. C. $4-\overline{6}$.

Inuentus prope inſulam Otaheite et inſulam Tanna.

Clupea *cyprinoides*, abdomine obtuſo, radio vltimo pinnae dorſalis elongato. Eſt Camaripuguacu MARCGR. braſil. p. 179.

Clupea *Thriſſa* LINN. abdomine acute carinato, radio vltimo p. d. elongato. Cl. BARBOTTEAU de hac ſpecie refert, eandem tempore pruritus litora ſubire, et inter quiſquilias degere, praecipue inter radices *Rhizophorae Mangle*. In Caribaeis inſulis inter optimos menſae piſces numeratur, vbi tamen cibus non raro venenatus euadit. Minoribus cruſtaceis, conchyliis, et piſcium ouis veſcitur.

Clupea *ſetiroſtris*, pinna dorſali in medio dorſo, pinna anali a caudali diſtincta, oſſibus lateralibus maxillae ſuperioris ſetaceis, et pinna anali 32radiata. Serraturae abdominis efformatae oſſiculis ſubtriangulis, acutis, oſſiculo erecto vtrinque auctis.

Vberiores deſcriptiones, quas de vnoquoque horum piſcium dedit, iuxta ſuam ipſius methodum ſunt exactiſſimae et copioſae, vt in definitione piſcium maximum certe vſum praeſtiturae ſint: deſunt tamen omnes anatomicae obſeruationes, quae ad perfectam corporum naturalium cognitionem non minus ſunt neceſſariae, quas vero in exoticis rarioribusque piſcibus, quales deſcripti ſunt, Cl° Auctori inſtituere certe non licuit. Iam ſperandum eſt, cum neminem futurum eſſe, qui huic labori non plaudat, vt altera, quam promiſſus eſt, mox inſequatur decas, optamusque vt votis Cl^i Auctoris faciant ſatis ichthyophili, a quibus communicatos optat rariores, necdum deſcriptos piſces, quos deſcribat, et deſcriptos ſyſtemati ichthyologico breui proditurο inſerat.

XXII.

Reliquiae Houſtounianae, ſeu plantarum in America meridionali a GVLIELMO HOUSTOUN M.D. R.S.S. collectarum icones, manu propria

pria aere inciſae; cum deſcriptionibus e ſchedis eiusdem, in bibliotheca IOSEPHI BANKS, Baroneti, R. S. P. aſſeruatis. Londini 1781. plagg. 2. in 4. tabb. aen. 25.

Prius quaedam de hiſtoria huius libri referamus, quam ipſius contenta indicemus,

GVLIELMVS HOUSTOUN, medicus Scotus, quinquaginta circiter annis abhinc in Iamaica et in vicinis inſulae, a vera Cruce dictae, terris collegit plures plantas, quarum alias iuxta Tournefortianam deſcripſit methodum, alias ipſe depinxit, et nonnullas ex his ipſe aeri incidit. Mortuo eodem in India occidentali, quadraginta circiter abhinc annis, collectione plantarum, obſeruationibus manuſcriptis, iconibus et calamo exaratis et aere inciſis potitus eſt PHILIPPVS MILLER. Ibi LINNEVS, cum in Anglia commoraretur, hanc plantarum collectionem, deſcriptiones et icones vidit, videturque vero ſimile, CLIFFORTVM quasdam harum plantarum accepiſſe, quippe quod a LINNEO in *horto Cliffortiano* deſcriptae ſint. Mortuo MILLERO Perill. IOSEPHVS BANKS omnem herbarum collectionem Millerianam ſimul cum Houſtounianis plantis et caeteris reliquiis emit. Atque hic quidem Vir perilluſtris, laudabili erga litterarum et praeſertim hiſtoriae naturalis augmenta ſtudio meritis ſuis hoc addidit, vt has ab HOUSTOUNO pictas et aeri inciſas tabulas publici iuris redderet, et e ſchedis manuſcriptis deſcriptiones adderet, quas tamen non vendidit, ſed dono dedit botanicis et bibliothecis publicis, qua quidem ſingulari et prodiga quaſi beniuolentia gratias et honores publicos, meritosque non ſolum metet, ſed, quod magis, omnes botanicae ſtudioſos ſibi deuinctos reddidit.

MILLERVS quondam LINNEO dedit harum tabularum apographos atque probabiliter, easdem in Philoſophicis Tranſactionibus publicatum iri, dixit: etenim LINNEVS in *generibus plantarum*, earum plantarum Houſtounianarum, quae noua genera iuxta Tournefortianam methodum conſtituunt, mentionem facit hoc modo: *Houſt. A. A.* Aliis plantis, quae integrae hic depictae ſunt a HOUSTOUNO, v.g. *Aſter aurantius*, *Mimoſa plena*, etc. in Spec. plantt. inter ſynonyma addidit: *Houſton. Ms. fig.* Praeterea etiam AMMANNVS accepiſſe videtur quaſdam Houſtounianas plantas a MILLERO; nam et in herbario Ammanniano, et in muſeo Petropolitano inſertae ſunt quaedam plantae nominibus Houſtounianis.

Caeterum in hac plantarum Houſtounianarum editione ſubiunxit Perill. editor nominibus Auctoris nomina Linneana. Priorum quindecim flores tantum, reliquarum vero integri florentes ramuli depicti ſunt. Iuuat itaque ſubiungere catalogum plantarum deſcriptarum et depictarum.

Tab. 1. *Iuſticia ſcorpioides* LINN.
Tab. 2. Kempfera HOUST. quae eſt *Verbena curaſſauica* LINN.
Tab. 3. Buddleia, quae a LINNEO *Buddlea americana* dicitur.
Tab. 4. *Randia mitis* LINN.
Tab. 5. *Ammannia latifolia* LINN.
Tab. 6. *Cordia geraſchanthus* LINN.
Tab. 7. *Gronouia ſcandens* LINN.
Tab. 8. *Michelia.*
Tab. 9. *Richardia ſcabra* LINN.
ab. 10. *Martynia annua* LINN.
Tab. 11. Flores *Petreae volubilis* LINN. Fructus *Tetracerae* vid. LINN. gen. plantt.
Tab. 12. *Lippia americana* LINN.

Tab.

Tab. 13. Douglaſſia HOVST. *Volkameria aculeata* LINN.

Tab. 14. *Theobroma Guazuma* LINN.

Tab. 15. Iuſſieuia ſ. *Iatropha herbacea* LINN.

Tab. 16. Aloe americana arboribus innaſcens, foliis latis membranaceis ad margines ſpinoſis. HOUST.

Tab. 17. Gaſſia americana tetraphylla HOUST. *Herb. Amm.* 601. *Caſſia fruticoſa* MILL. *dict.*

Tab. 18. Aſter americanus foliis pinnatis et ſerratis, floribus aurantiis, ſ. *Aſter aurantius* LINN.

Tab. 19. Aſter ſatureieae foliis coniugatis et piloſis flore luteo HOVST. *Inula ſatureioides* MILL. dict.

Tab. 20. Chryſanthemum americanum humile origani folio, flore luteo. HOUST. *Herb. Amman.* 475. n. 12.

Tab. 21. *Melampodium americanum* LINN.

Tab. 22. Ricinoides folio ſubrotundo, ſerrato; fructu paruo, conglomerato: quod eſt *Croton glanduloſum* LINN.

Tab. 23. *Mimoſa plena* LINN.

Tab. 24. *Mimoſa aſperata* LINN.

Tab. 25. *Mimoſa quadriualuis* LINN.

Tab. 26. Mimoſa - - - cuius nulla in ſchedis Houſtounianis inuenta eſt deſcriptio; caule foliisque duplicato abrupte pinnatis, leguminibusque hirtis.

XXIII.

Leipziger Magazin zur Naturkunde, Mathematik und Oekonomie, herausgegeben von C. B. FUNK, N. G. LESKE, *und* C. F. HINDENBURG. *Jargang* 1781, *nebſt vier Kupfertafeln. Leipzig und*

Deſſau, bei den Herausgebern und in der Buchhandlung der Gelehrten. 1 *Alph.* 12 *Bogen in* 8. *Jargang* 1782, *nebſt vier Kupfertafeln. Leipzig, in der Joh. Gotfr. Müllerſchen Buchhandlung,* 1 *Alph. und* 14 *Bogen.*

i. e.

Promptuarium Lipſienſe, phyſicam, matheſin et oeconomiam ſpectans, editum a C. B. FUNK, N. G. LESKE, et C. F. HINDENBURG. Annus 1781. et 1782.

Coniunctim edere coeperunt Viri Clariſſimi hoc titulo obſeruationes et tractatus varios ex diſciplinis in inſcriptione indicatis, quas ideo vnierunt, quod earum cognitio omni, qui vni aliique earundem diſciplinarum operam dat, neceſſaria vel ſaltem perquam vtilis ſit. Eſt enim vtique phyſico maxime neceſſaria cognitio matheſeos, et vtilis notitia phyſicorum dogmatum applicatio in oeconomia, et ſic viciſſim oeconomo opus eſt phyſices et matheſeos doctrina. Praeter tractatus originales etiam quasdam ex aliis linguis verſas diſſertationes, vti etiam nouorum librorum cenſuras et epitomes inſeruerunt, adiunxeruntque varia noua phyſica. Praeterea quodlibet volumen in quatuor partes eſt diviſum, quarum ſingula tria mox indicata capita continet. Nos quidem ex inſtituti ratione tractatuum phyſicorum ſummam, reliquorum autem inſcriptionem tantum indicabimus.

1781. P. I. Voluminis primi pars prima haec habet:

IO. CAROLVS GVIL. VOIGT montium, qui *Rhönberge* dicuntur, hiſtoriam et naturam deſcribit. Montes plurimi ſunt baſaltici, quorum latera decliuia calcareo in ſtratis horizontalibus poſito et petrefactis repleto conſtant. Ipſe baſaltes eſt ſolidus

lidus, inſperſis granulis vitro viridi ſimilibus, quae probare videntur igne fuſa eſſe haec granula, ideoque ipſum baſaltem igne ortum eſſe. Plurimis in montibus columnae baſalticae fractae et liberae circumiacent; in vno tamen monte, qui quidem nondum ad montes Rhoenenſes pertinet, *Horn* dicto, baſalten fixum et petras formantem columnares inuenit. Notatu digna eſt Cl^i Auctoris obſeruatio magnas has baſaltae columnas percuſſas malleo in alias minores columnulas findi: quae quidem fiſſurae demonſtrant, columnarem figuram baſaltae non ad cryſtallos referri poſſe, vtpote quae alio prorſus modo exorta ſit. Ipſi montes Rhoe- p. 7.
nenſes, quos ſigillatim Cl. Auctor deſcribit, manifeſtiſſima ſigna exhibuerunt vulcanicae originis; etenim plurima vulcanica producta, ſcorias, cineres, terram illi, quae a vico italico *Pozzuoli* pozzollana dicitur, ſimillimam inuenit, atque vidit lavas, quae quaſi manifeſtum tranſitum in baſalten demonſtrent, adeoque ei ſimiles ſunt, vt Cl. Auctor baſalten ipſum vulcanorum productum eſſe perſuaſus ſit. Omnes, quas vberius recenſet obſeruatio- p. 19.
nes, demonſtrare videntur, hos montes quondam vi ignis ſubterranei ex mari eſſe elatos. Etenim lapidi calcareo, et arenario, quibus petrefacta copioſe inſunt cincti ſunt hi montes, atque veſtigia offerunt lauas et ſummitates montium per haec ſtrata calcarea et arenacea eſſe proruptas atque exaltatas.

SCHVBARTI *cogitata et experimenta, quae agri-* p. 21.
culturae correctionem ſpectant. Herbarum pabularium culturam ſuadet, atque impedimenta, quibus haec et aliarum vtilium plantarum cultura prohibeatur, narrat; quae quidem vt tollantur optandum eſt.

EIVS-

p. 30. EIVSDEM *de cultura Nicotianae tabaci*, et *Rubiae tinctorum*, vt et *Betae altissimae*.

p. 44. LAXMANNI, academici Petropolitani, *breuis de quibusdam montibus in Russia europaea sitis relatio*. Sunt calcarei stratosi per totam Ingermanniam. Iuxta fluuium *Wig* granitei incipiunt montes.

p. 47. Versio programmatis: *de agri noualis cultura et ratione pecudes in stabulis pascendi*, Auctore N. G. LESKE: in vsum oeconomorum germanicorum hunc tractatum Auctor ipse vertit et obseruationibus quibusdam auxit.

p. 76. DAVBENTONI dissertatio, qua nonnullos maxime periculosos ouium morbos describit, et quae pharmaca maxime salubria sint, proponit: ex primo volumine commentariorum societatis medicae Parisiensis versa et quibusdam annotationibus aucta a N. G. LESKE. Morbi descripti dicuntur: aestus (*la chaleur*), ortus a nimio temperiei calore, cui venaesectio in gena opponitur: et scabies, quam optime tolli ait Auctor vnguento, ex adipe recenti et oleo terebinthinae parato.

p. 88. *Tentamen doctrinae de sono et tono*, Auctore C. B. FUNK. Distinguit Cl. Auctor sic inter sonum et tonum, vt *sonum* nihil *esse* dicat, nisi *effectum celeriter tremulantis motus elastici corporis: tonum* autem *oriri, si ab elastico corpore in temporis determinato spatio similares vel contemporaneae vibrationes, et quidem plures perficiuntur, quam ad edendum sonum requiruntur*. Id quod experimentis Cl. Auctor demonstrat.

p. 96. Obseruationes meteorologicae, ianuario, februario et martio anni 1781 institutae a D. SCHMIEDLEIN.

P. II. In parte altera haec continentur.

p. 145. C. F. HINDENBVRG *difficultates, quae doctrinam linearum*

linearum parallelarum premunt nouo earum ſyſtemate tollere tentat.

IO. C. GVIL. VOIGT quaedam in LEHMANNI *hiſtoria montium ſtratoſorum* *) errata corrigit. Nempe in eo conſiſtit error, vt ſtrata lapidum eodem ordine ſibi inuicem impoſita eſſe crederet, quo in ſuperficie montium ſecum alternant, quod quidem interdum locum habet, ſed in longiori montium tractu facile in errorem ſeducit. Fieri enim ſolet, vt lapis montium primigenius in altioribus tum quoque in decliuioribus locis promineat et in ſuperficie montium appareat; quod ſi iam modo, a LEHMANNO adhibito, vtaris, eueniet, vt ſtrata lapidum ſecundaria ſ. poſterioris aeui ſub lapide primigenio poſita videantur. Atque hunc commiſit errorem LEHMANNVS in ſuo libro p. 163, cum montium ſtrata ad radicem Hercyniae poſita enumeraret. Cl. Auctor igitur, vt haec ſua aſſerta in clariorem lucem poneret iconiſmum addidit, quem cum icone Lehmanniana comparat, atque ſic obſeruatis et icone conſtat, vero ſimiliorem longe Cl. Auctoris eſſe ſententiam, atque apprime cum obſeruatis in aliis regionibus inſtitutis conuenire. p. 169.

Noua methodus, venarum extenſionem primariam inueniendi, Auctore IOANNE FRIDERICO LEMPE. p. 187.

Super remediis, atmoſphaeram in vrbibus et domiciliis purificandi, ſicque morbos inficientes modo facillimo praecauendi, Auctore Cl. SELLIER **). Ipſa remedia inter doctos diu cognita, in vulgus tamen negliguntur. Suadet Auctor, vt cimelia et noſocomia extra vrbium muros exſtruantur, vt in plateis latis arbores implantentur, vt domicilia ampla ſint, p. 201.

*) Inſcribitur liber: LEHMANNS *Verſuch einer Geſchichte von Flözgebirgen. Berlin* 1756.

**) Inſerta eſt haec tractatio, *Journal encyclopédique ou univerſel*, année 1781. pag. 502.

ſint, et libero aëri acceſſus pateat, quem in finem igne accenſo aerem in conclaui contentum in motum cieri ſuadet, vt ita ſemper nouus accedat aer.

p. 210. Cl. FVNK continuat ſuas *de ſono et tono* cogitationes, easque mathematicis formulis corroborat, atque ad muſicen applicat.

p. 228. Cl. SCHMIEDLEIN pergit *obſeruationes meteorologicas* menſium aprilis et maii, et iunii tradere.

P. III. Partis tertiae diſſertationes ſunt.:

p. 297. *De vera origine partium maſcularum in plantis, anatomica Colchici autumnalis diſquiſitione illuſtrata*, Auctore IOANNE HEDWIG. Negat Cl. Auctor praeſertim illud LINNEI aliorumque effatum, iuxta quod ex cortice plantarum calix, ex libro corolla, ex ligno ſtamina, atque ex medulla piſtillum oriri debet. Medulla ſic dicta plantarum Noſtro minus neceſſaria videtur, neque quidquam contribuere ad gignendum fructum. Etenim in pluribus arboribus, vel medulla deſtructa, oriuntur rami flores fructusque proferentes. Itaque a communi vaſorum fonte, quae per omne plantarum corpus penetrant, atque praeſertim in cortice caulis poſita ſunt, vaſa ſpiralia ſecedunt, atque, vti alias partes, ſic quoque ſtamina gignunt. In plantis, quarum vaſa ſuccifera tandem lignoſa fiunt, dici poteſt, ſtamina oriri a vaſis, quae ſucceſſu temporis lignoſa fiunt, ſed ab his quoque calix, corolla, et piſtillum oriuntur. Atque hanc ex vaſis ſpiralibus originem demonſtrat Cl. Auctor ex origine ſtaminum in flore *Colchici autumnalis*, cuius eapropter addidit egregiam iconem, in qua integra planta, praeter folia, tum praeſertim interior vaſorum ſtructura diſtincte et pulchre repraeſentatur.

p. 320. SCHVBARTI litterae ad Prof. LESKE *de herbarum pabularium cultura*. Demonſtrat Cl. Auctor, oeco-

oeconomiam, vel optimam, ſine cultura *Medicaginis ſatiuae, Hedyſari Onobrychidis*, et *Trifolii pratenſis* mancam eſſe.

Annotata ad nouum linearum parallelarum ſyſtema, Auctore Cl° HINDENBVRG. p. 342.

Cl. KAESTNER in eo EVCLIDIS elementa praeſtare putat prae bibliis, quod in his varia mutata, addita, et omiſſa ſint, illa autem integra atque immutata manſerint. p. 372.

Obſeruationes meteorologicae, iulio, auguſto et ſeptembri *inſtitutae* a Cl° SCHMIEDLEIN. p. 373.

Quarta pars comprehendit: P. IV.

De longiori vita ſexus muliebris, prae virili, Auctore P. P. GVDEN. p. 433.

FRANC. CHRIST. IETZE proponit *regulas geometricas, quibus diſtributio communium fundorum facillime expediri queat.* p. 448.

Cl. OBERREIT indicat *ſingularem transmutationem ſerierum ex euolutione binomiali orta, eiuſque vſum in fractionibus continuis.* p. 455.

Cl. FVNK doctrinam *de ſono et tono* continuat. p. 463.

De natura montis prope a pago Friedelshauſen, *in* Ducatu Meiningenſi *ſito*, agit C. F. KESSLER VON SPRENGSEYSEN. Inueniebatur in eo lignum bituminoſum, vt ideo ſuſpicio oriretur lithanthraces ſub hoc repoſitas eſſe. Facto tentamine ſuperficies montis fruſtis baſalticis aliisque vulcanicis productis argilla arenoſa mixtis tegebatur, tum argilla ſequebatur, cui lithanthrax hinc inde inſperſus erat, atque haec quidem argilla per altitudinem quadraginta perticarum continuabat. Vlterior diſquiſitio facta non eſt. Exiſtimat Cl. Auctor hunc argillaceum montem eſſe productum a vicino quondam igniuomo monte atque cineres vulcani aggregatos, deinde aqua madefactos in argillam mutatos eſſe. p. 472.

De

p. 476. De principio vitali, organisatione et affinitate animalium, Auctore Cl° DICQUEMARE *). Animalcula marina considerat Cl. Auctor, quae iridis portatores (*porte-iris*) nominat**), eaque tota ex neruis, pauciſſima materia corporea coniunctis, conſtare ait, atque a zoophytis omnino ſeparanda eſſe contendit. Exponit deinde copioſius horum aliorumque vermium marinorum, e. g. Actiniarum, Tubulariarum, phaenomena, quae circa nutritionem, atque propagationem ſeſe offerunt, atque exinde mirabilem eorum ſtructuram totam fere nerueam cognoſci aſſerit, quae, ſi diligentius inquirerentur, naturam neruorum, fluidique neruei, actionumque animalium magis magisque illuſtrarent.

p. 492. *Obſeruationes meteorologicae*, octobri, nouembri et decembri *inſtitutae*, a Cl. SCHMIEDLEIN.

Praeterea in hoc volumine recenſentur ſpecialius et vberius ſequentes libri phyſici: GERHARDI hiſtoria regni mineralogici. FABRICII ſpecies inſectorum. FUESSLY promptuarium entomologicum et Archiuum. PAVLLAE VON SCHRANK enumeratio inſectorum. WIEGLEBI chemia et tentamina cum ſalibus alcalinis. Nouae ſeptentrionales ſymbolae editae a Cl° PALLAS. Promptuarium noua phyſica colligens editum a Cl° LICHTENBERG. BLOCHII ichthyologia. GLEICHENII obſeruationes microſcopicae. SCHMIDELII icones plantarum. O. F. MÜLLERI hydrachnae. Comitis DE SICKINGEN tentamina cum Platino inſtituta. Tractationes phyſiographicae ſocietatis Lundenſis. Mittimus libros mathematicos et oeconomicos. Cenſurae in eo etiam a reliquis diſtinguuntur, quod Auctores nomina profeſſi ſint.

Tracta-

*) verſa ex *Journal des Savans. Iul.* 1781.

**) vberius deſcripſit eadem in ROZIERI diario, inſcripto *Journal de Phyſique*. Tome VI. Octobr. 1775. p. 321.

Tractatus voluminis secundi in annum millesimum septingentesimum octuagesimum secundum sunt sequentes — Annus 1782. P. I.

Super plano inclinato, habita simul frictionis ratione, differit ABRAH. GOTTH. KAESTNER. — p. 1.

Descriptio Echini aculeis sceptriformibus, auctore Cl° KAEMMERER. Noua videtur species, quae *Echino Cidari* LINN. s. *Cidari papillatae* KLEINII propinqua est. Icon egregia illustrat accuratam descriptionem. — p. 16.

De reditibus annuis vitalitiis, et delectu tabularum mortuos indicantium subducendis rationibus idonearum, Auctore Cl° GVDEN. — p. 24.

De caussis cur mancipes bonis cedere cogantur, praesertim in Saxonia, Auctore CHRIST. AVG. WICHMANN. — p. 55.

Disquisitiones super noui, anno 1781 *detecti planetae tramite*, Auctore Cl° HENNERT. — p. 153.

Mineralogicae obseruationes institutae in itinere versus Blankenburgum a Perill. F. W. H. *v.* TREBRA. Spectant eaedem magis declarandam montium naturam. Itaque Cl. Auctor lapides montium in diversis hoc tractu indicatis locis eorumque situm et naturam sedulo et diligenter describit; sic tamen, vt haec lapidum successio ex ipsa tractatione repetenda sit. Occurrit in his montibus schistus argillaceus, iaspis niger, qui granitae incumbit, imo intime cum eodem coniunctus est. Tum sequuntur montes calcarei, iterumque in maiori altitudine strata iaspidea et schistosa. Prope a *Blankenburgo* lapis arenaceus montes constituit, cui insunt foliorum vestigia. Iam describit cognitam et celebrem illam speluncam Baumannianam, quam quidem absque diluuio ortam esse existimat. Neque frusta rotundata marmorea, in eadem copiose inuenienda, aliunde huc lata esse indicant, etenim — p. 173. p. 178.

aqua aereque ſoluta maſſa calcarea cito margines acutos amittit, atque ſic etiam oſſa incruſtata non natura, ſed plerumque ab hominibus, portentoſa affectantibus, huc lata ſunt, vt fraude hac quaeſtum capiant. Originem ſtalactitarum egregie obſeruavit Cl. Auctor. In *Budae* fluuii littore meridionali ſtratum marmoreum inſidet ſaxo cinereo, in Hercynia inferiori vulgari. In hoc iugo marmoreo
p. 185. venae extenſae mineram ferri praebent. Verſus *Andreasbergam* iter proſequens graniten in arenam aëre diſſolutum animaduertit, cui deinde ſchiſtus argillaceus, ad duritiem iaſpideam accedens, impoſitus eſt. Notatu digniſſima eſt Cl^i Auctoris obſeruatio, ſtrata ſchiſti hic non, vti alibi, eſſe horizontalia, ſed obliqua et fere perpendicularia, atque alibi extenſioni venarum ad angulum rectum occurrere, alibi vero cum iisdem venis parallela extendi: vt adeo hactenus vniuerſaliter aſſumta regula, venarum deſcenſum ſemper ſitum ſtratorum, montes componentium, transſecare, his obſeruationibus multum limitetur, neque amplius ſigno characteriſtico inſeruire poſſit.

p. 190. *De vſu gypſi ad agros et praeſertim prata fertiliora reddenda*, experimenta Cl^i SCHVBARTI.

p. 217. *Epitome diarii in itinere per Luſatiam ſuperiorem* facto a N. G. LESKE. Promiſit Auctor vberiorem huius itineris hiſtoriam, quod ad indaganda naturae producta, et ad illuſtrandam Saxoniae hiſtoriam naturalem ſuſcepit. Prodromi inſtar igitur hanc, ſuaſu amicorum, publici iuris fecit epitomen, vt earum, quae obſeruauerit, ſummam quaſi traderet. Spectant hae obſeruationes omnem zoologiam, tum praeſertim phyſicam mineralogicam, mores incolarum, et oeconomiam. Nos autem, cum ſperandum ſit, ipſam itineris hiſtoriam proxime proditurum eſſe, abſtinemus ab vberiore recenſione

sione huius epitomes, id vnum tantum indicantes, manifestissima inuenisse Auctorem vestigia, montes Lusatiae basalticos, olim fuisse igniuomos.

Cl. KAESTNER defendit OCCAM dicentem, *punctum esse lineae, lineam superficiei, superficiem corporis priuationem.* Nempe priuationem interpretatur per limitem. p. 224.

IO. AVGVSTINI KRITTER *obseruationes experientia collectae de mortalitatis virorum et mulierum discrimine.* p. 281.

GODOFR. CHRISTOPH. BEIREIS *de laruis* cynipedis, *quae radices brassicae napi corrodunt*, hocque ipso morbum huius plantae efficiunt. p. 314.

IOANNES HEDWIG *notionem radicis plantarum melius definit, atque inprimis* Colchico autumnali *illustrat.* Nempe bulbos plantarum atque caudicem descendentem plantarum minus recte radices dici; sed esse potius *corpus plantae*, quod per totam plantae vitam duret et continuet, reliquis partibus, caule, foliis, flore, temporariis. Radicis nomen igitur fibrillis tantum dandum esse. Id quod docte ex similitudine cum animalibus et ex natura plantarum ipsarum demonstrat. p. 319.

Cl. HINDENBVRG *super furno nouo chemico* a Cl° BLACK *exstructo;* ea, quae annotanda, illustranda, addenda et corrigenda in descriptione huius furni a Cl° REVSS edita*) videbantur, proponit. p. 341.

Inprimis operam dedit, vt furni Blackiani quae sit praestantia liquido appareret, externum ipsius habitum simul et internum, partium singularum fabricam, figuram, situm, compositionem sollicite rimando. Antecellit opus Blackianum Registrorum maxime, quae adhibuit, delectu et recto vsu, quem, proposita variationis tabula, ostendit Cl. HINDENBVRGIVS. Registrorum effectus in producendis

*) vid. comm. nostr. supra p. 159.

dis caloris gradibus definitis ad calculos reuocauit, adhibitis ſerierum ex genere parabolico interpolationibus, adhibita etiam linearum ipſarum conſtructione longe facillima. Plura denique propoſuit notatu digna, etiam coniecturas veriſimiles; quae omnia vt attendat et in vſum conuertat, cum ipſo furno Blackiano experimenta capturus geometra-chemicus, vehementer optamus.

p. 413. Cl. SCHVBARTVS exemplis docet conſuetudinem ruricolarum, arua per annum tertium quemvis non colendi, ſed paſtui boum et ouium tribuendi, maximum eſſe oeconomiae vitium et peſtem quaſi, qua vniuerſae regiones inficiantur.

p. 472. Cl. KAESTNERVS refellit opinionem quorundam, qui in ſtalactitis ſpeluncae Baumannianae 20000 ſtrata numerari poſſe perhibentes, exinde collegerunt, hunc orbem terrarum totidem annis abhinc ſaltim iam conditum fuiſſe. Neque enim tot ſtrata in illa ſpelunca quis numerauit, neque exinde ad aetatem mundi aliquid colligere licet.

Obſeruata in itinere per ducatum Koburgenſem inſtituta enarrat Cl. KESSLER DE SPRENGSEISEN. Spelunca quaedam, *Zinſelloch* dicta, deſcripta et depicta eſt. Stalactitis eſt plena, et integrum mon-
p. 479. tem quaſi transfodit. Deinde montis iuxta *Stokheim* prope a *Kromach* lithanthraces in ſtratis offerentis ſtructura eſt ſingularis. Strata enim lithanthracum in hac parte ſunt horizontalia, in illa vero obliqua, alia maſſa lapidea intercedente, quaſi diſſecta; quam diſruptionem vi ignis ſubterranei factam eſſe coniicit.

Obſeruationes meteorologicae per omnes dies Lipſiae inſtitutae a Cl° SCHMIEDLEIN, et corollaria generaliora ex iisdem etiam hoc in volumine, vt in priore, ſingulae parti adnexae ſunt.

Librorum phyſicorum, hoc in volumine iudicatorum et diſquiſitorum titulos ſubiungamus:

CAROSI

CAROSI itinera per Poloniam Vol. I. HEDWIGII fundamentum hiſtoriae naturalis muſcorum frondoſorum: LAICHARTING catalogus inſectorum Tyrolenſium. FÜESSLY promptuarium et archivum entomologicum. Reliquiae Houſtounianae. HERMANNI itinera per Auſtriam. MERREM tractatus zoologici. — Mittimus reliqua.

XXIV.

HIPPOCRATIS *Werke aus dem Griechiſchen überſezt und mit Erläuterungen von D.* IOHANN FRIEDRICH CARL GRIMM, *etc. Altenb.* 1781. *Erſter Band,* 504 *Seitt. in* 8.

h. e.

Opera Hippocratis e Graeco verſa, a IOANNE FRIDERICO CAROLO GRIMM.

Quanquam noſtris temporibus metagraphomania in animis plerorumque ita alte inſideat eoſque teneat, vt, quicquid in manus inciderit, ſtatim in vernaculam cum damno literarum tranſuertant linguam, atque adeo in omnes auctores claſſicos graecos et latinos, qui tantummodo ab exercitatiſſimis et elegantiorum literarum doctiſſimis explicari intelligique queant, furore illo perciti ſaeviant atque ſtrages multorum ſaeuiſſimas perficiant; tamen non reprehendendi ſunt, quin imo laudandi quam maxime, qui ſuum ſtudium ſuamque operam medicis graecis dicant conſecrantque, illorumque libros non illotis, quod aiunt, manibus tangunt, ſed medicarum rerum copia et linguae graecae latinaeque notitia et intelligentia inſtructi refertique puris accedunt manibus. Magnum enim inter medicos veteres et auctores claſſicos intercedit diſcrimen, quia planius et dilucidius res tra-

ctarunt ſuas, ita vt interpretatione verum ac genuinum auctorum ſenſum poſſis aſſequi facile. Quod quidem bene ſenſit Cl. GRIMMIVS atque idcirco non incaſſum ſuas horas ſubſeciuas huic medicorum principi tribuit. Ipſa ſiquidem praefatio iam docet interpretem doctum graecarum literarum eſſe verſatiſſimum, ſeſeque huic cum ſucceſſu accingere potuiſſe operi; quae enim de ſcribendi genere HIPPOCRATIS monuit, et fragmenta vitae eiuſdem ſtudioſe collecta declarant eum eſſe interpretem non vulgaris eruditionis, et qui interdiu noctuque verſatus ſit cum illo ſene Coo, eiuſque aureis praeceptis, et ipſa interpretatio, obſeruationesque ad calcem libri vberius eius in Hippocratem praedicant merita.

Cum reliquis autem viris doctis MERCVRIALI, GRVNERO aliiſque bene libros genuinos HIPPOCRATIS a ſpuriis diſtinxit: nam, quum fama HIPPOCRATIS late ſparſa multos emtores ſuis libris conciliaret, reperti ſunt haud pauci, qui fame ſacra auri capti ſuos ingenii foetus adulteratos conſpurcatoſque pro HIPPOCRATIS libris venditarent aliiſque obtruderent, quod tamen a gnaris rerum arbitris poteſt intelligi perſpicique facile; genus ſiquidem ſcribendi, ordo et barbaries hinc inde conſpicua, et errores hic illicue ſparſi grauiſſimi produnt atque oſtendunt impudentiſſimos impoſtores ac ineptiſſimos. Conſilium igitur interpretis Cl. eo pertinuit potiſſimum, vt genuinos HIPPOCRATIS libros verteret atque, quantum fieri poſſet, ſuis illuſtraret commentariis. Hoc quidem in volumine praeprimis hos libros cenſurae doctorum ſubiecit virorum *L. I. de morbis epidemicis, L. III. de morbis epidemicis. L. prognoſeon. L. II. de eodem argumento aphoriſmos. L. de diaeta in morbis acutis. L. de aere aquis et locis, et obſeruationes ſuper L. I. et III.*

et III. de morbis epidemicis. Reliqua volumina ſequentes libros continebunt.

Vt autem lectores noſtri videant atque intelligant, quales ſint obſeruationes huic volumini ſubiunctae, quasdam adiicere iuuat. Sic bene μειρακίους vertit adoleſcentes, *junge Burſche*, νέους et νεανίσκους per viros iuuenes, *junge Männer* ab anno videlicet aetatis vigeſimo quinto vſque ad trigeſimum quintum: ſic APOLLONIO aliiſque paſſim νέοι vocantur milites in aetatis flore conſtituti atque veteranis opponuntur, et ἀκμάζοντες viros ab anno ſexto et trigeſimo vſque ad annum quinquageſimum quintum *Leute in den beſten Jahren*; ſed vim verbi non ſatis accurate expreſſam ſentimus, mallemus ſenſu medico *viros*, quorum corpus robur ſuum naturale attigit, quorum oſſa ſolidam ſuam accepere ſtructuram ac conditionem. Vocem πεπασμὸς p. 452. ſatis bene per *coctionem* interpretatur, quae, vti addit, ſenſu HIPPOCRATIS ea actio naturae eſt, qua durante morbo omnes noxiae res ita adaptantur, ſecernuntur atque praeparantur, vt e maſſa ſanguinea ſeparari atque euacuari poſſint. Vocabulum κρίσις explicat per ſtatum morbi, quo vel in melius vel in peius ruit, addendo eum fieri celerrime atque potiſſimum in morbis acutis. Ceterum qui doctas hac de voce obſeruationes legere cupit eum ablegamus ad RICHTERVM *). Non diſplicuit nobis diſtinctio, quam fecit Cl. Auctor inter ῥῖγος, ψύξις et φρίκη: dicit enim ῥῖγος eſt frigus cum corporis rigiditate coniunctum; ψύξις eſt frigiditas externa, quam aeger minus ſentit, quam adſtantes et corporis tangentes ſuperficiem; et φρίκη eſt horror corpus tantummodo leuiter tangens. Abſtinemus plura proponere ſpecimina, quum haec

p. 451.

p. 453.

p. 457.

 ſatis

*) in diſſ. de depoſitionibus criticis, in qua egregie diuerſos huius vocis collegit ſignificatus.

ſatis ſuperque doceant, qua ratione in interpretando aeque ac vertendo Auctor Cl. ſit verſatus, bona ſiquidem via ingreſſus eſt, ita vt deſiderio reliquorum voluminum teneamur.

XXV.

Elements of the practice of phyſic for the uſe of gentlemen, who attend lectures on that ſubject. Read at Guy's Hoſpital by WILLIAM SAVNDERS M. D. of the Royal College of Phyſicians and Phyſician to Guy's Hoſpital. Printed in Year 1780. 8. p. 136.

i. e.

Elementa medicinae clinicae auctore GVILIELMO SAVNDERS.

Continent haecce medicinae clinicae elementa*) in vſum auditorum conſcripta breuem praecipuis in morbis obuenientium ſymptomatum et curationum, ſecundum principia CVLLENII, cuius diſcipulus Auctor eſt, exaratam enarrationem, ſane breuem, ſed concinnam et perſpicuam. Praemiſſis pathologiae primis lineis ad febres et inflammationes procedit, quas omnino ex mente CVLLENII
p. 57. et Anglorum in vniuerſum explicat. In phthiſi a catarrho neglecto laudat inhalatorem *Mudgeſii*,
p. 79. in hectica phthiſi myrrham. Variolarum inoculationem ſuadet, quoniam infantes ſanos, anni tempus ad operationem et morbum ſubigendum eligere, eum, qui inoculandus eſt, diaeta et medicinis praeparare et conſuetas cauſas occaſionales remouere, mate-

*) Proſtat ap. *Caſp. Fritſchium* quoque huius libri lectu digniſſimi verſio: *Dr.* WILLIAM SAVNDERS *Anfangsgründe der praktiſchen Arzneywiſſenſchaft. Leipzig.* 1782. 8.

materiam eligere et aeri libero aegrum commode exponere poteris. Interdum conuenit in dyſen- p. 86.
teria inuoluere abdomen veſicatoriis. Natura hae- p. 88.
morrhagiae egregie deſcripta et in actiuam et paſ-
ſiuam diuiſa, monet martialia adhibendi non niſi in
haemorrhagiis primarum viarum locum eſſe. In p. 97.
hydrope laudat elaterium, colchicum et ſcarifica-
tiones. In aſthmate inprimis periodico exhibet p. 100.
emetica ad nauſeam tantummodo data. Ictericos p. 107.
ſanat ſucco fructuum Aurantiorum et Limonio-
rum, cuius vncias ſex pro doſi aegro praeſcribit.

XXVI.

Obſervations on the ſuperior efficacy of the red peruvian bark, in the cure of agues and other fevers. Interſperſed with occaſional remarks on the treatment of other diſeaſes by the ſame remedy. Third edition, with conſiderable additions and an appendix containing a more particular account of its natural hiſtory by WILLIAM SAVNDERS M. D. London 1783. 8. pagg. 188. ſine praefatione *).

i. e.

Obſeruationes ſuper ſingulari efficacia corticis Peruuiani rubri in febribus iutermittentibus et aliis. Auct. GVIL. SAVNDERS.

Suſpicatur Cl. Auctor corticem rubrum eſſe illum, cuius auxilio SYDENHAMVS, MORTONVS et horum contemporanei omnium optime et quam

 celer-

*) Proſtat huius libri verſio germanica ap. Caſparum Fritſch, cui quoque adiunctae ſunt obſeruationes de vſu corticis Mahagony auct. G. WILSON.

p. 21. celerrime febres profligabant intermittentes. Corticis rubri autem fruſtula craſſa ſunt intus rubra,
p. 23. atque quam maxime fragilia. Variis experimentis chemicis Cl. Auctor reperit huncce corticem multo plures reſinoſas et adſtringentes particulas continere, quam cortex tenuior contortus continere ſolet, ex quibus colligit, huncce corticem maiorem poſſidere vim adſtringentem atque antiſepti-
p. 36. cam. Auget cortex pulſus robur, minuit calorem febrilem, intendit calorem animalem, inhibet excretiones nimias atque putridam humorum indolem, emendat puris geneſin et conuenit quam ma-
p. 41. xime cum debilitate ſcrophuloſis corporibus. Laudatur porro cortex ruber in febribus inprimis intermittentibus ad multo minorem doſin, quam cortex communis tenuior, cinnamomeus, atque contortus et in primis eius infuſum, ſicuti et in rheumaticis et hecticis febribus.

p. 78. Mox litterae Virr. Cll. IACOBI, BOYS, BISHOP, Dr. WITHERING, SHERWIN, Dr. FOTHERGILL, RIGBY, Dr. MADDOCKS, SHIREFF, Dr. SIMMONS et AIKIN ſubiunctae ſunt, in quibus hi Cll. viri referunt de huius corticis rubri vtilitate et efficaci
p. 187. virtute. Inprimis Dr. SIMMONS multa commemorat, quae ad huius corticis hiſtoriam naturalem faciunt et ſimul narrat in terra Santa Fe nuper harum arborum ſiluam nondum antea cognitam detectam eſſe. Ex quibus omnibus ſequi videtur, corticem rubrum in febribus intermittentibus cortici tenui contorto ante ponendum eſſe. Sic et nobis relatum eſt, huius corticis eſſe magnam efficaciam in profligandis intermittentibus febribus ipſumque cum fructu adhiberi a STOLLIO Medico Celeberrimo Vindebonenſi.

Diſſ.

XXVII.

Diſſ. hiſtoriam catarrhi epidemici a. MDCCLXXXII. ſiſtens, Praeſide LAVRENTIO CRELL. Reſp. et auct. *Io. Fr. Languth.* Helmſtadii 1782. 8. pagg. 164.

Collegit diligentiſſimus huius diſſertationis Auctor ex omnibus diariis et ephemeridibus huius morbi catarrhalis hiſtoriam et auxit eandem ex litteris, quas eruditi ad Cel. CRELLIVM ſcripſerunt. Primo loco enarrat igitur morbi natales et p. 4. progreſſus per menſem aprilem, majum, iunium p. 18. et ſic porro, mox deſcribit morbi ſymptomata, inter quae praecipua ſunt: vertiginoſa capitis obnubilatio, dolor capitis ſuper oculis imprimis moleſtus, vniuerſalis quidam virium defectus, dolorificae in ſuris tenſiones, calores volatici verſus veſperam, tuſſis ſicca, coryza vehementi ſternutatione ſe prodens, oculi protruſi vel collapſi et quaſi vitrei, puſtulae ad naſum vel os, ſapor deprauatus, amarus, aluus adſtricta, raro laxa. Alia ſympto- p. 20. mata ſubito corripiebant aegros, quemadmodum excretiones per vomitum, deiectiones aluinae, calor vrens, dolor capitis vehemens, leuis ſomnus deliriis ſtipatus, ſudor copioſus leuans morbi vehementiam.

Haec erant morbi ſymptomata in adultis; in infantibus aliter ſe habebat natura morbi et facies, qui nimirum mitiorem plerumque patiebantur morbum. Senibus autem hicce catarrhalis morbus inprimis periculoſus erat et plerique ſumma virium debilitate afficiebantur et febre lenta veſpertina conſumebantur. Pendebat denique quoque morbi differentia a praegreſſis morbis et a varia complicatione. Sequuntur mox enarrationes epi- p. 26. demiarum Gieſſenſis, Hamburgenſis, Vitebergenſis,

Ful-

Fuldenſis, Berolinenſis, Lipſienſis, Halberſtadienſis, Vinarienſis, Ienenſis, Hannoueranae, Caſſelenſis, Helmſtadienſis, Brunouicenſis, Guelferbytanae, et aliorum locorum.

Nunc explicat Auctor catarrhi epidemici naturam et geneſin. Atque pertractata hiſtoria tempeſtatis ac praecipuis ſymptomatibus, proſtratione virium nimirum et fomitis bilioſi geneſi dilucidatis, morbi antiquitatibus nimis breuiter, vt nobis videtur expoſitis, ad medendi methodum procedit.
p. 21. Narrantur eapropter virorum doctorum curandi methodi, ex qua enarratione apparet, quod inprimis diaphoretica, laxantia, emetica indicandi locus erat, ſub finem morbi vero conducebant roborantia vinoſa.

XXVIII.

Programma de ſuffuſionis per acum curatione, Auct. D. CHRISTIANO FRIDERICO LVDWIG. P. P. Lipſiae 1783. 4. pagg. 24.

Propoſuit ſibi huius proluſionis Auctor, hiſtoria litteraria praemiſſa, argumenta, quae ſuffuſionis curationem per acum vel admittunt, vel improbant, ponderare et vbi lentem deprimere oporteat
p. 6. demonſtrare. Refutatis igitur argumentis, ſecundum quae chirurgi in depreſſione cataractae aponeuroſeos muſculi abductoris, neruorum ciliarium, proceſſuum ciliarium, ligamenti ciliaris et vaſorum choroideae laeſionem metuunt, diſrumpi in varias particulas depreſſam lentem enunciant, lentem in ipſa operatione in cameram anteriorem propelli vel ipſam depreſſam reaſcendere iterum et pondere ſuo vitreum humorem comprimere, circulum ciliarem retrahere et inflammationes procreare monent vel locum habere non poſſe depreſſionem, ſi

cata-

cataracta mollis vel ſemimollis ſit, obeſſe duram et indiſſolubilem cataractam viſui, internasque partes dilacerari affirmant; atque indicatis difficultatibus et incommodis, quae ob iridis vulnus eiusque prolapſum, ob humorem vitreum effluentem, ob velamenti lentis et inde pendentem proceſſuum ciliarium laeſionem ob corneae cicatrices, ob exſiccationem camerae anterioris poſt aquei humoris effluxum, ob nimiam ſaepe camerae anterioris anguſtiam, ob aërem cum impetu violento irruentem, ob inflammationes, quibus lippitudines naſcuntur, ſtaphylomata, quae a vaſculis vueae laeſis gignuntur, ob motum vueae laeſum, oculi mobilitatem, pupillam ſaepe nimis arctam, ſitum oculi nonnunquam nimis profundum in orbita cum lentis extractione coniunctae ſunt: depreſſionis commoda recenſet. p. 9. Conſeruatur nimirum ſuffuſionis per acum curatione pupilla, neque omnis humor aqueus egreditur, neque humor vitreus protruditur, inflammatio vel omnino praecauetur, vel modo minuta aliqua ſuboritur, habet curationis repetitio locum et in illo quoque aegroto, cui eſt pupilla arctior, camera anterior haud ſpatioſa et oculus in orbita nimis profunde deliteſcens ſuffuſio tuto demittitur. p. 10. Denique monet cataractas nonnunquam ſponte deſcendiſſe et lentes ipſas imminui et diſſolui, quod argumentum egregie aliorum obſervationibus et ſuis experimentis confirmat. p. 11.

Mox variorum chirurgorum acus aureas argenteas, chalybeas, planas, ſubulatas et ſic porro enumerat atque inter nuperiores POTTII et MOHRENHEIMII acus deſcribit. Habet POTTII acus manubriolum octangulare quatuor pollicum, tribus punctis albis eburneis in eo latere notatum, in cuius anteriori parte cuſpis eſt paululum eleuata; acus vero chalybeae ipſius longitudo eſt pollicum duorum p. 14.

duorum, qua partem posteriorem rotunda, qua anteriorem vero ex duabus iterum faciebus componitur, quarum quaelibet lineas duas lata est. Eligit inter illas acus Auctor illam, quae habet mucronem tenuatum latiorem, cuius margo inferior acutus, superior vero obtusior est, cum inferiori lentis velamentum scindit, dum obtusior reliquas partes a laesione defendit.

p. 17. Ad finem libelli exponit ipsam curandi per acum rationem, atque examinat casus, in quibus conueniat depressio, in quibus adhibenda sit extra-
p. 21. ctio. Deprimere eapropter lentem oportet, vbi camera oculi anterior nimis angusta est, vbi pupilla parua et coarctata, vbi cornea nimis laxa aut rigida est, vbi suffusio mollis est, vbi oculus profunde in orbita delitescit, vbi aeger aliqua humorum acrimonia
p. 22. detinetur. Succedit autem extractionis artificium egregie in illis inprimis aegris, qui nulla acrimonia, nulla idiosyncrasia irritabili, neque nimia laborant plethora, in istis, quibus est cornea elatior, mollis neque tamen laxa, camera anterior spatiosa, pupilla magna, oculus protuberans. Quae cum ita sint, Auctor quemlibet chirurgum in vtraque methodo exercitatum cupit, quia mox hanc, mox illam methodum praeferre congruum sit.

XXIX.

Noua physico medica.

Lipsica Iablonouiana societas in conuentu nupero sequentem quaestionem physicam proposuit; *Quaenam ex cognitis theoriis super origine, formatione et mutatione telluris est maxime probabilis, et quaenam sunt inprimis phaenomena, quae hypothesin Buffonianam vel confirmant, vel eidem repugnant?*

Optima

Optima de hac materie ſcripta latino idiomate diſſertatio moneta aurea viginti quatuor numorum aureorum pretio coronabitur. Diſſertationes mittantur ante *calendas nouembris* anni 1783 ad Profeſſorem CLODIVM, qui ſocietati eſt a litteris.

Berolinenſis ſocietas naturae ſcrutatorum hanc quaeſtionem propoſuit: Qualis ex omni botanica eſt deligenda et ad oeconomicos vſus transferenda plantarum cognitio, vt inde naturalis conditio, fertilitas vel mala indoles ſoli, in ſiluis, aruis, pratis et reliquis fundorum generibus recte cognoſcatur et ſufficienter definiatur, ſic tamen, vt ſimul temperiei, verae altitudinis et variantis ſitus ſoli, et climatis phyſici a ſtationibus maris ſuperficiei aequalibus ad ſumma vſque montana loca, quoad oeconomice tractanda ſunt, ratio habeatur. (*Welche Art der Pflanzenkenntniß zu ökonomiſchen Abſichten, aus der übrigen Gewächskunde iſt eigentlich diejenige, durch welche wir in den Stand geſezt werden, die natürliche Beſchaffenheit, Tragbarkeit, und Unart des Grundes in den Forſten, Feldern, Wieſen, der Weide und übrigen Grundſtücke, nach der verſchiedenen Ab- und Zunahme der Witterung und ſenkrechten Höhe, mit einer abwechſelnden Lage der Erdflächen, unter einen verſchiedenen phyſiſchen Klima, und zwar von dem niedrigſten Stande am Ufer des Meeres gerechnet, bis zu den anſteigenden allerhöchſten Gebirgsgegenden, ſo weit dergleichen nach ökonomiſchen Gründen zu nutzen ſind, richtig und hinreichend zu beſtimmen?*)

Omnes docti, ordinariis berolinenſis ſocietatis membris exceptis inuitantur ad illuſtrandam hanc quaeſtionem. Commentarii ſuper eadem ſcripti idiomate germanico, gallico aut latino, conditionibus conſuetis mittantur ante *iulii calendas* 1784, Berolinum cum inſcriptione: ſocietati naturam ſcrutantium amicorum. Optimo tractatui praemium quinqua-

quaginta imperialium concernetur, ipſeque tractatus actis ſocietàtis inferetur.

Academia regia ſcientiarum et elegantiorum literarum *Berolinenſis* in conſeſſu menſe *Maii* habito e diſſertationibus ſuper quaeſtione, *herbarum pabularium culturam* *) ſpectante, praemio 50 numorum aureorum condecorauit illam, quae ſymbolum habebat, *et inuida ſors me alit*, cuius Auctor erat I. C. SCHVBART, Conſiliarius aulicus, Dominus vicorum *Würchwitz*, *Pobles* et *Kreiſcha*. Aliis quibusdam commentariis praemia acceſſoria tributa ſunt.

Regia academia chirurgorum *Pariſina* in conſeſſu publico maio 1783 habito, praemium quaeſtioni *de influxu animi pathematum in morbos chirurgicos, et remediis mala eorundem effecta corrigendi* conſtitutum, tribuit Cl°. IOANNI BAPTISTAE BONNEFOY, collegii regii chirurgici Lyonenſis ſocio, cuius commentarius votis academiae fecerat ſatis. Alterum praemium tractatui concreuit, eandem quaeſtionem illuſtranti, cuius Auctor fuit Cl. TISSOT, artium magiſter in Pariſienſi vniuerſitate, M. D. et chirurgus. Praemium aemulatorium accepit Cl. VIGUERIE, chirurgus ſuperior in noſocomio Toloſano. Sic quoque propter communicata obſeruata practica notatu digna et vtilia Cl^i PERCY, SEGRETAIN, ESPIAVD, PETIT, et DALIGNON monetis aureis ab academia ſunt remunerati.

Eadem duas propoſuit quaeſtiones, alteram ad annum 1784, alteram ad 1785.

Prima quaeſtio haec eſt: determinentur variae conſtructiones ſpecillorum et ſolidorum, et ſulcatorum; indiceturque, quo in caſu admittenda reſpectu vniuscuiusque formae, et qua methodo adhibenda ſint. (*Determiner les differentes conſtructions*

*) vid. comm. noſtr. Vol. XXIV. p. 716.

ctions des ſtylets ou ſondes ſolides, & des ſondes cannelées, quels ſont les cas où elles doivent être admiſes, ſuivant leur forme particulière; & quelle eſt la méthode d'en faire uſage.)

Altera: Quo in caſu forfex inciſoria, qua plerumque male vti ſolent chirurgi, recte adhibeatur; quaenam ſint eius variae formae quoad diuerſas operationes; qua ex cauſſa haec inſtrumenta aliis ſint praeferenda, quibus ſimiliter partes continuae diuidi queant; et quaenam ſint methodi, eadem vtendi? (*En quel cas les ciſeaux à inciſion, dont la pratique vulgaire a tant abuſé, peuvent être conſervés dans l'exercice de l'art; quelles en ſont les formes variées, relatives à différents procédés operatoires; quelles ſont les raiſons de préférer ces inſtruments à d'autres, qui peuvent également diviſer la continuité des parties; & quelles ſont les diverſes methodes de s'en ſervir.*)

Praemium vnicuique quaeſtioni conſtitutum eſt moneta aurea quingentarum librarum Gallicarum pretio, iuxta fundationem Cl^{i} DE LA PEYRONIE. Commentarii, latine aut gallice ſcripti, mittantur, modo alias conſueto et a nobis ſaepe indicato, ſolutis vectigalibus ad Cl^{um} LOUIS, qui eſt a ſecretis Academiae. Exteri ſimul monentur, non ſufficere, ſi pro litteris et commentariis vectigalia ſoluant vſque ad limites Francogallicos, ſed opus eſſe, vt cuidam in Galliae finitimis oris degenti ſolutionem vectigalium vſque ad ipſas Pariſiorum Lutetias committant; alias enim commentarii non ad certamen admittuntur. Caeterum commentarii mittendi ſunt ante finem anni 1783 et 1784.

Praeterea quoque in ſeſſione publica, quae poſt Paſchatis feſtum ſinguli anni habebitur, praemium aemulationis, a Cl^{o} DE LA PEYRONIE fundatum, concernetur *illi chirurgo*, vel *extero*, vel *prouinciali*,

qui ad academiam *miſerit, optimum tractatum chirurgicum* quemcumque, anno praecedenti ſcriptum.

Regia ſocietas medica *Pariſina* ex commentariis, qui ad quaeſtionem: *quae feminae a lactatione infantum abſtinendae ſint* *)? ad ſocietatem miſſi ſunt, tractatum, quem Cl. LANDAIS conſcripſit, praemio ornauit.

In conſeſſu publico *eiusdem* ſocietatis d. 11 martii 1783 habito, legerunt:

Cl. GIROD commentarium de inoculatione.

Cl. VICQ D' AZYR elogium b. DE MONTIGNY, et b. DU HAMEL.

Cl. LAVOISIER commentarium ſuper effectis aetheris vitriolici, et aetheris nitroſi in corpore humano.

Cl. JEANROI de lactatione artificiali infantum.

Praeterea haec relata ſunt: Quod attinet quaeſtionem *de methodo hydrophobiae medendi* **), quamvis anno 1781, quo praemium diſtribuendum erat, nullo ad ſocietatem miſſo tractatu ad eandem omnino eſſet reſponſum, tres tamen Auctores praemio, inſtigatorio quaſi, 100 librarum Gallicarum ſocietas donauit; ipſam autem praemii diſtributionem in hunc annum diſtulit. Ex quindecim ad ſocietatem miſſis commentariis plures votis ſocietatis ſatisfecerunt ita, vt collectae in iisdem obſervationes, collatae cum Cl^i ANDRY tractatu *ſuper hydrophobia*, rem fere abſoluiſſe viderentur. Tres commentarii a ſocietate praemio coronati ſunt: Prioris Auctor eſt Cl. ROUX, chirurgus ſuperior noſocomii Diuionenſis, iſque accepit monetam auream, 600 librarum gallicarum pretio: ſecundus a Cl^o CAUDOT, medicinae doctore, ſcriptus, et tertius auctore Cl^o BOUTEILLE, medicinae doctore, ſocietati a litterarum commercio in *Manoſque* Provinciae,

*) vid. comm. noſtr. Vol. XXIV. p. 537.

**) vid. ib. Vol. XXII. p. 724.

vinciae, ſingulus moneta aurea, 300 librarum valore, ornatus eſt. Laudantur praeterea tractatus Cll^orum BONNEL DE LA BRAGERESSE, med. doctoris et phyſici vrbis *Mende* in *Gévaudan*, MATHIEU, chirurgi et ſocietatis correſpondentis in *Conze* Sarladouiae, et METZLER, med. doctoris, conſiliarii et archiatri Comitis de Biſſingen Nippenburg.

Anno 1781 ſocietas propoſuerat commentario, quo *ſigna diſpoſitionem ad phthiſin pulmonalem indicantia* etc. *), optime determinarentur, praemium 600 librarum gallicarum. Quod quidem praemium reportauit Cl. BAUMES, M. D. ſocietatis medicae Pariſinae, et academiae ſcientiarum Diuionenſis correſpondens commentario docto et vberius exarato. Duo alii tractatus, quorum alter Cl^um BONTÉ, M. D. et ſocietatis Coutancii in Normandia florentis membrum, auctorem habet; alter a Cl^o RAYMOND, med. doctore, et ſocietatis maſſilienſis membro ſcriptus eſt, praemia ſucceſſoria (*l'acceſſit*) acceperunt. E reliquis commentariis, qui coniunctim, ex iudicio ſocietatis, theoriam de praeſeruandi et phthiſi medendi ratione effecturi ſunt, laudantur ii, quorum auctores ſunt, Cll. JAUBERT, LAUGIER, MARX, CHAVET, BOUTEILLE, et LE JAU, omnes medicinae doctores.

Epidemicorum morborum grauium, anno 1779 et anno 1782 graſſantium deſcriptiones, adhibitarumque methodorum relationes praemiis ornare conſtituerat ſocietas. Igitur ex miſſis ad eandem ſuper dyſenteria 1779 epidemica relationibus commentarios Cll^orum DURAND, BOUGOURD, CHIFOLIAU et BAGOT, moneta aurea remunerauit. De febri exanthematica miliari, Caſtellinaudarii et Toloſae praecipue frequenti, tam bene egerunt medici harum regionum, vt ſocietas medicae facultatis Toloſanae,

*) vid. c. n. Vol. XXIV. p. 718.

medicis Caſtellinaudarenſibus, monetas duas, quarum ſingula 100 librarum pretium aequaret, concerneret. Praeterea tractatus Cl^i PUJOL, et Cl^i BARRERE moneta aurea honorati ſunt. Laudantur inſuper Cll^orum MARMIER, VALLE'S et MATHIEU obſeruationes ſuper eodem argumento.

His propoſitis nouas quaeſtiones indicauit ſocietas.

1. Definiatur nexus, qui ſit inter hepatis conditionem et morbos cutaneos; quo in caſu bilis vitia, quae ſaepius hos morbos comitantur, eorum vel cauſſae, vel effecta ſint; indicentur ſimul ſigna, quibus influxus horum morborum in ſe invicem cognoſcatur, atque medendi ratio, quae huic opponenda ſit, (*Determiner quels ſont les rapports qui exiſtent entre l' etat du foie & les maladies de la peau, dans quels cas les vices de la bile, qui accompagnent ſouvent ces maladies, en ſont la cauſe ou l' effet; indiquer en même temps les ſignes propres à faire connoître l' influence des uns ſur les autres, & le traitement particulier que cette influence exige*)?

Praemium, a rege fundatum, optimo tractatui tributum, eſt 600 librarum gallicarum. Commentarii mittantur ante *calendas maii* anni 1784.

2. Quinam ſunt ex morbis vel acutis, vel chronicis, ii, qui vere contagioſi habendi ſunt: quibusnam mediis vnusquisque eorundem ab vno individuo communicatur alteri, et qua methodo progreſſus harum contagionum impeditur? (*Determiner quels ſont parmi les maladies ſoit aiguës, ſoit chroniques, celles qu' on doit regarder comme vraiment contagieuſes par quels moyens chacune de ces maladies ſe communique d' un individu à un autre, & quels ſont les procédés les plus ſurs pour arrêter les progrès de ces differentes contagions.*)

Optat ſocietas, vt, qui ad hanc quaeſtionem reſpondere velint, in vnoquoque morbo praecipue ratio-

rationem habeant contagioſae indolis. Commentarii ſuper hac quaeſtione mittendi ſunt ante *calendas ianuarii* anni 1785. Praemium, fundatum a Perill. LENOIR, eſt 600 librarum gallicarum pretio. Caeterum ad quaeſtionem, anno 1782 propoſitam, *an ſcorbuto indoles ſit contagioſa*, etiamnum reſponſiones ad ſocietatem mittere licet, quum in proxima, quae ſubſecutura eſt, ſeſſione, ſocietas de praemiis huic quaeſtioni conſtitutis decernet.

3. Iuxta fundationem priuati anonymi, qui diſquiſitioni morborum infantilium praemium decreuit, quaeritur: Quinam ſunt in Gallia abuſus in educatione infantum phyſica praecipue corrigendi, quonam regimine ſolida corporis infantilis roborantur, et morbi infantum praecauentur, habito reſpectu conſuetudinis et temperiei? (*Quels ſont en France les abus à réformer dans l' éducation phyſique, & quel eſt le régime le plus propre à fortifier le temperament & à prévenir les maladies des enfants, en égard aux uſages & aux différentes températures.*)

Conſiderentur infantes ruri degentes, et in vrbibus, pauperes, et diuites, etiam ii, qui in ſcholis magno in numero vniti ſunt. Praemium 600 librarum gallicarum valore optimo commentario conſtitutum anno 1784 diſtribuetur, quapropter ante *calendas maii* eiusdem anni tractatus mittendi ſunt.

4. An morbus, nomine *anginae membranaceae* ſeu *polypoſae* cognitus, et a Cl° HOME, anno 1765, et a MICHAELIS an. 1748 deſcriptus, in Gallia inueniatur; in quibusnam prouinciis ſit obſeruatus, quibusnam ſignis diagnoſticis ab aliis morbis analogis diſtinguatur, et quae methodus eundem ſanandi ſit adhibita? (*Si la maladie connue en Ecoſſe & en Suede ſous les noms de* Croups, *ou d'* angina

membranacea ſeu polypoſa, *& qui a decrite principalement par les docteurs* HOME *en* 1765, *&* MICHAELIS *en* 1778, *exiſte en France; dans quelles provinces on l' a obſervée; par quels ſignes diagnoſtics on l' a diſtinguée des autres maladies analogues & quelle méthode de traitement on a employée pour la combattre?*)

Praemium incitatorium dabitur optimis tractatubus anno 1784; ſi commentarii ante *calendas maii* eiusdem anni fuerint miſſi.

Omnes commentarii mittantur, ſolutis vectigalis, ad Cl. VIC D' AZYR, qui ſocietati eſt a litteris, modo et legibus conſuetis.

Academia ſcientiarum artium et bellarum litterarum *Diuionenſis* retulit, ſe, cum nullus adhuc commentarius *ſuper ſaponibus acidis* *) ad eam miſſus ſit, praemium huic quaeſtioni conſtitutum, reſeruaturam eſſe eidemque daturam, qui quocumque demum tempore ſatisfecerit votis Academiae.

Collegium regium medicum *Nanceianum* propoſuit in annum 1784 ſequentes quaeſtiones: Quaenam ſunt in aquis niuis et glaciei, ſoli cretacei et gypſei, qualitates, quibus eae inſalubres redduntur? Quaenam ſunt affinitates et differentiae harum dictarum aquarum dulcium, habito reſpectu compoſitionis earundem chemicae et effectorum diaeteticorum? Cur non omnes aquae, cretam vel gypſum continentes, aut niue et glacie fuſis productae ſunt inſalubres? Cur duae priores, adeo plurimis rationibus diuerſae a duabus poſterioribus, analogos effectus producunt? Quanta eſt earundem vis, vel communis, vel relatiua, in producendis morbis quibusdam endemiis, praecipue ſcrophu-

*) vid. c. n. Vol. XV. p. 708. XVII. p. 349. XVIII. p. 151. XXII. p. 343.

IO. CHPH. LEHMANN diſſ. de terra foliata Tartari antimoniata eiusque viribus medicis. Hal. 4.

IO. LEMANN diſſ. de cholera. Edinb. 4.

IO. HENR. LEIDENFROST diſſ. ſiſtens hiſtoriam medicam de balneis frigidis ſanitatis cauſa, Duisburg. 4.

C. P. LEPORIN diſſ. inaug. de hypopio, Gotting. 4.

Anmerkungen über die künſtliche Trennung der Schambeine bey ſchweren Geburten von D. ** LEPPENTIN *Hamb.* 8. (Quae hactenus in lucem edita ſunt de ſynchondrotomia pubis in partu difficili, VAN DOEVEREN praeſide, collegit MICHELL huius operationis commoda et incommoda recenſuit et diiudicauit in ſua diſſertatione *v. c. noſtr. Vol. XXIV. p.* 650.)

EIVSD. *Gedanken über die veneriſchen Krankheiten, ib.* 12.

C. C. LERCHE obſeruationes de cancro mammarum. Gotting. 4.

LE ROI vid. ROI.

NATHAN. GODOFR. LESKE progr. de agri noualis cultura. Lipſ. 4. (cf. ſupra p. 316.)

P. LEVELING praeſtantia chirurgiae ad illuſtrandam medicinam oratione Academica expoſuit. Monach. 4.

Herrn LEVRET *Kunſt der Geburthshülfe nach den*

Geſetzen der Bewegung und Naturlehre, 1ſter Theil. Aus dem Franzöſiſchen überſetzt von D. CHRIST. FRID. HELD *2te, vermehrte und verbeſſerte Ausgabe. Leipzig.* 8.

G. V. LICHTENSTEIN *entdeckte Geheimniſſe oder Erklärung aller Kunſtwörter und Redensarten bey Bergwerken und Hüttenarbeiten. Nach alphabetiſcher Ordnung in 2 Theilen, Helmſt.* 8.

G. CHPH. LICHTENBERG de noua methodo naturam ac motum fluidi electrici inueſtigandi commentatio prior, Goetting. 4.

LIUETAUD *Inbegriff der ganzen mediciniſchen Praxis.* (v. comm. noſtr. Vol. XXIV. p. 559.)

Flora Scotica. By JOHN LIGHTFOOT. Lond. 8. Voll. 2.

LINNEI genera plantarum per I. I. REICHARD. (*v. comm. noſtr. Vol. XXIV. p.* 405. *Ibidem quoque ſyſtema plantarum eſt indicatum. p.* 409.)

EIVSD. *auserleſene Abhandlungen aus der Naturgeſchichte, Phyſik und Arzneywiſſenſchaft, m. Kupf.* 3 *Bände. Leipz.* 8.

EIVSD. *vollſtändiges Pflanzenſyſtem nach der* 13*ten Lateiniſchen Ausgabe, und nach Anleitung des Holländiſchen Houttuyniſchen Werks überſezt. Nürnb.* 8. *m. K.* 3*ter Theil.* (v. comm. noſtr. Vol. XXI. p. 555. et Vol. XXIV. p. 405.)

EIVSD. *vollſtändiges Naturſyſtem des Mineralreichs, in einer freien und vermehrten Ueberſezung, von* I. F. GMELIN, 2*ter und* 3*ter Theil. ib.* 8.

M. LISTER *Naturgeſchichte der Spinnen überhaupt und der engländiſchen inſonderheit. Aus dem Lateiniſchen von D.* I. F. H. MARTINI, *mit Zuſätzen, von* I. A. F. GOEZE *mit* 5 *Kupf. Quedlinb.* 8.

IVST. CHR. LODER ſynchondroſeos oſſium pubis ſectio-

ſectionem in partu difficili inſtituendam, denuo expendit. Gotting. 4.

LVDW. LEBR. LOESEKE materia medica concentrata *von* G. L. RVMPELT, *Warſchau.* 8.

ANN. CAR. LORRY *Abhandlung von den Krankheiten der Haut. Aus dem Lateiniſchen von* C. F. HELD, *Leipzig.* 8.

Lettres phyſiques & morales ſur les montagnes & ſur l'hiſtoire de la terre & de l'homme. Par IO. A. DE LUC. Hage & Leipſ. 8.

CHRIST. GOTTLIEB LVDWIG *Anweiſung zur Erkenntnis der Theile des menſchlichen Körpers nach deſſelben Tode, zum Nutzen der teutſchen Wundärzte in Pohlen, herausgegeben von* T. T. WEICHARDT, *Warſchau.* 8.

CHRIST. FRID. LVDWIG de membranarum ortu, Lipſ. 4.

EIVSD. diatribe de antennis. ib. 8.

EIVSD. diſſ. de polline antherarum. Reſp. *Petr. Gniditſch* (*v. comm. noſtr. Vol. XXIII. p.* 411.)

Briefe über die Beſtellung eines Küchengartens etc. von FR. HERRM. HEINR. LÜDERS.

I. MACKENZIE diſſ. de paralyſi idiopathica, Edinb. 4.

Dictionnaire de chymie &c. par M. MACQUER. (*1. hoc ipſum noſtrorum commentariorum volumen XXV. p.* 77. *vbi translationem huius libri a Cl.* LEONHARDI *editam cum multis additamentis et annotationibus memorauimus Germanicam.*)

EIVSD. *neuer Verſuch, der Seide vermittelſt der Cochenille eine lebhafte rothe Farbe zu geben. Leipzig.* 8.

IO. FRID. MARATTI de plantis zoophytis et litophytis in mare mediterraneo viuentibus. Rom. et Lipſ. 8. (*catalogus absque obſeruationibus.*)

H. M.

H. M. MARCARDS *medicinische Versuche* 1 *und* 2*ter Theil* (v. comm. nostr. Voll. XXIII. p. 123).

Dissertation anatomique & chirurgicale sur les plaies du bas ventre par ANDRE' MARIGUES. à Paris 8.

Essai sur la minéralogie du bailliage d'Orgelet en Franche Comté par Msr. le Marquis DE MARNESIA. A Besançon & à Paris. 8.

H. G. MARSCHALLS *Geschichte der Hornviehseuche und der Vorkehrungen dagegen etc. Marpurg.* 8.

Mémoire sur l'action & l'utilité des bains, soit d'eau douce, soit d'eau de mer par Msr. MARTEAU. à Bordeaux. 4.

PET. ANT. MARTEAU *theoretisch-praktische Abhandlung über die Bäder von einfachen Wasser und von Seewasser, nebst einem Anhange vom Tropfbade. Aus dem Französischen übersezt von D.* CHRIST. FR. HELD. *Leipzig* 8.

MARTINI *allgemeine Geschichte der Natur etc.* (v. comm. nostr. Vol. XXIV. p. 445).

EIVSD. *neues systematisches Konchylienkabinet* 4. *B. 2te Ausgabe Nürnb.* 4. *m. K.*

I. F. MARTINETS *Katechismus der Natur. Aus dem Holländischen. Leipz.* 8. (Varia ad medicum pertinentia, etiam continet.)

ANT. MATANI de osseis tumoribus obseruationes. Pistor. et Lipsi. 8.

EIVSD. tractatus de remediis ib. 8.

ANDR. MAXIMINI romani in HIPPOCRATIS COI librum de fracturis commentaria. Rom. et Lipsi. 4.

IO. MAYERS Pomona Franconica etc. 2 *B. m. illum. K. Nürnb.* 8.

IO. FR. MAYERS *achte Fortsezung, oder 9ter Theil der Beiträge und Abhandlungen zur Aufnahme der Land-und Hauswirthschaft. m. 2. K. Frfr.* 8.

Mein

Mein ökonomiſcher Brieſwechſel erſte Lieferung von IO. FRID. MAYER *Frankf. a. M.* 8.

CHPH. IAC. MELLIN *practiſche Materia medica 2te und vermehrte Auflage. Leipzig und Kempten.* 8.

I. D. MELLMANNI oratio de legitimo iurisprudentiae et artis medicae connubio. Kilon. et Hamb. 4.

CAROLI DE MERTENS M. D. obſeruationes medicae de febribus putridis, de peſte, nonnullisque aliis morbis. Vindobon. 8.

Aduerſaria medica. Pars ſecunda. Auctore I. D. METZGER Francof. 8.

EIVSD. *Grundriß der Phyſiologie Königsb.* 8.

Teutſches Künſtler-Lexicon von M. MEVSEL. (Varia ad medicum pertinentia, etiam continet.)

MICHAELIS de angina polypoſa ſiue membranacea (*v. comm. noſtr. Vol. XXIII. p.* 293).

P. MILLERS *Abbildungen der ſchönſten, nützlichſten und ſeltenſten Pflanzen, welche in ſeinem Gartenlexicon vorkommen. Aus dem Engliſchen. Zweyter Theil.* (v. comm. noſtr. Vol. XXII. p. 182).

CONRAD MOENCH enumeratio plantarum indigenarum Haſſiae praeſertim inferioris Pars I. Caſſel. 8.

MICH. VON MONTAGNE *Reiſen durch die Schweitz, Teutſchland und Italien. Aus dem Franzöſiſchen mit Zuſätzen 2ter Band. Halle* 8.

Anfangsgründe der theoretiſchen und praktiſchen Chemie zum Gebrauche der öffentlichen Vorleſungen auf Akademien zu Dijon, nach den neuern Entdeckungen in eine neue Ordnung gebracht von den Hrn. Dr. MORVEAU, MARET *und* DVRANDE. *Aus dem Frnzöſiſchen von* E. F. WEIGEL. *Iſter Theil. Leipz.* 8.

G. MOTHERBY'S *mediciniſches Wörterbuch aus dem Engliſchen mit Verbeſſerungen und Zuſätzen gelehrter Aerzte. Leipzig* 4. 2 *Bände.*

I. MUDGE *Unterſuchung, warum geimpfte Blattern, gelinder und ſicherer ſind, als natürliche. Aus dem Engliſchen von dem Verfaſſer des Unterrichts gegen die Kinderblattern, nebſt einen Anhange und Kupferplatte. Danzig* 8.

I. C. W. C. MÜLLER de adulterationibus oleorum aethereorum. Gotting. 4.

IOS. MÜLLERS *Nachricht von dem in Tyrol entdeckten Tourmalin oder Aſchenzieher Wien* 4. *m. K.*

IO. ANDR. MURRAYS *medicinisch praktiſche Bibliothek 3ten Bandes 3tes Stück. Göttingen* 8.

Précis de moyens de ſecourir les perſonnes empoiſonnées par les poiſons corroſifs cet. Par M. M. NAVIER. à Paris. 8.

DAN. GVIL. NEBEL de paralyſi artuum tum ſuperiorum, tum inferiorum, electricitatis ope ſanata. Heidelberg. 4.

CHR. LVDW. NEBEL progr. de oſſium inflammationibus Gieſſ. 4.

EIVSD. progr. de pericardio cum corde concreto. ib. 4.

IO. IOS. NEHR diſſ. inaug. Quare plerique moriuntur infantes et eorum, qui adoleſcunt, quare plures ſunt morboſi. Prag. 8.

I. M. NEIDHARTS *Zuſätze und Verbeſſerungen meines praktiſchen Auszuges zum Beſten der Bienenzucht. Nürnb.* 8. *m. K.*

ZACH. NEVFVILLE diſſ. de natura aëris fixi eiusque dotibus. Edinb. 4.

Herrn NICOLS *mediciniſches Handbuch für angehende Wundärzte. Aus dem Franzöſiſchen Augsb. m. K.*

NICOLAI *Pathologie Sechſter Theil* (v. com. noſtr. Suppl. Imum IIItiae decad. p. 22.)

EIVSD. diſſ. de ſanguinis colore rubro. Reſp. *Io. Gu. Gütlich.* 4.

L. NIE-

L. NIEBVHRS *Reiſebeſchreibung nach Arabien und andern umliegenden Ländern. 2ter Band. Kopenhagen* 4.

OEHLHAFENS VON SCHOELLENBACH *Abbildungen der wilden Bäume, 2ten Theiles 2te Abtheilung.* (v. comm. noſtr. Vol. XXII. p. 183. vbi primae partis mentio eſt facta).

NICOL. OSERETSKOWSKY ſpecimen inaug. de ſpiritu ardente ex lacte bubulo. Argentorat. 4.

HIER. OSTOICH diſſ. de duabus conſtitutionibus epidemicis Dalmaticis. Vindob. 8.

C. F. OTTO *pathologiſch practiſche Grundſätze zum Gebrauche ſeiner Zuhörer entworfen. Dreßden und Warſchau* 8.

PALLAS *Reiſen durch verſchiedene Provinzen des Ruſſiſchen Reichs 3ter Theil* (Priores partes v. in c. n. Vol. XXI p. 288 et p. 562).

EIVSD. *Naturgeſchichte merkwürdiger Thiere, in welcher neue und unbekannte Thierarten durch Kupferſtiche, Beſchreibungen und Erklärungen erläutert werden. Aus dem Lateiniſchen 10te Sammlung. Berlin* 4.

EIVSD nouae ſpecies quadrupedum e glirium ordine. Erlang. 4. (*vid. hor. com. ſupra p.* 292).

EIVSD. *Nachrichten von den Mongoliſchen Völkerſchafften in einen ausführlichen Auszuge 1ſter Theil Fr. und Leipzig.* 8. *m. K.*

** DE PANCERA diſſ. de teſtis humani ex abdomine in ſcrotum deſcenſu. Vienn. 8.

C. H. PARRY diſſ. de rabie canina. Edinburg. 4.

DE PAVLA V. WINTERHALTER.

TH. PENNANTS *Reiſe nach Northwallis im Jahre 1773. Aus dem Engliſchen. Leipzig.* 8.

PEZOLDI de prognoſi in febribus acutis. (*Aucta*

* *eſt*

eſt haec altera editio, de prima v. comm. noſtr. Vol. XIX. p. 707.)

ERN. LVD. PEZOLD de amputatione membrorum, Götting. 4.

I. G. PIETSCH *Geſchichte praktiſcher Fälle von Gicht und Podagra, 5ter Theil, Halle.* 8.

I. I. PLANER de aere aquis et locis territorii Erfurtenſis, Erford. 4.

ERN. PLATNER diſſ. inaug. in qua medicamenta quaedam inertiae accuſata defenduntur. Reſp. *G. L. Haertling*, Lipſ. 4.

ANT. GVIL. PLAZ diſſ. inaug. de ſubitaneis morborum cauſis. Reſp. *Io. Gottl. Tenner*, Lipſ. 4.

IOS. DE PLENCIZ obſeruationum medicarum decas prima. Vienn. 8.

I. I. PLENCK doctrina de morbis dentium et gingiuarum, ib. 8.

EIVSD. *chirurgiſche Pharmacie, überſezt von* I. P. G. PFLVG, *Kopenhag.* 8.

EIVSD. *neue und leichte Art das Queckſilber denen mit der Luſtſeuche angeſteckten Kranken zu geben, Wien.* 8. (Haec eſt verſio Germanica. Deſcripſit olim Cl. PLENCK hanc methodum mercurium exhibendi Latine, quam recenſuimus in comm. noſtr. Vol. XIV. p. 623.)

EIVSD. *Lehre von Augenkrankheiten. Aus dem Lateiniſchen überſezt von* FR. VON WASSERBERG, *Wien.* 8.

C. PLINII Secundi naturalis hiſtoriae libros interpretatione et notis I. HARDVINI etc. edidit I. FR. GEORG. FRANZIVS, Voll. 2. Lipſ. 8.

EIVSD. hiſtoria naturalis de aquatilium natura. Ed. L. T. GRONOVIVS, Lugd. et Lipſ. 8.

I. C. POHL Progr. de tumorum tunicatorum geneſi, Lipſ. 4.

EIVSD. diſſ. inaug. de praecipuis quibusdam curationi-

tionibus morborum obſtaculis. Reſp. *Chr. Traug. Geriſcher*, ib. 4.

AD. POLLICH hiſtoria plantarum in Palatinatu Electorali ſponte naſcentium, Tom. III. Manh. 8.

* PORTALS *Bericht über die mephitiſchen Dämpfe, und vorzüglich des Kohlendampfes auf den menſchlichen Körper, nebſt einer Nachricht von den wirkſamſten Mitteln Erſtickte wieder zum Leben zubringen. Aus dem Franzöſiſchen. Fr. u. Leipz.* 8.

PERCIVAL POTT's chirurgical obſeruations. London and Leipz. 8.

I. PRIESTLEY *Verſuche und Beobachtungen über verſchiedene Gattungen der Luft, 1ſter Theil. Leipzig und Wien* 8. (De his tentaminibus v. c. n. Vol. XXI. p. 124. et ſeq. volumina).

GEORG. PROCHASKA quaeſtiones phyſiologicae, quae vires cordis et motum ſanguinis per vaſa animalia concernunt. Vienn. 8.

EIVSD. de carne muſculari tractatus. (*v. com. noſtr. Vol. XXIII. p.* 273.).

Mineralogia Cornubienſis cet. By WILL. PRYCE. Lond. fol.

I. PVNDT diſſ. inaug. de aſa foetida Gotting. 4.

Naturgeſchichte für Kinder von GEORG. CHRIST. RAFF. *Göttingen.* 8. *m. K.*

D. H. RAHN aduerſaria medico practica medicamentorum virtutes rectamque applicationem accuratius determinata. Vol. I. ſiſtens virtutes corticis Peruuiani. Vitoduri. 8.

Diſſertatio inauguralis de chirurgia infuſoria, quam in acad Lugd. Bataua pro gradu doctoratus ſolemni examini ſubmittit IOANNES MARIA REGNAUDOT. Lugd. Bat. 1780. 8. (*Journ. de méd. Decbr.* 1779.)

Reliqua proxime.

Con-

Contenta in hac parte.

I. Kongl. Svenſka Vetenſk. Acad. Handlingar. Vol. XXXVIII. p. 195
II. CHRIST. FRIEDR. ELSNER *Beiträge zur Fieberlehre* 208
III. ALEX. MONRO *ſämtliche Werke praktiſchen und chirurgiſchen Inhalts* 212
IV. Medical caſes by ANDR. DUNCAN 222
V. THOM. DIMSDALE *Schriften über die Einpfropfung der Blattern* 226
VI. IOH. ANDRE' *Abhandlung über den veneriſchen Tripper &c.* 228
VII. *Kurze Nachricht von der epidemiſchen Schnupfenkrankheit &c.* 230
VIII. *Beſchreibung der Epidemien im Frühjahre* 1782 *&c.* 232
IX. ED. SANDIFORT deſcriptio muſculorum hominis 234
X. EIUSD. icones herniae inguinalis congenitae 237
XI. IOAN. GOTTL. HAASII anatome cerebri neruorumque corporis humani 238
XII. IOH. LIEUTAUD *Zergliederungskunſt* 240
XIII. IO. GOTTL. WALTER tabulae neruorum thoracis et abdominis 242
XIV. IOH. PET. FRANK *Syſtem der mediciniſchen Policey* I-III *Band* 243
XV. I. D. METZGERS *vermiſchte mediciniſche Schriften* 248
XVI. Journal de médécine, chirurgie, pharmacie, etc. T. LI. LII. 254
XVII. CASIM. CHRIST. SCHMIDEL Icones plantarum et analyſes partium 268
XVIII. IOAN. HEDWIGII fundamentum hiſtoriae naturalis muſcorum frondoſorum, P. I. et II. 282
XIX. CHR. W. I. GATTERERI breuiarium zoologiae. P. I. 290
XX. P. S. PALLAS nouae ſpecies quadrupedum e glirium ordine 292
XXI. P. M. A. BROUSSONET ichthyologia dec. I. 306
XXII. Reliquiae Houſtounianae 310
XXIII. *Leipziger Magazin zur Naturkunde, Mathematik und Oekonomie, herausgegeben von* C. B. FUNK, N. G. LESKE, *und* C. F. HINDENBURG, 1781. 1782. 313
XXIV. HIPPOCRATIS *Werke aus dem Griechiſchen, von* D. IOH. FR. C. GRIMM 325
XXV. Elements of the practice of phyſic by WILL. SAUNDERS 328
XXVI. EIUSD. obſervations on the ſuperior efficacy of the red peruvian bark 329
XXVII. LAUR. CRELL hiſtoria catarrhi epidemici a MDCCLXXXII. 331
XXVIII. CHR. FR. LUDWIG de ſuffuſionis per acum curatione 332
XXIX. Nova phyſico medica 334
XXX. Continuatio indicis librorum in ann. 1777 350
XXXI. Index ſcriptorum phyſico medicorum, quae anno 1778 prodierunt 352

COMMENTARII
DE REBVS
IN
SCIENTIA NATVRALI
ET
MEDICINA
GESTIS.

VOLVMINIS XXV. PARS III.

LIPSIAE, MDCCLXXXIIII.
APVD IOH. FRIDERICVM GLEDITSCH.
Venduntur etiam
Londini apud Fr. Elmsly, Edinburgi apud Io. Balfour, Lugd. Bat. apud Fratres Luchtmann, Pariſiis apud Barroi ſenior. Venetiis apud Io. Bapt. Paſquali, Milano apud Ioſ. Galeazzi, Auguſtae Taurinor. apud Laurent. Giraud, Holmiae apud Magnum Swederum.

Jos: Banks

I.

Kongl. Svenſka Vetenſkaps Academiens Handlingar för År 1778. Vol. XXXIX. Stockholm. 8. pagg. 255. tabb. aen. 10.

i. e.

Acta Academiae Regiae Scient. Suecicae, anni 1778. Vol. XXXIX.

Trimeſtre primum.

I. VARGENTIN de climatis Suecici temperatura ex obſeruationibus thermometricis Holmienſibus, annor. 1758 - 1777. p. 3.

II. PETR. IO. BERGIVS deſcribit *Hudſoniam ericoidem*, Virginiae plantam. LINNAEVS plantam habet in Syſt. nat. p. 317. mantiſſ. I. p. 11. 74. Noſter varia magni momenti in charactere generico addit, vt: Corollam diſtincte agnoſcendam. Sunt illi *Petala* 5, lutea, ſeſſilia, ouato oblonga, obtuſa, calyce breuiora. *Filam.* 15 - 18 ſetacea, longitudine corollae. *Antherae* ſubrotundae. *Germen* ſuperum ouatum, ſuperne piloſum. *Stylus* cylindricus longitudine ſtaminum. *Stigma* ſimplex. *Capſula* oblonga calyce breuior vnilocularis triualuis. *Semina* 3. *Facies* fere Ericae, affinitas Hyperici, ſed dodecandra. Additur imago plantae, cum nulla adhuc habeatur. p. 19.

III. *Erica Sparrmanni* planta cap. bon. ſpei deſcribitur a CAR. A LINNE'. Detecta eſt a SPARRMANNO in interioribus Africae, capiti bonae ſpei adiacentis. Eo iter propriis impenſis ſuſceperat, nulli botanicorum ante tentatum. Speciei differentiam ita exprimit, qui deſcriptionem et iconem edit: Erica, *foliis quaternis imbricatis ciliatis*, p. 21.

tis, capitulis quadrifloris, corollis tubulosis strigoso-hispidis, antheris muticis.

p. 27. IV. *Bezoar equinum* describit CAR. PET. THVNBERG. Accepit lapidem in metropoli Iaponiae Iede, ab archiatro imperatoris, cui nomen *Kasragawa Fossju.* Ambae manus illum non amplectuntur. Pondere est librarum 2 et vnc. 6 medicar. Tantos lapides ex equis mortuis eximunt; minores, iuglandis magnitudine cum excrementis per anum eiiciuntur, itaque non generantur in vesica vrinaria, neque in vesicula fellis, quoniam nihil coloris fellis habent. Reperiuntur in equis domesticis, non in feris, quorum magnus in Iaponia est numerus. Iaponenses nomen lapidi dant *Baseki.* Est vero concretum calcareum ex lamellis variae crassitiei compositum, coloris grisei, laeue; densum, quod tamen vnguibus radi possit. Minorem eius generis lapidem dissecuit, nucleum nullum reperit, interiora vero, omnino similia exterioribus, alia vi, quam absorbente, pollere non credit. Pretium in Europa nescit.

p. 30. V. *De hydrocele ope caustici sananda* agit HENR. GAHN. Nihil omnino noui prolaturum se profitetur, vtilem vero ciuibus suis praestiturum operam, dum illis remedium et methodum commendet, quae ELSE Londini descripsit. Itaque, vberiori explicatione anatomica morbi praemissa, quinque casus fuse narrat, quos plerosque ipse vidit, vel solus vel comes Cl. ACREL, cuius sunt aliquot illorum historiae. Omnium euentus felix fuit.

p. 55. VI. *Problema inuersum virium centripetarum, vbi vis est reciproce, vt quadratum distantiae,* noua ratione, astronomiae inprimis apta, tractat AND. LEXELL.

p. 59. VII. CLAVDIVS BIERKANDER, *quae plantae, a maiore minoreue frigoris gradu vel laesae fuerint, vel omnino perierint,* recenset.

VIII.

VIII. ANDR. SPARRMANN *laruas muſcarum ex homine expulſas* refert. Aeger, faber officinae ferrariae cachecticus, querebatur de ſuctione doloroſa infra ſternum, inprimis verſus latus ſiniſtrum; tactus locus dolebat, ventriculus velut a flatu interdum turgebat. Contra cachexiam ſuaſit Noſter, decoctum trifolii fibrini potus loco ſumendum, allium vero et interdum hauſtum ſpiritus frumenti, propter vermes, quos ſuctio doloroſa indicare videbatur. His cum malum leniretur, dedit celebratum remedium aduerſus vermes, puluerem rad. filicis vnc. j. et duos bolos, qui iunctim continerent *Scammon. et merc. dulc.* āā *gr. XXIV gummi guttae* gr. xvj e. ſ. q. extract. Tanaceti, quibus addidit gr. xviij maſſ. pil. catharct. Phar. Suec. vt certius in viro adeo robuſto ſequeretur euacuatio; iis enim, qui vermibus laborant, difficilius aluum cieri. Cum medicamentum mane hora quinta ſumſiſſet, hora nona aut decima profeſſus eſt, ſe excreuiſſe vermium myriades, pleroſque ſimul, plurimo muco in maſſam pugni magnitudine conglutinatos. Illorum circiter 30 SPARRMANNO adferebantur. Quoſdam puluere radicis filicis conſperſit, et ſub eo per horam reliquit, poſt non minus viuidi viſi ſunt aliis. Albi, tres lineas longi aut paulo plus; altero extremo acuto, velut vnguibus duobus armato, altero obtuſo, prominentiis acutis aſpero. Indidit vaſi vitreo cum parte piſcis recentis, fundo terra tecto. Animalculorum alia terram ingrediebantur, alia piſci adhaerebant, alia iam in ouula oblonga fuſca abierant. Decima quarta poſtquam ex viro exierant die, muſcas in vitro vidit, quarum numerus poſt ad 15 auctus eſt. Quatuor illarum magnitudine dupla reliquarum, ceterum omnino ſimiles, vt eiuſdem ſpeciei varietas appareret. Perill. DE GEER, collatas cum pluribus exemplaribus

p. 65.

muſcae meteoricae LINN. S. N. omnino eiuſdem ſpeciei reperit. Faber poſthac ab iis omnibus, quae paſſus erat, liber bene valuit. Suſpicatur Noſter, muſcam ouula in inteſtinum rectum fabri depoſuiſſe, et laruas, cum egreſſae eſſent, altius prorepſiſſe.

p. 70. IX. Modum *mercurium dulcem via humida* praeparandi deſcribit CAR. WILH. SCHEELE. Libra dimidia mercurii viui, aequali ponderi aquae fortis immittitur, cucurbita in arena calida per tres aut quatuor horas incaleſcit, vt ſub finem quadrantis circiter horae leniter ebulliat. Interea 9 ſemunciae ſalis communis ſoluuntur in 6 vel 8 libris aquae, ebullienti ſolutioni immittitur aeque calida ſolutio mercurii, facta praecipitatione limpidum decantatur, adfunditur alia aqua calida, idque repetitur, donec aqua ſuperfuſa ſapore careat. Deinde omnia filtrantur, et calore leni ſiccantur. Eſſe id praecipitatum mercurium dulcem, experimentis et rationibus docet. Haec autem methodus minus laboris atque impenſarum poſtulat, quam vulgaris, quae ſublimatione vtitur, euitat periculum, quod a vaporibus naſci poteſt, et mercurium dulcem multo ſubtiliorem praebet, quam vulgo triturando poſſit obtineri.

p. 74. X. LAVR. HIORTZBERG refert duos caſus medicos. Primus eſt: *Catalepſis complicata cum triſmo*, de quo breuiter iam relatum eſt in Actis 1776. Aeger facultate ſe ipſum mouendi carebat, artus flexiles erant, et aliis impellentibus, moueri poterat, ſolum os, ne quidem dilatatorio oris aperiri poterat; quae ori per vacuum a dente exemto relictum ingerebantur, ſtatim rurſus effluebant. Immiſſus eſt balneis tepidis ad genua vſque, ex vena ſecta difficulter profluit ſanguis viſcidus craſſus, adhibitae ſcarificationes, veſicatoria, ſinapiſmi, fri-

ctiones

ctiones colli et ſpinae dorſi. Cataplaſma refrigerans et reſoluens impoſitum vertici et fronti frigenti. Clyſma fortius, excrementa dura fetida eduxit. Cum deglutire non poſſet, data clyſmata ex ſero lactis, in quo ſoluta erat puls ex tartaro tartariſato et melle aequis partibus, item clyſmata ex iure carnis. Quarta die, poſtquam haec acta eſſent, rediit facultas deglutiendi et loquendi, potus loco, quem primum poſtulabat, datum ſerum lactis praeparatum cremore tartari, cui puls ante dicta immittebatur. Sale cathartico, multum fecium mucoſarum eiectum. Cum melius ſe haberet aeger, et ipſe ſe mouere poſſet, de languore queſtus eſt, ignarus omnino, quae durante paroxyſmo ipſi accidiſſent. Reſtitutus ſanitati, nullum amplius eius morbi acceſſum ſenſit.

Alter caſus eſt: *Palpitatio ex corde oſſificato.* p. 77. Vir 26 annorum, ceterum robuſto corpore, ſed illis laborans, quae aneuryſma, polypum cordis aut ſimile quid indicabant, multa perpeſſus ſubito exſtinctus eſt. Cor repertum eſt inſolitae magnitudinis, pericardium expanſum turgens liquore rubrofuſco, improuide effuſo, vt menſurari non potuerit. In ventriculo ſiniſtro, os oblongum ſpinoſum, particulis minutulis oſſeis adhaerentibus, ſedens ante oſtium aortae in tunica interiore celluloſa cordis, fibris carneis cordis circumdatum, tectum membrana interiore. Valuulae aortae oſſeae, atrium poſterius cum auricula ſiniſtra expanſa. Quae de origine eiuſmodi concretionum oſſearum HALLERVS et alii ſenſerunt, refert, fatetur vero, nondum conſtare, vnde naſcatur prima illarum materia.

XI. PET. IAC. HJELM docet, *pluribus ferri mineris ineſſe magneſium* (*Braunſtein*). p. 82. Examen BERGMANNI methodo inſtituit, mineras multas ex variis

riis Sueciae locis adhibuit, et ſuſpicatur, plerumque magneſium ferri mineris ineſſe.

Trimeſtre ſecundum.

p. 85. I. CAR. FR. HOFFTER *de morſu ſerpentum.* Feminae, dum faſcem frumenti tractabat, iacens in illo Coluber Berus brachium ſiniſtrum morſu laeſerat. Brachium ſupra locum, quo tumebat, ligatum, foueae immiſſum et terra tectum, quod ibi moris eſt. datum illi oleum oliuarum, donec nauſea oriretur, deinde infuſum florum ſambuci, et ſuccus, vulnus et brachium oleo illita. Ita ſanata eſt. Iam cauſſas explicat, cur haec praeſtent auxilium, et varia de ſerpentibus, morſu illarum, et ipſa, quae domare eas dicitur, faſcinatione colligit.

p. 103. II. OL. ACREL addit quaedam diſſertationi praecedenti. Cum effectus oriatur a veneno ſanguini mixto, optimum iudicat, id educere quantocyus, vbi intrauit. Itaque vulnus, ab initio vix viſibile, ſcarificandum, irritandum, ſuppurationem eo in loco excitandam; quae fieri poſſunt inſtrumentis, qualia ad manus ſunt, cultro, ſaxo acuminato, fruſto vitri cet. Vulneri adfricanda, ſal, vrina, tabaci puluis, aut cortex Mezerei, ſi cantharides non adſint. Hac methodo duos reſtituit, quos ſerpentes momorderant, puerum alterum, alterum virum adultum. Vulnera inflicta erant ſurae pueri, abdomini viri, aegri ad ipſum adlati pluribus horis poſt morſum, cum partes laeſae iam plurimum intumuiſſent. Nihil adhibuit, praeterquam ſcarificationes, puluerem cantharidum, emplaſtrum veſicatorium vulneri ampliato et aucto impoſitum. Diaetam praeſcripſit, lac dulce, cibi potuſque loco adhibendum.

p. 108. III. IO. REINOLD. FORSTER deſcribit *Yerbuam capenſem*, additis animaduerſionibus ad *Genus Yerbuae*

buae pertinentibus. Id enim a muribus ſeparandum cenſet *), et hos eius characteres generi-cos conſtituit. *Verbua. Mammale, Glis; Dentes* primores vtrinque duo, validi incurui, occurſantes, truncati. *Aures* longae patulae, ſubnudae. *Oculi* ampli prominentes. *Truncus* antice exilis, poſtice dilatatus toroſus. *Pedes:* palmae breuiſſimae, plantae elongatae, tarſo longiſſimo, ſubtus calloſo. *Cauda* elongata veſtita (plerumque floccoſa). Species numerat 8. Capenſis, quam deſcribit, eſt palmis pentadactylis, plantis ſubtetradactylis. Viuas conſpexit in capite bonae ſpei in viuario. Ipſe animal maſculum dono accepit, in itinere mortuum. Delineauit id, cum viueret et valeret, filius GE. FORSTER, quae icon additur.

IV. ANDR. SPARRMANN quaedam addit deſcri- p. 119.
ptioni *Verbuae capenſis.*

V. *De aratri ſtructura* agit PETR. WAS- p. 120.
STRÖM.

VI. *Vomeris figuram optimam*, parabolicam p. 128.
oſtendere conatur HENRIC. NICANDER.

VII. Problema KEPLERI, *de anomalia vera ex* p. 136.
media inuenienda, ſoluit IO. HENR. LINDQUIST,
calculo breuiore.

VIII. CAR. WILH. SCHEELE *puluerem Algero-* p. 141.
thi praeparandi modum docet, qui minus laboris, periculi et impenſarum poſtulat, dum non opus eſt mercurio ſublimato corroſiuo. Proceſſus hic eſt: Libra antimonii crudi in puluerem redacti miſcetur ſeſquilibrae nitri in puluerem redacti, mixtum, bene ſiccatum detonat in mortario ferreo, hepar, quod ortum eſt, in puluerem redigitur, cuius librae in cucurbita miſſae ſuperfunditur mix-

*) Interim haec animalia murino generi iterum ſubmiſit Cl. PALLAS: vid. comm. noſtr. hui. Vol. P. II, p. 301. *Mus cafer.*

tura ex tribus libris aquae et quindecim vnciis acidi vitrioli, additis quindecim vnciis ſalis communis in puluerem redacti, cucurbita in balneo arenae, permittitur digeſtioni duodecim horarum, ſaepius agitatis, quae continet. Solutio, cum refriguit, filtratur per linteum. Reſiduo denuo infundi poteſt menſtrui dicti pars tertia, digeri et filtrari. Solutioni admixta aqua feruente praecipitatur pulvis Algerothi, abluendus et ſiccandus.

p. 146. IX. CASTEN RÖNNOW *arſenicum proprium cancri antidotum* oſtendit, *mercurialia vero nocua.* Primo refert duos caſus, vbi ann. 1725 et 1735 arſenicum flauum adhibuit in cancro labii inferioris et mammae ſiniſtrae. Granula pauca fiſſuris immiſit, intumuerunt partes adfectae, magno aegrorum dolore, dein particulae ſeceſſerunt, quae abſcindi potuerunt, et paucis ſeptimanis malum ſublatum eſt. Ita cancro felicem medelam arſenicum et ipſe adhibuit, et ab aliis inprimis in Gallia adhibitum vidit, qua in re ad experientiam ſuam
p. 155. quinquaginta annorum prouocat. Contendit vero, arſenicum non agere vt cauſticum, ſed eo modo, quo acidum agit in alcali, (etſi nolit tueri, virus cancroſum eſſe alcalicum) ſcilicet in humido cancroſo ab arſenico excretam efferueſcentiam adeo vehementem, vt quae vaſa reperiuntur in loco, vbi mali ſedes eſt, vel in minimis fibris rumpantur et deſtruantur. Similem efferueſcentiam, debiliorem ſaltim, conſentaneum eſt naſci in vaſis ab eo loco, cui immediate applicatur arſenicum, magis remotis, itaque arſenicum magna circumſpectione adhibitum alterantis vice fungi, non ſolum cau-
p. 150. ſtici. Contra virum, qui cancro in facie laborabat, cum ſectionem ſubire nollet, mercurio dulci adhibito, miſere periiſſe, vt hoc quidem medicamentum
p. 159. in cancro obſit. Scirrhos et nodos, quibus reſectis

ctis aeger ſanatur, diuerſos a cancro eſſe, qui ſectione ſcirrhorum tolli non poſſit. Ceterum etiam ſcirrhos, abſque operatione, medicamentis internis, antimonialibus et mercurialibus ſe ſuſtuliſſe. Cancri virus maſſae ſanguineae immixtum eſſe, vinci veneno arſenici, vt virus venereum mercurio vincitur, qui, acidis additis, etiam in venenum abit. Ceterum ſumma circumſpectione adhibendum. Vnde etiam Academia, quae hoc ſcriptum edit, in nota adiecta, non niſi multa experientia inſtructis medicis id permittit.

X. CLAVD. BJERKANDER edit *Thermometrum Florae* anni 1777, quibus caloris gradibus primos flores aperuerint variae plantae, arbores folia protruſerint, aues migrantes aduenerint, inſecta apparuerint. p. 166.

XI. *Obſeruationes Suecicae eclipſis ſolaris*, 24 Iun. 1778. p. 174.

Trimeſtre tertium.

I. NIC. LANDERBECK, *de catenaria, quam format filum datae longitudinis* inter duas trochleas, partibus fili, quae extra trochleas verticaliter dependent, catenariam pondere ſuo ſuſtinentibus. p. 177.

II. ARVID FAXE *de tumore ſaccoſo extra faciem puellae prominente.* Puella quadriennis erat, tumor extendebatur ab angulo dextro oculi ſiniſtri ad dextri dimidium, hac quidem latitudine 4 digitos, a dextro oculo vltra faciem prominebat $3\frac{7}{8}$ digitis, ab oſſe ſiniſtro naſi tranſuerſim ad maxillam ſuperiorem, vbi adhaerebat $3\frac{3}{8}$ digitis. Attolli poterat, vt ſub eo appareret naſi dextrum orificium; longitudine $1\frac{3}{8}$ digiti, os naſi ſiniſtrum ex ſitu ſuo oblique depreſſum, ſed orificium naturali magnitudine. Cauſſam mater reddidit, quod quinto grauiditatis menſe, toto corpore prona cadens, p. 182.

abdomine

abdomine in arboris reſciſſae truncum adhuc ex terra prominentem impegiſſet. Senſum inter aliquot dies ſe percepiſſe, ceterum nihil mali expertam eſſe, partum tandem debito tempore eſſe enixam, cuius fronti iam tumor hic adhaeſerit auctus creſcente infante. Tactus vero docebat, os dextrum frontis, vbi adhaerebat ſaccus, ſeparatum eſſe a ſiniſtro, maximam partem deſtructum, vt non ſupereſſet, niſi pars arcus ſuperciliaris, neque ſentiebatur dextrum os naſi, baſis ſacci adhaerens ad ſuturam coronalem pertingebat, inde deſcendens ſaccus ſupra dimidium oculi dextri dorſum naſi ſequebatur, ad latus lineae longitudinalis ſupra frontem adſcendebat ad fontanellam, ibi crinibus tectus. Manibus tractatus liquidum ſpiſſius continere ſentiebatur, et perpetuo pulſare. Preſſo ſacco, de tinnitu aurium querebatur puella, et aegrius tractari ſaccum patiebatur. Viſu bene valebat et animi viribus, recte pro aetate ad omnia, quae ex illa quaerebantur, reſpondens. Noſter credit, ictu, quem mater praegnans perpeſſa eſt, cranium embryonis fractum eſſe, et partem cerebri emerſiſſe, quam contineri in ſacco exiſtimat.

p. 186. III. ROLAND MARTIN occaſione relationis, quae praecedit, *de laeſionibus ſub oſſe frontis minus nocuis* agit. Ex anatomicis adfert, poſt os frontis vaſa minori multitudine et amplitudine eſſe, cerebri partes ita poſitas, vt ab eius oſſis laeſione minus patiantur, cet. Deinde propria et aliorum experimenta adfert, laeſionum eius oſſis, vel, vbi tempeſtiue opera adhibita eſt, feliciter ſanatarum, vel neglectarum etiam quodammodo, non ſtatim lethiferarum.

p. 195. IV. Addit IO. L. ODHELIVS, militem Octobri 1758. in obſidione Anclamenſi laeſum exeunte menſe ita conualuiſſe, vt toto Nouembri aegris in noſo-

nosocomio seruiret. Exeunte mense, subito convulsionibus correptus obiit. Sublato cranio, frustulum glandis plumbeae in latere dextro tentorii cerebelli repertum, detecta etiam via, qua a foramine superciliari sinistro supra corpus callosum progressum erat. Defunctus ea die plus spiritus frumenti, quam consueuerat, biberat, diutius forte victurus, si diaetam melius obseruasset.

V. et VI. *Sturni dauurici* et *Alaudae mongolicae* descriptionem et iconem edit Cl. PALLAS. p. 197. p. 201.

VII. *De iis, quae transspirationem insensibilem augent vel minuunt*, excerpta ex scripto, quod exhibuit ANTON. ROLANDSSON MARTIN, qui eum in finem innumera experimenta instituit se ipsum saepissime ponderando. Primo transspirationi consuetae numeri exhibentur, pro quouis mense medio ex pluribus obseruationibus sumto. Pro Ianuario, transspiratio nocturna est vnciarum $12\frac{5}{8}$, diurna $27\frac{1}{4}$. Pondera, drachma minora neglecta sunt, quoniam in pondere 150 librarum, quantitas decima sexta librae parte, vel vncia, minor, certo cognosci non potest. Iam, quae augent, in classes diuidit. I. Quae motum sanguinis irritant, vt motus, tabaci suctio, qua frigens hieme corpus incalescit. Hinc explicat, cur interdum, tabaco adsueti, illum vel in ipso agone mortis desiderent, scilicet frigus mortale ingruens oppugnaturi; calor ab igne, oua cocta sorbilia, assa foetida, multa sermocinatio, ira, opium initio frigefacit, quod thermometrum edocet, post transspirare facit. Spirituosa, salia volatilia, aromata, acida vegetabilia. Sumtis euacuantibus acidis, dulcibus, salsis, post excretionem transspiratio fortior est. Sumtis vero amaris, vel amaroacribus, vt aloe, minuitur. Plura alia ad hanc classem pertinent. Secunda est rerum, quae massam fluidi in corpore augent, vt: Theae potus. p. 204.

potus. III. Quibus ſuperficies corporis molleſcit, vt balnea. IV. Quae cutem irritant, vt dolor a frigore vehementi initio ortus. Imminuunt transſpirationem: I. Quae lentiorem motum ſanguinis reddunt. II. Quae vel non dimittunt materiam transſpirandi, vel canales, per quos exire debebat, occludunt. III. Quae ita in cutem agunt, vt impediatur transſpiratio. IV. Quae inteſtina irritando, transſpirationem a cute reuocant. V. Quae leniendo acrimoniam ſanguinis, transſpirationem minuunt. Singula exemplis illuſtrantur.

p. 219. VIII. *De parandis arte aquis medicinalibus calidis* agit TORBERN BERGMANN. Aquam thermarum Carolinarum comperit ſaturatam eſſe acido aereo, praeterea continere calcem, ferrum, ſal commune, Glauberi, et alcali minerale. Itaque vt illam arte imitetur, aquam frigidam, acido aereo ſaturatam, immittit ollae Papinianae, qualem emendatiorem WILKIVS deſcripſit; hanc ollam ipſam, aheno aqua pleno, quae dum ſuper igne calefit, aquae, in olla contentae, quemcunque libet caloris gradum tranſmittent. Olla prope fundum epiſtomio inſtruitur, vt emitti poſſit, quantum quauis vice vſui adhibetur, nec opus ſit maſſam integram aeri libero exponere. Reliqua ingredientia aquae naturalis Carolinae cum ollae iniici non poſſint, ſalia ſcypho immitti poſſunt, qui aqua ex olla educta repletur, calx et limatura martis, frigidae immitti
p. 222. poſſunt, aut illi ipſi, quae in olla calefit. Aquis granenſes aquae foetorem hepatis ſulphuris ſpargunt, ſulphur etiam ex earum ſuperficie in canalibus ſublimatur, ex ipſis tamen aquis obtineri non poteſt. Cuius rei rationem hanc reddit. ex hepate ſulphuris vapores fetentes exire, qui aeris hepatici nomine venire poſſint. Eos ſulphur continere, materiae caloris, quod SCHELIVS docuit, phlogiſti

phlogisti ope vnitum. Hunc aerem hepaticum, cum ex superficie aquae in atmosphaericum emergit, decomponi, aere puro atmosphaerico phlogiston attrahente, ita sulphur liberatum, iis, ad quae fertur, adhaerere. Igitur ars Aquisgranenses aquas imitandi eo redit, vt aqua communis aere hepatico impraegnetur, eodem artificio, vt alias acido aereo.

IX. A. LEXELL edit *theorema geometricum* de relatione inter inclinationes planorum, quibus continetur pyramis triangularis. p. 228.

X. ANTONIO DE ULLOA edit *obseruationem eclipsis solaris* d. 24. Iun. 1778, habitam in mari inter insulam Terceram et caput St. Vincentii, vbi totalis erat. Inprimis describit annulum, quem circa lunam vidit, item punctum lucidum in margine lunae, indicium caui alicuius in eo lunae loco, per quod iubar solis transmicuerit. p. 235.

XI. CLAVD. BIERKANDER *muscam* describit, cuius larua in culmis secalis nutritur. Culmi, quibus inest, exigui manent vix 2 vel 3 digitorum longitudinem attingentes; hinc secale hoc pumilionem vocat, et muscae nomen tribuit *Muscae pumilionis.* p. 240.

XII. IO. IAC. HARTMANN *stercus in agros, qui vere seruntur, recens efferendum* docet, non exspectandum, vt in area putrescat, qua re particulae fermentationi et viuificationi plantarum maxime idoneae euolent. p. 242.

XIII. *Idem* confirmat PETR. WASSTRÖM. p. 246.

XIV. CAR. WILH. SCHEELE narrat, quae expertus est, examinans *molybdaenam membranaceam nitentem* Cronstedtii. Obtinuit ex illa terram peculiarem, quam *terram molybdaenae* appellat, siue *acidum* molybdaenae; nam acidi proprietates ostendit. Ipsam molybdaenam statuit consistere ex acido cum sulphure mineralisato. p. 247.

Trimestre

Trimeſtre quartum.

p. 257. I. *De annulo liuido, qui circa lunam in eclipſibus ſolis totalibus apparet*, P. VARGENTIN. Phaenomena huc vſque nota, ex inflexione lucis deduci potuerunt, non item, quod DE ULLOA primus deſcripſit, motus, peripheriae lunae paralleli.

p. 262. II. PETR. KALM *de iuglande Americae boreali*, quam coloni Angli *Hiccory* appellant. Primo refert, iuglandem albam, de qua egit in act. 1769; autumno 1775, in ſuo horto Aboae, et in arboreto, quod plantauerat, nuces maturas tuliſſe, e quibus arbores nouas educauit, quae in aere libero relictae hyemem anni 1776 tolerarunt, et adhuc aeſtate 1778 egregie ſe habuerunt. Iam vberius deſcribit ipſarum, quae *Hiccory* vocantur, ſiue ſpecies, ſiue varietates, illarum naturam et vſus. Circulos, qui ex vaſis ſucciferis induratis oriuntur, his arboribus interdum duos vno anno accedere, ex eo colligit, quod in truncis ſaepius multo plures numerentur, quam aetas arboris nota permittat, ſi ſingulis annis ſinguli acceſſerint. Eadem vaſa in quibuſdam horum vno alteroue anno ad partem ſoli obuerſam flectuntur, alio ad oppoſitam, vnde varie circa arborem curuantur, atque, vt illa findatur difficile, efficiunt.

p. 283. III. *Tubi, per quem ſpiritus frumenti ducitur*, vt intra aquam frigidam refrigeſcat, emendatiorem ſtructuram ſiſtit IAC. GADOLIN, ex partibus rectilineis compoſitam, vt facilius reparari et purgari poſſit, quam helix conſueta.

p. 289. IV. *De larua phalaenae ſecalis* in actis 1752 deſcriptae quaedam habet Cl. BIERKANDER, ad tempus, quo ſecalis culmos adoritur, modumque pertinentia.

p. 293. V. ZACH. PLAATIN *propoſitiones ſtereometricas* in menſuris vſualibus adhibendas demonſtrat.

VI. RHI-

VI. *Rhinoceros bicornis* deſcriptus et depictus ab ANDR. SPARRMANN, qui ipſe examinauit animal, Aſiae, vt videtur, proprium. p. 303.

VII. IO. GVST. ACREL ſanauit *herniam abdominalem incarceratam;* pars inteſtini per nouem menſes ex annulo abdominali propenderat, aeri et aliis accidentibus expoſita, item inflammata accedentibus fiſtulis inteſtini. Imitatus eſt methodum, quam in exemplo felicis euentus adhibuit ACREL *caſuum chirurgicor.* p. 288. ed. II. eo inprimis reſpiciens, vt, remotis antea calloſitatibus, inteſtinum, quantum fieri poſſet, vacuum teneretur, donec vulnus oppletum eſſet. Tunica celluloſa eo in loco deſtructa, aperienda erat cutis inde ab aponeuroſi muſculorum abdominis, et adducenda, vt futuris adhibitis aperturam obtegeret. p. 314.

VIII. MARTEN THRANE BRÜNNICH *de duabus mineris ſtanni*, ex Cornwallia, nondum notis. p. 320.

IX. IO. L. ODHELIVS felici exitu manum adhibuit *ſynizeſi pupillae* amborum oculorum *cataractis adhaerentibus*, quarum vna *lapideam duritiem* oſtendebat, vt cultri apex ad eam frangeretur. Pupilla artificialis facta methodo LA FAYE, per quam cryſtallus opaca extrahebatur. Viſus homini redditus. p. 324.

X. OL. ACREL, addit commendationem pupillae artificialis, quam tamen monet non diu durare, niſi radii iridis longitudinales tranſuerſim reſecentur. Itaque optat, vt, exacto annuo temporis ſpatio, de eo, cui ODHELIVS opem tulit, referatur, quomodo viſu polleat. p. 326.

XI. CAR. WILH. SCHEELE docet parare *nouum pigmentum viride*, ex vitriolo cupri et arſenico. p. 327.

XII. ANDR. SPARRMANN, quaedam ad *Hippopotamum amphibium* pertinentia refert, et depictum ſiſtit animal 8 aut 14 dierum aetate, quod cepit. Et hic, et antea, cum de rhinocerote ageret, aliqua comitis DE BUFFON pronunciata refellit. p. 329.

p. 334. XIII. CLAVD. BIERKANDER *erucam* obſeruauit, quae *auenae grana* excauat. Sed etiam reliqua cerealia adgreditur. Phalaenam, in quam abiit, habet pro phalaena tritici Faun. Suec. p. 1211.

II.

Von der Wirkung des Mohnſaftes in der Luſtſeuche. Nebſt andern zur Arzneygelahrheit und Naturlehre gehörigen Beobachtungen, Nordamerika betreffend, von D. JOHANN DAVID SCHÖPFF, *Feldmedicus bey den Fürſtlich-Anſpach-Bayreuthiſchen Trouppen dermalen in Nordamerika. Mit einer Vorrede herausgegeben von dem geheimen Rath und Profeſſor* DELIVS. *Erlangen bey Johann Jacob Palm* 1781. 8. *Seitt.* 48.

i. e.

De effectu opii in lue venerea. Accedunt obſeruationes ad medicinam et hiſtoriam naturalem pertinentes, et in America ſeptentrionali collectae. Auctore IOANNE DAVIDE SCHÖPFF.

Praefatus eſt Ill. DELIVS his obſeruationibus, et de mali venerei diuerſitate atque varia eidem methodo medendi differens hanc cum opio, quam
p. XV. Cl. SCHÖPFF communicauit, tradit. Non quidem reprehendit Ill. DELIVS vſum mercurii in lue venerea aeque ac aliis variis morbis, interim tamen cautum cenſet eſſe debere mercurii vſum. Atque confitetur, ſe varia ſine mercurio eiusque praeparatis ſanauiſſe mala venerea, aliis medendi rationibus. Iam Cl. SCHÖPFF opii vires in malo venereo perſcrutatus eſt.

Fortuito

Fortuito caſu opii vſus in lue venerea eſt de- p. 1.
tectus. Iuuenis nimirum ea, variis mercurialibus aliisque remediis fruſtra tentatis, ſumme debilis redditus erat, quam debilitatem ſomni defectus praeterea augebat. Cuius rei cauſa opium eligebatur, et, vti euentus docuit, cum bono ſucceſſu. Nam huius iuuenis debilitas imminuebatur, et reſtituebatur is ſanitati. Cui exemplo additae ſunt obſeruationes aliae, quas in poſterum plures ſecuturas Noſter pollicitus eſt. Parua doſi primum exhibebatur opium, et ſymptomatum ratione habita diligenti ſenſim paulatimque augebatur. Nullae inde alui obſtructiones ſunt animaduerſae, et ſi aderant, facile poterant tolli.

Vtrum vires opii in malo venereo ab eius ano- p. 8.
dyna, ſpaſmodica, narcotica, neruinaque virtute ſint repetendae, an illud remedium antiuenereum ſit, non audet Noſter definire, ſed tradit hoc vlteriori experientiae. Noſtro antidotum venereum videtur, Ill. DELIO, vti ex praefatione intelligitur, non ita: is enim potius fauet neruinis opii viribus. Per duodecim menſium ſpatium hoc remedio in hoc morbo coeptum eſt vti, et obſeruationes collectae ſunt.

2) De climate et tempeſtate in America ſe- p. 14.
ptentrionali. Durantibus quatuor aeſtatibus et tribus hiemibus collegit Noſter obſeruationes de proprietatibus climatis huius, quibus ea, quae iamiam tradita atque partim a nobis narrata ſunt, confirmantur.

3) De morbis hic ſolemnibus, quorum non- p. 31.
nullorum iam a nobis *) eſt mentio facta. Durante aeſtate apoplexia hic communis eſt. Quinquaginta et nouem ob ardorem ſolis ſine vulneri-

*) v. comm. noſtr. ſuppl. IIdae decad. 406 ſeqq.

bus Iunio 1778 inter certandum moriebantur. Peculiare exanthema hic per aeſtatem commune eſt, nomenque hic habet *Prikling heat*. Cutis ſcilicet maculis maioribus minoribusue rubris obſeſſa eſt, quae pruriunt, nec eleuatae diſparent et redeunt, quemadmodum caloris gradus vel increſcit vel decreſcit. In ſolis ardori expoſitos facilius cadebant hae maculae, quam domi morantes. Apud Noſtrum verſus meridiem apparuerunt. Tempeſtate temperata deſquamatio cutis fiebat. Maximo caloris praeſente gradu, catarrhi et coryza graſſantur. Inter morbos autumnales remittentes et intermittentes febres cum bilioſis ſymptomatibus primo loco ſunt nominandae, quae ſaepe ſpeciem febris Indiae occidentalis *) prae ſe ferunt. Per annos 79 et 80 frequentiores hae febres erant. Paludibus ad has febres ac alios morbos generandos multum tribuitur. Copiae a contagioſis morbis erant immunes. Per hiemem graſſantur inflammatorii morbi, inprimis pectoris. Duo morbi, angina nempe membranoſa (*croup* **) et tumor glandularum colli et teſticulorum (*mumps* ***), et hic occurrunt. Vtrique inprimis cadunt in iuuentutem, et poſterior contagioſus videtur, ſaltem in puerorum totis ſcholis ille graſſabatur. In cadaveribus reperit Noſter plerumque maiores minoresue polypos cordis et vaſorum maiorum eiusdem tenacitatis, craſſitiei et albedinis, quam cruſta inflammatoria. Sunt inorganicae et gelatinoſae membranae, quae, inflammationibus praecedentibus, ſuperficiem pulmonum aliorumque viſcerum obtegunt. Tribuit hoc Noſter vſui frequentiori potuum ſpirituoſorum. Culex pipiens LINN. efficit

*) v. comm. noſtr. Vol. XIV. p. 59. et Vol. XV. p. 111 ſeq.

**) v. ib. Vol. XXIII. p. 239 ſeqq.

***) v. ib. Vol. IX. p. 305.

cit peregrinis in primo anno tot tumores fere, quot morſus. In ſequentibus annis autem nil habent facile, quod de hoc animali timeant.

III.

CONRAD. MÖNCHS, *Aſſeſſor bey dem mediciniſchen Kollegium und Apotheker in Caſſel, Bemerkungen über einige einfache und zuſammengeſetzte Arzneymittel, Frf. und Leipzig bey Johann Georg Fleiſcher*, 1781. 8. *Seitt.* 80.

i. e.

Annotationes ſupra nonnulla ſimplicia et compoſita remedia. Auctore CONRADO MÖNCH.

Adhibentur, vti videtur Noſtro, nimis multa medicamenta exotica, ſaepe mangoniſata, admodum pretioſa, et quoad vires multa nobis ignota vel ſaltem dubia. Pariter compoſitiones variae medicamentorum ſibi contrariantur et incertitudinem produnt. Pharmacopoeis quidem pleraeque regiones inſtructae ſunt, et admodum multum emendatis, vt Suecica, Ruſſica cet. ſunt; interim tamen neque hae pharmacopoeae vnam ad normam medicamina parant, vt ex tartari emetici praeparatione et ſ. p. elucet.

Inter ea remedia, quae hic a Noſtro pertractantur, et quorum nonnulla exempli loco commemoramus, inuenimus pilulas maiores HOFMANNI, quibus multum praefert ſolutionem fluidam, qua ſola omnis doſis mercurii ſublimati corroſiui iuſte et aequaliter ſoluitur, reliquis harum pilularum incommodis, quae narrata ſunt, miſſis. p. 30.

Radicibus chinae ponderoſae et ſaſſaparillae proſtant efficaciores. p. 33. et 34.

p. 47. Extractis ſubſtituuntur pulueres plantarum.
p. 61. Oleum amygdalarum dulcium frigide expreſſum reiicitur. Amygdalae enim humiditate aquoſa gaudent, quae pondus olei augent, facile autem ei quoque rancorem conducunt. Quod autem in oleum amygdalarum dulcium calide expreſſum non cadit, cum calor humidas particulas abripiat. Apud
p. 62. nos ita hoc oleum exprimitur. Rhabarbarum a Cl° MODEL *) decompoſitum omnem mereri Noſtro videtur attentionem. Detectum enim a Cl° MODEL in rhabarbaro gypſum noxium iudicatur a Noſtro, qui plura inſtituet experimenta.

IV.

Des Ritters JOHANN FLOYER'S, *der Arzneygelahrheit Doktors, Abhandlung von der Engbrüſtigkeit. Nebſt einem Anhange, der die Beobachtung des* RIDLEY *über die Engbrüſtigkeit enthält. Verdeutſcht und mit einigen praktiſchen Anmerkungen verſehen von D.* JOHANN CHRISTIAN FRIEDRICH SCHERF, *der Kaiſerl. Akad. der Naturforſcher Mitglied. Leipzig im Verlag der Dyckiſchen Buchhandlung* 1782. 8. *Seitt.* 334. *außer der Vorrede des Ueberſetzers, Inhalt, Zueignungsſchreiben und Vorrede des Verfaſſers.*

i. e.

De aſthmate tractatus, auctore D. IOANNE FLOYER, cum RIDLEII obſeruationibus de eodem, a D. IOANNE CHRISTIANO FRIDERICO SCHERF translatus.

In Germanicum vertit ſermonem hos libros D. SCHERF, quos non nuper vulgarunt FLOYER, et HUMFREY RIDLEY. Ille tertiam et auctam editionem

*) v. comm. noſtr. Vol. XXI. p. 528.

tionem anno 1745 Anglica lingua edidit, et RIDLEII liber hoc titulo *) prodiit. *Theoriam Floyerianam* non arridere ſibi aeque ac fortaſſe aliis viris doctis fatetur in praefatione interpres. Floyerianus liber autem eſt rarus ipſa in Anglia, et aeſtimatur etiam hactenus a medicis, et practicae obſervationes vtiliores et meliores reperientur, atque theoria, quam ideo quoque plane non refutauit Noſter, qui, ſi ſuperari poſſent varia impedimenta, mauult aliquando aſthma ita deſcribere, vti Cl. TENKA febres intermittentes cet. perſecutus eſt. Floyerianus liber eſt verbo tenus translatus; Ridleyiana autem verſio complectitur ea, quae ad aſthma pertinent, et eſt liberior; interdum quoque omiſit quaedam interpres. Quod attinet ad annotationes practicas, a Noſtro additas, largitur, eas non eſſe omnibus numeris abſolutas.

Contenta ſunt in hoc libro introductio de aſthmate, deſcriptio ſymptomatum ante paroxyſmum a flatulentia, aſthma flatulentum, in paroxyſmis ipſis et interuallis diuerſis. Altero in capite deſcribitur, praeternaturalis ſtatus lactei ſucci, ſanguinis et ſeri in aſthmate, et rarefactio animalium ſpirituum per fermentationem in humoribus, vnde periodici oboriuntur paroxyſmi. In tertio capite agitur de aſthmaticis paroxyſmis eorumque cauſis apertis, e. c. aere, vitae genere, corporis exercitio, commotionibus animi e. ſ. p. item de iis morbis, quibus aſthma eſt ſymptoma. In quarto capite de medendi methodo aſthmati, tam in paroxyſmo, quam extra eum. Appendix ſpectat grauitatem aſthmatici ſecundum methodum SANCTORII, relationem anatomicam de aſthmatica equa et RIDLEY animaduerſiones de aſthmate.

p. 40.
p. 68.
p. 95.
p. 177.
p. 290.

*) Obſeruationes medicae, inter quas aliquanto fuſius agitur de aſthmate et hydrophobia. L. B. 1738.

p. 25. In praefatione a Cl° FLOYER praemiſſa, de diverſis cauſis et ſpeciebus aſthmatis agitur. Antea vero de reſpiratione, eiusque cauſis, vtilitate cet. diſputatur. Ac primum quidem pendent reſpirationis laeſiones a praeternaturali ſanguinis conditione et immediate a praeternaturali pulſus dextri ſeu anterioris cordis ventriculi; dein eae ab obſtructione vaſorum ſanguiferorum ſeu bronchiorum, vel de eorum compreſſione ſeu contractione ſunt repetendae, et tertio eae in muſculis, qui reſpirationem efficiunt, quaerendae ſunt.

p. 191. Quod attinet ad medendi rationem aſthmati, proponitur a Noſtro haec: 1) Flatulenta et aere plena cacochymia eſt euacuanda, 2) ea per carminatiua remedia eſt corrigenda, 3) quaelibet fermentatio in humoribus eorum corporum ſeu rarefactio ſpirituum eſt vitanda, 4) obſtructiones glandularum in pulmonibus, ſi quae adſunt, reſolvendae et glandulae cerebri adſtringendae ſunt, ſeu earum tonus tenſioque efficienda eſt.

Ex obſeruationibus de aſthmate a H. RIDLEY traditis, ſectionem, mortuo aſthmatico, communicamus: Pylorus erat craſſus et ſcirrhoſus, ex parte etiam duodenum, pancreas et glandulae meſeraicae. Hepar erat flauum et viride. Renes et cetera erant ſana. Pulmones adnati cum diaphragmate erant dextrorſum, ſiniſtrorſum cum pleura et ſero vtrinque impleti cet. glandula pinealis erat plena albis et aſperis calculis.

V.

Diſſertazione ſopra una cieca nata guarita, in cui trattaſi di una rara ſpecie di cateratta connata, di GIOVANNI BORTOLAZZI, Chir. Veron. In Verona. Per gli Eredi di Marco Moroni MDCCLXXXI. p. CIV. in 8.

i. e.

i. e.

10. BORTOLAZZI differt. de puella, quae caeca nata erat, ſanitati reſtituta etc.

Auctor, qui Veronae chirurgiam facit, inprimisque in lapidum exſectione, ſuffuſioneque oculorum curanda occupatur, e ſchola diſciplinaque prodiit DOMINICI UCCELLI, chirurgi Mediolanenſis, e cuius celebritate ſi diſcipuli dexteritatem colligere liceat, haud leuis ſpes animos deliniet noſtros. Neque vero exſpectatio noſtra eludetur, perlecto hocce libello. Etenim in prima diſſertationis parte auctor, narrata paululum verboſius, quod in vniverſum crimini verterim Cl°. BORTOLAZZI, hiſtoria puellae, quae ipſi occaſionem ſcribendi praebuit, p. 23. diligentiſſime de ſignis exponit, vnde bonam ſuffuſionis indolem colligere liceat; hinc cauſas adfert, quibus inductus extractionem cataractae praeferendam putet eiuſdem depoſitioni.

Deinde tranſit ad ipſam puellae cum caecitate p. 38. natae operationem, quam, humoribus (nam erat chlorotica) largo decoctorum amaricantium et ſalis diuretici modico vſu emendatis, ita inſtituebat, vt inſtrumento perforaret corneam transparentem in lineae vnius diſtantia ab illo, quo cornea opaca circumſcribitur, circulo: tum ad ipſam penetraret humoris cryſtallini capſulam: quo facto magna cum vi prorupit materia brunnea, quae cum humore aqueo mixta, cameram oculi anteriorem reddebat obſcuram. Cl. BORTOLAZZI ratus, iſtam materiam eſſe partem humoris vitrei, de infelici operationis ſucceſſu metuebat, maximopereque mirabatur, quod, oculo poſt peractam operationem aperto, nullum opacitatis veſtigium deprehendebat, (ſimile quid etiam alii obſeruarunt, inter quos vnum ACRELIVM, cf. eiuſd. *chirurg. Vor-*

fälle B.I. laudaſſe ſufficiat); quam ob rem ſtatuit, cataractam ſimilis naturae in humore aqueo poſitam eſſe. Vulnus oculo inflictum ſanabat abſque fomentationum ſpirituoſarum, vel roborantium vſu, quem cum aliorum, tum ſui ipſius experientia inutilem, quin pernicioſum reperit. Febris, quae operationem ſequebatur, impediebat Cl^um^ BORTOLAZZI quominus ſtatim ad alterius oculi curationem progrederetur, quam, etſi poſt XXVIII. dies omnia ab operatione relicta ſymptomata euanuerant, tamen poſt anni demum ſpatium aeque feliciter ſuſcipiebat. — Altera diſſertationis parte exponit auctor de optimis inſtrumentis, ad cataractae extractionem neceſſariis, acumque a WENZELIO (vid. *diſſ. medico-chirurg. de extract. cataractae. Par.* 1779.) deſcriptam reliquis omnibus anteponit; denique ſubiungit varias obſeruationes, ex vtraque, hocce libello deſcripta, operatione natas. Sic v. c. illud in hac puella ſingulare deprehendit, quod ipſa ſtatim poſt operationem finitam de magnitudine, diſtantia, ac poſitione rerum obiectarum recte iudicare poterat: quodque prius, quam oculo rectam imprimere directionem ipſi licebat, motus quosdam inuoluntarios atque inconſtantes perficere cogebatur, id quod tamen haud adeo infrequens eſſe ii fatebuntur, qui eiuſmodi operationi crebrius adfuerunt. Quod prius attinet, illud plane contrarium eſt obſeruationi Cheſeldenianae in *Philoſoph. Tranſact. no.* 402. *p.* 447. enarratae. Etenim ille teſtatur, iuuenem caece natum poſt operationem diſtantiam corporum a ſe inuicem non potuiſſe finire; eas tantum res gratas habuiſſe, quae leuem offerebant ſuperficiem; initio corpora tantum exigua potuiſſe intueri, quae ipſi admodum magna videbantur, viſis vero maioribus, tunc prius conſpecta ſtatuiſſe minora: cum denique

etiam

etiam alterius oculi cataracta curata esset, omnes res obiectas, vtroque oculo visas, duplo maiores ipsi adparuisse, quam si vno tantum oculo vteretur. Quae quidem differentiae inter vtramque obseruationem occurrentes quomodo conciliari inuicem queant, viderint illi, quibus opportunitas frequentior contigit, ea, quae visu recuperato aegroti sentiunt, considerandi.

VI.

A Treatise on the diseases of the Eye, and their remedies; to which is prefixed the Anatomy on the Eye; the Theory of Vision; and the several species of imperfect Sight, by GEO. CHANDLER, Surgeon, London, by T. Cadell. 1780. pagg. 139. octon. mai. c. tab. 3.

i. e.

GEORG. CHANDLERI tractatus de morbis oculorum, eorundemque remediis; praemissa est oculi anatome, visus theoria, variaeque imperfecti visus formae. c. f.

Oculi vti tam subtilis atque miranda est structura, vt facillime a variis laedi vitiis queat; ita etiam ea est praestantia, vt omnem mereatur laudem, qui in praecauendis eiusmodi malis, aut iam praesentibus tollendis omne studium operamque consumit, exhaustique laboris praemium reperit, quod huic vel illi vitio medelam, vel certe lenimen, adferre possit. Inter hosce vero medicos an iure meritoque reponendus sit Noster, id est, de quo maximopere dubitamus. Etenim ea fere omnia, quae de morbis oculorum, illorumque remediis tanta cum breuitate disputat, vt, qui inde morbis

istis

istis curandis aptior reddi posse sibi videtur, perlecto libello spe cecidisse sua, haud temere conqueri debeat, ex aliorum scriptorum operibus hausta sunt atque expressa. Inprimis vero auctor compilauit HEISTERI chirurgiam, indeque, diligenter satis suae doctrinae fonte celato, aut leuiter et quasi per transennam commemorato, expromsit, quae ad notionem morbi huius vel illius accurate formandam, signa et causas sagaciter indagandas, curationemque feliciter instituendam apprime facientia, libello hocce continentur. Facillimum foret, id, de quo CHANDLERVM accusauimus, ampla exemplorum copia comprobare, nisi metuerimus, ne, nimis larga messe inuitati, modum in colligendo excederemus, taediumque lectoribus crearemus. Liceat igitur tantummodo libelli argumentum, veluti in compendium missum, proferre, et quid auctori proprium sit, diligentissime indagare.

Primo igitur capite continetur anatomica oculi descriptio, quae quamuis breuiter admodum de oculo in vniuersum, eaque, qua sapientissime a naturae auctore reconditus est, cauitate; de externis eius partibus; de bulbo, et quibus constat, tunicis, humoribus, neruoque optico; de vasis sanguiferis, lymphaticisque; de neruis denique, qui praeter opticum ad oculum transferuntur, exponat; tamen sufficere videtur ad ea in memoriam iterum reuocanda, quae quis ex anatome vberius accuratiusque nouerat. Nihil enim aliud commodi exinde in lectorem redundaturum esse, facillime praeuidemus: isque, qui praeter ea, quae ab auctore de visus organo partibusque illud componentibus exposita sunt, nihil cognitum habuerit, ne in oculi morbis curandis infelicissimo saepius vtatur successu, haud temere veremur.

Secundum caput exponit visus theoriam, et ita quidem, vt primum naturam virtutesque lucis expendat,

pendat, dein rationem tradat, qua viſus efficiatur. Tota de natura lucis diſputatio hisce verbis continetur: „Lux habetur ſubtiliſſima materia, quae p. 39.
„ex immenſo ſole originem trahit ſuam, incredibi-
„lique celeritate (nam ſexageſima horae parte ſpa-
„tium decies millenorum millium milliarium
„percurrit) exinde per hocce diffunditur vniuer-
„ſum: ad externam corporum ſuperficiem delata,
„indeque ad oculum repercuſſa, corpora reddit
„adſpectabilia. In luce igitur cauſa latet materialis
„viſus.„ Locum hunc non propterea excerpſimus, quod noui quid, et antea inauditum contineret, ſed vt ſpecimen lectoribus exhiberemus, vnde ad doctrinam auctoris, rationemque ſcribendi concludi poſſent. — Inter virtutes lucis enumerantur *reflexio* atque *refractio:* et non niſi ea adferuntur, quae omnibus, qui vel primis labris phyſicen guſtarunt, non poſſunt non eſſe notiſſima.

Tertio capite tranſit auctor ad viſum imperfectum pertractandum. Quo quidem nomine intelligit „debilitatem viſus, ſiue illa ſit *abſoluta*, ſiue *relatiua*, ſine vlla opacitate corneae, aut internarum oculi partium.„ Quae notio quam vaga ſit, nolu- p. 52.
mus breuitatis ſtudio pluribus demonſtrare. — Ad viſum imperfectum refert *hemeralopiam*, *nyctalopiam*, *myopiam*, *presbyopiam*, *abſolutam viſus ineptitudinem* (an abſolute Dulneſs of Sight), *viſum obliquum* (h. e. illud oculorum vitium, quo res obiectae, linea recta ante oculum poſitae, minus perſpicue, illae vero, quae obliquo iacent ſitu, clare conſpiciuntur;) et denique *ſtrabiſmum*. (Omiſſum h. l. eſt illud vitium, quod interdum obſeruatum eſt, quo nempe aegroti colores nonnullos a ſe invicem diſcernere nequeunt, quamuis ceteroquin viſu gaudeant acri. Cuiusmodi exemplum a SCOTTO relatum legimus in *Philoſoph. Tranſact. Vol. LXVIII.*

LXVIII. Pars I. et a RICHTERO in *bibl. chirurg. B. 5. p. 637.*)

p. 75 – 191. Altera iam libelli parte morbos oculi, proprie ſic dictos, enumerat, enumeratorumque cauſas varias, variamque medendi rationem pauciſſimis complectitur verbis. Haec ita ſeſe vere habere, patebit ex morborum pertractatorum catalogo cum plagularum, quibus deſcribuntur, numero collato.

p. 77 – 80. Agit vero Noſter de palpebrae ſuperioris nimia laxitate (laudat huic vitio curando aptum vnguentum ex mari Syriaci vnc. IV. cuius partes efficaciſſimae ſpiritus vini libris IV. extrahuntur: in hac ipſa tinctura ſoluuntur ſaponis libra vna, et camphorae vnciae IV. denique adduntur ſpiritus ſalis ammon. vnc. V. Hanc medicinam, aliquoties de die palpebrae vicinisque ſuperciliorum partibus infricatam, admodum efficacem expertus eſt;): de lagophthalmo; de ectropio; de trichiaſi; de ancyloblepharo; de variis tuberculis atque excreſcentiis palpebrarum, hordeolo, grandine, chalacio, verrucis, hydatidibus, ſteatomate, atheromate, meliceride, quas excreſcentias, inprimis poſteriores duas, ſi exiguae adhuc ſunt, Angli *Styes*, ſin ad magnitudinem ſatis amplam peruenere, *Wens* vocant;

p. 81. p. 84. p. 88. p. 93. p. 98.

p. 102. de puſtuloſa excoriatione atque exulceratione palpebrarum; (quando hoc malum aliquantum temporis durauit, cartilago tarſi veluti arcus quidam prominet, difficulterque ſanationem admittit. Hinc principiis obſta: morboque recenti venaeſectionem, pro inflammationis vehementia nunc largiorem, nunc pauciorem, aliaque remedia antiphlogiſtica opponit, ſequensque cataplaſma ſimul adhibet:

℞. Rad. Lilior. ℥ſſ.
Flor. Melilot. ſ. Sambuc. ℥j.
Croc. orient. ℈j.
M. Coqu. in aqu. comm. q. ſ.

add.

add. Sal. Ammon. gr. vj.
Farin. tritic. q. ſ. vt fiat cataplaſma.

Hoc linteis inuolutum oculo tepidum imponatur, bisque de die renouetur, donec palpebrae, tenſione ſublata, rugeſcant, atque relaxentur. Quo facto adſtringentia in vſum vocentur. Malo vero inueterato, palpebras mane veſperique hoc vnguento oblinit:

℞. Sacch. Saturn. ʒj.
Ceruſſ. ℈iv.
Camphor. gr. vj.
M. Conter. c. pauxillo oleo roſac.
add. Vngu. de Tutia ʒj.

Quando aegrotus hoc non ferat vnguentum, ad remedia lenientia e butyro recenti, non ſalito, oleo blando et cera alba parata, confugiendum.) de lippitudine, immoderataque glandularum ciliarium ſecretione; de epiphora; de cancro palpebrarum; de encanthide; de vngue, pterygio ſ. panno; de fiſtula lacrymali (ſi conſuluerimus egregiam RICHTERI hoc de argumento diſſertationem. *commentariis Soc. reg. Gotting.* 1778. inſertam, videbimus, quantum CHANDLER. diſtet ab illo): de ophthalmia; de phlyctaenis corneae et coniunctiuae; de abſceſſibus corneae; de vlceribus corneae atque coniunctiuae (*βόθριον, κέλωμα, ἀεγεμὼν, ἐπίκαυμα, ἔγκαυμα*); de maculis et obſcuratione corneae tranſparentis; de ſtaphylomate; de hypopio; de concretione pupillae; de inflammatione choroideae tunicae; de cataracta. (Idem pretium huic breuiori diſſertationi ſtatuendum, quod RICHTERVS *bibl. chirurg. to. III. p.* 559. libello eiusdem argumenti, ab eodem auctore 1775 ſub hoc titulo: *A Treatiſe of the Cataract, its Nature. Species, Cauſes and Symptoms*, edito, ſtatuebat; eſt ſcilicet tota ex HEISTERO, PLATNERO, YVESIO et WARNERO

p. 105. p. 106. p. 107. p. 109. p. 111. p. 116. p. 127. p. 141. p. 144. p. 145. p. 148. p. 150. p. 154. p. 158. p. 160.

p. 179. RO ſatis negligenter compilata.) de gutta ſerena;
p. 183. de hydrope oculi; de abſceſſibus et denique de
p. 189. cancro oculi.

Quorum quidem morborum cenſus quamuis amplus ſit, nec optandum videatur, vt ſint praeter illos, qui interdum adhuc incidere atque miſeram hominum ſortem miſeriorem reddere poſſint; tamen omiſſi ſunt varii, qui prae multis aliis attentionem merebantur. Huc referenda eſt *exophthalmia*, h. e. illud oculi vitium, quo bulbus ab tumoribus in oculi cauitate natis, et ſenſim ſenſimque increſcentibus foras truditur: *excreſcentiae fungoſae*, in ſuperficie bulbi natae, quae ſaepius exſtirpationem bulbi requirant: de quibus LOUISIVS egregie ſcripſit in *Mémoires de l' acad. roy. de Chirurgie to. V.* vbi etiam de optima, oculum exſtirpandi, methodo agitur. Neque memini aliquid legere a CHANDLERO traditum de paralytica muſculorum bulbum mouentium adfectione, et quae ſunt ſimilia omiſſionis peccata. Quae cum ita ſint, nos non poſſumus non ſatis mirari, quod hic tam ieiune ac negligenter ſcriptus libellus in linguam traductus ſit vernaculam, niſi interpres illum praelectionibus de morbis ocularibus ſuper illum habendis idoneum iudicauerit. Verſio illa prodiit Lipſiae apud *Weygandum* 1782. octonis pagg. 200.

VII.

Syſtematic Elements of the Theory and Practice of Surgery by JOHN AITKEN, Fellow of the Royal College of Surgeons; one of the Surgeons of the Royal Infirmary, Member of the medical Society, and Lecturer on Chirurgical Anatomy and Pharmaceutic Chemiſtry in Edinburgh. Edinburgh 1779. 8. pagg. 574. ſine praefatione.

i. e.

i. e.

Elementa chirurgiae theoreticae et practicae. Auctore IOANNE AITKEN.

Praemiſſis nonnullis generalioribus definitionibus, prima parte noſologiam chirurgicam, ſecunda libri parte manualem chirurgiam comprehendit, atque propemodum tabulari et aphoriſtica methodo proſecutus eſt chirurgicos morbos, eorumque denominationes, ſynonymias, cauſas et curationes pertractat in prima parte, in altera parte autem et curandi viarum diuerſitatem et rationem perpendit.

Quae cum nimis breuiter dicta ſunt, nec nouas quasdam ſententias proponunt, neque ſyſtematicum omnino ordinem ſequuntur, plane non admittunt contentorum indicationem vberiorem, quapropter intereſt, vti nobis videtur, modo quaedam afferre exempla: igitur ex prima parte e. g. eryſipelas proferamus, vt, ſecundum quas leges Auctor librum compoſuerit, appareat.

Eryſipelas.
Erythema.
Ignis Sti Antonii.
Ignis ſacer.
Eryſipele.
Feu d' Antoine.
Feu du St. Antoine.
Feu ſacre.
Roſe.
St. Antony' Fire.
Roſe.

Erythema, tumor ſine febre, ſuperficiarius, ſolitarius, diffuſus, rubro-roſeus, preſſione euaneſcens. SAUVAGES.

Eryſipelas, eruptio erythematis, cum ſynocha febri. SAUVAGES.

Eryſipelas, macula vrens, rubens, preſſione diſſimulanda, tumidiuſcula, ſuperficialis, dilatabilis, diſquamatione finienda. LINNEVS.

Eryſipelas, inflammatio lata cutis, quae ſplendet leuiter et aequaliter tumet. VOGELIVS.

Eryſipelas, ſynocha vnius vel duorum dierum, in cutis aliqua parte, ſaepius in facie erythema. CVLLENVS.

Eryſipelas, eruptio erythematis, cum febre continua; tumidula, ſuperficialis, diſquamabilis; ſiſtit nimirum maculas latas, amplas, ſubtumidulas; non ſuppurabilis. SAGAR.

Praeterea progreſſus morbi et curatio exponitur.

In altera parte de operationibus ſermo eſt. Sed cum et haec nimis breuiter et feſtinante calamo conſcripta ſunt, nec primam nec alteram partem ſcientiae magnam vtilitatem et incrementum afferre arbitramur.

Satis accurate compoſitus index huic libro finem imponit.

VIII.

Elements of the Theorie and Practice, of Phyſic and Surgery, by JOHN AITKEN, M. D. Fellow of the royal College of Surgeons, one of the Surgeons of the Royal Infirmary member of the royal medical Society of Edinburgh, member of the Society of Antiquaries of Scotland, Lecturer on the Practice of Phyſic and on Anatomy, Surgery and Chemiſtry in two Volumes. London 1782. Vol. I. pagg. 581. ſine praefatione. Vol. II. pagg. 606. ſine praef. 8.

i. e.

i. e.

Elementa therapiae et chirurgiae theoreticae et practicae, auctore IOANNE AITKEN, M. D. Vol. I. et II.

Propemodum simili ratione haec duo volumina conscripta sunt, sicuti antecedens liber, ita, vt debeamus de his ipsis aequale ferre iudicium. Volumen primum proponit therapiam specialem. Postquam enim auctor praemiserit definitiones vniversales physiologicas et pathologicas, et oblata epitome materiae medicae, morbos internos pertractat, eorumque definitiones, denominationes, species ex SALVAGIO, et aliis, causas et indicationes curatorias paulo curatius, quam in antecedente libro, disquirit.

In altero volumine enumerantur externi morbi: alias alterum volumen nihil aliud est, quam libri superius notati editio emendatior et auctior, et inprimis animaduertimus, nosologicam partem multum esse correctam et emendatam, cum e contrario operationes immo breuius descriptae fuerint. Sic etiam in noua hac editione multorum morborum fit mentio, quos omnino silentio praeterierat in prima, ita vt haec posterior editio priori multum sit anteponenda. Sic et sermo de operationibus, quamuis breuior, tamen nobis magis, quam in prima editione, placuit. Index praeterea diligentissime conscriptus his duobus voluminibus annexus est.

IX.

Modern improvements in the Practice of Surgery, by HENRY MANNING, M. D. London 1780. 8. pagg. 423.

i. e.

De nuperioribus in arte chirurgica factis emendationibus, auctore HENRICO MANNING.

Cum huius libri auctor fere nihil noui proponat, ſed modo conterraneorum ſuorum dicta, et inuenta iam ſatis cognita et probata enarret, noluimus longam eorum repetitionem hisce noſtris commentariis inſerere. Pertractat autem propemodum omnes chirurgicos morbos, eosque curandi vias, recenſens BELLII, RANBY, BROMFIELDII, POTTII et aliorum methodos. Quapropter hicce liber, alias forte vtilis, non iis annumerandus eſt, qui ſcientiam vel emendant vel corrigunt.

X.

An Account of the Methods purſued in the treatment of cancerous and ſcirrhous diſorders and other indurations, by I. O. IVSTAMOND, F. R. S. and Surgeon to the Weſtminſter Hoſpital. Lond. 1780. 8. pagg. 176.

i. e.

Tr. de variis morbis cancroſis et ſcirrhoſis medendi methodis, auctore I. O. IVSTAMOND.

Diuiſit Auctor tractatum ſuum in partes tres, in quarum priore vlcera cancroſa et remedia ab ipſo in vſum vocata et medendi cancro vteri rationem pertractat, altera de ſcirrhoſis tumoribus exponit, et tertia mammarum abſceſſus et tumores examinat.

p. 9. In vlceribus cancroſis laudat inprimis liquorem compoſitum ex anatica parte martis et ſalis ammoniaci ſpiritu vini rectificatiſſimi ſoluti, cui miſcelae additur oleum vitrioli et tartari. Propriam huncce liquorem praeparandi methodum paulo inferius p. 112. deſcripſit. Quo liquore ter de die vlcerum p. 11. irrorauit margines; mox vero ipſa vlcera; ſi autem vlcera peiora euadebant, et ſi dolores continuationem

nem impediebant, per aliquot dies eo non vſus eſt. p. 12.
Sic quoque tanquam internam medicinam aegris obtulit flores ſalis ammoniaci martiales a tribus granis bis de die ad drachmas tres et vnciam ſemis. Cum vero p. 19.
hicce liquor non omne malum tolleret, adhibuit quoque miſcelam ex anaticis portionibus arſenici, cupri, ſtanni et mercurii, ſuper quas ſpiritus vini et oleum vitrioli deſtillatum erat, et ſi dolores nimis increſcerent, decoctum capitum papaueris vlceri et cancro impoſuit. Quam methodum medendi poſtea pluries feliciter in vſum vocauit. Commen- p. 29.
dat quoque ex cicutae libris duodecim vel triginta balneum, idemque florum martialium vſum internum adminiſtrat. Porro in puluere combinauit p. 33.
arſenicum cum antimonio et opio, et, cum arſenico p. 35.
egregias vires ineſſe animaduertiſſet, ipſum interne ad granum de die cum puluere teſtaceorum commixtum, mox ad grana quatuor vel quinque in miſcela cum ſulphure exhibuit. Efficacia horum remediorum in variis caſibus varia erat. Remedia p. 45.
Comitis DE ARVNDEL ex arſenico et mercurialibus compoſita fruſtra adhibuit. Aerem fixum p. 55.
purgare vlcera cancroſa, vix vero eorum naturam immutare, auctor eſt.

In ſcirrho mammarum quoque liquorem ſuum p. 120.
et flores ſalis ammoniaci martiales laudat, neque ſpernit vſum continuatum balnei ex cicuta.

Mammarum abſceſſus denique et indurationes p. 164.
a lacte ſtagnante ſoluit ſolutione trium vnciarum ſalis ammoniaci in aquae fontanae menſura vna et anatica portione aquae Reginae Hungariae. Si p. 167.
mamma cum dolore tumet, in ſequenti formula anodynum cum ſale ammoniaco coniungit: Rec. Capit. papav. contuſor. no. XII. flor. ſambuc. Mij. Coque in aquae fontanae ℔ jſs vſque ad ℔j: In colato liquore ſolue ſalis ammoniaci crudi ʒij deinde adde camphor. in ſpiritu vini ſolut. vnciam ſemiſſem.

XI.

Obſeruations ſur une maladie d'os connue ſous le nom de necroſe, par Mr. DAVID, à Paris 1782. 8. pagg. 28.

i. e.

Obſeruationes ſuper necroſi oſſium, auctore DAVID.

Conſcriptus eſt hicce tractatus contra Cl^um BRVN, Chirurgum Tolutanum, qui plane contra obſeruationes DUHAMELII, BORDENAVE et TROIAE negauerat, nouum cylindrum circa emortuum formari. Et ipſe adfert Cl. DAVID exempla, vbi exſiccata et emortua fruſtula humeri, tibiae et femoris ex nouo cylindro arte et adminiſtrata ſectione
p. 9. muſculorum et oſſium exemit. Suſpicatur necroſin eſſe morbum perioſtei, quod inflammatum a materie oſſea expanditur, atque ita deſtruitur, vt in celluloſa naſcatur nouus cylinder oſſeus, cum e contrario antiquus cylinder a perioſteo ſeparetur atque emoriatur. Foramina fiſtuloſa, quae exterius apparent, a pure formata eſſe affirmat.

p. 14. Neque ita raro obuenit hicce morbus, vidit ipſum ſaepius. Enarrat eapropter exemplum, vbi partem emortuam oſſis, muſculorum ſectione facta atque oſſe deſtructo, exemerat, atque oſtendit commoda huius operationis, quae poſita ſunt in conſeruatione membri, ſicuti nonnullas praeterea adiungit regulas practicas.

XII.

ANDREAE BONN, Anatomiae et Chirurgiae in illuſtri Amſtelodami Athenaeo Profeſſoris, Commentatio de humero luxato, Lugd. Bat. et Amſtelodami 1782. 4. c. f. 4. pagg 60.

Quae

Quae iam Belgice prodierat commentatio, hic latino idiomate cum erudito orbe communicatur, et partim experimentis in cadaueribus inſtitutis, partim cognitione ſitus et motus muſculorum anatomica eruditus, oſtendit Cl. BONN ſaepe peccauiſſe chirurgos in diagnoſi et curatione luxati humeri.

Docet nos anatomica humeri conſideratio, p. I.
ipſum ſubſcapulari introrſum, infraſpinato et terete minori extrorſum, ſupraſpinato et deltoide ſurſum, latiſſimo dorſi et terete maiori retrorſum ferri. Impedit porro, vti perſpectum eſt, ſupraſpinatus, quominus deltoidis contractione humerus directe ſurſum adſcendat; infraſpinatus, celeriter antrorſum moto cubito, humeri caput retinet, ne excidat retrorſum ex ſuo ſinu; ſubſcapularis luxationi humeri antrorſum ſe opponit, vbi cubitus vi retrorſum ſeu extrorſum mouetur.

Propoſitis atque examinatis praecipuis de hu- p. II.
mero luxato ſententiis eruditorum, quorum iam plurimi luxationem verſus ſuperiora et exteriora negant, atque comparatis variorum virorum ſententiis, emendat lectionem in demonſtrationibus anatomico-pathologicis Ill. CAMPERI Part. I. lib. I. §. 14. et quidem hisce verbis: *praeſtat Cel.* CAMPERI *adducere auctoritatem, atque veram eius, mecum communicatam addere ſententiam, et emendationem verborum, quae in praeſtantiſſimo eius opere, errore typographico, irrepſerunt, humerum nempe excidere,* nunquam in poſteriorem, impedit acromium; „*quod de luxatione* in ſuperiorem *intelligendum eſt,* „*ideoque legendum: excidit proinde humerus modo in* „*alam, modo in priorem partem, id eſt, ſub pectorali* „*muſculo, nunquam in ſuperiorem, impedit acromium.* „*Forſan in anteriorem nunquam mouetur partem, niſi* „*poſtquam in ala aliquamdiu commoratus fuerit. Lu-*

 „*xatio*

„*xatio in partem ſuperiorem penitus praecauetur, niſi*
„*ſimul acromium et coracoideus proceſſus fracturam*
„*ſubirent, quod raro contingit.*„

p. 20. Mox varias humeri luxati obſeruationes recenſet, inter quas paucae ſunt, quae luxationem ver-
p. 21. ſus ſuperiora et exteriora admittunt. Et Auctor nec fractis ſcapulae proceſſubus humerum aſſurgere autumat; ipſo enim fracturae momento vim proceſſubus illatam humeri caput deorſum pellere contendit. Retrorſum luxati humeri vero exemplum mox enarrat: rhedarius nimirum, rhedam ducens circum longe eminentem arboris ramum, ſede ſua fere excuſſus, conſtrictis equorum habenis ſe ſuſtinuit, vnde humerum ramo impingens, luxatum habuit humeri caput retrorſum. Simili ratione etiam luxatio verſus inferiora, vel raro, vel
p. 24. nunquam accidit. Omnium frequentiſſime vero humerus introrſum et deorſum luxatur, cuius dislocationis exempla notantur quam plurima ab Auctore noſtro.

p. 35. Vt vero Auctor luxationis naturam adhuc curatius intelligeret, ipſam in cadaueribus, eleuato et retrorſum ducto brachio imitatus eſt, et experimentis hiſce inſtructus inuenit et agnouit tumorem ſub clauicula, foueam ſub acromio, deltoidis planitiem tenſam, brachium parte ſuperiore intortum, diſtantiam maiorem aut minorem anguli inferioris ſcapulae a coſtis, diſtantiam cubiti a corpore reliquo, olecranum antrorſum directum, bicipitis abbreuiationem, cubitum extendendi impoſſibilitatem, mobilitatem brachii non niſi retrorſum et antrorſum, vel parum ſurſum pro humeri introrſum luxati ſignis. Poſtea, ſectione inſtituta, inuenit, humerum per ruptam capſularem membranam inter muſculi ſubſcapularis et teretis minoris vtramque carnem ex articulo egredi. Idem

in

in viuo homine euenire, demonſtrant exempla CHESELDENI, LOESEKII et aliorum, atque etiam nouae effictae cauitates articulares ad ſcapularum ceruices pone ſubſcapularem muſculum. Haec de-p. 40.
nique dicta confirmat exemplis ex cadaueribus cum luxatione demortuorum deſumtis, et ſectione in tali cadauere inſtituta, deſcriptione concinna atque erudite compoſita, et iconibus egregie muſculorum atque oſſium dislocationem atque articularis cauitatis diformem figuram illuſtrat. Qui-p. 48.
bus duo exempla ex Houiano muſeo addit.

Luxatur itaque humerus, plerumque eleuato brachio: excidit ex ſuo ſinu, inter muſculum ſubſcapularem et teretem minorem, rupta membrana capſulari: et luxatum caput ſiue in cauo axillae nudum haeret, ſeu pone ſubſcapularem deliteſcit.

Denique de diagnoſi, prognoſi et curationep. 55.
exponit, quam in robuſtiore aegro machina Burmanniana a Cl. HVSSEM correcta fieri cupit.

XIII.

LEONH. LVDOV. FINKE, Comitatus Tecklenburgenſis Phyſicus, de morbis bilioſis anomalis, occaſione epidemiae, cuius hiſtoria praemiſſa eſt ab an. 1776—1780. in Comitatu Tecklenburgenſi obſeruatis. Accedit duorum infantum mortis cauſa, per anatomen detecta. Monaſterii Weſtphalorum, apud Phil. Henr. Perrenon, 1780. 8. plagg. 12. demta dedicatione et praef.

Bilis imperium quam late pateat in corpore humano, quamue diſſitis inde in locis a natiua ſua ſede, eadem contaminata vel corrupta, aegritudines moleſtas pariat, aut ſaltem earum ſigna ex-

ponat, beata iamtum cognouit antiquitas. Atque cum perquam multiplici, ſaepius admodum recondita forma incedere ſoleant mala ex hoc vitio oriunda, eo magis allaborauere praeſtantiſſimi artis doctores in tradenda eorum cognitione, diiudicatione et exſtirpatione; adeo quidem, vt vix aliquid hac de re dicendum ſupereſſe videatur. Nihilominus tamen viciſſitudo rerum humanarum variumque continuo viuendi genus noua quaedam in modo circumſtantiaue morbi producere queunt, notatu perquam digna, quamuis eius eſſentia eadem maneat. Inde ſane huius praecipue vaſtiſſimi generis morborum ſpecies et varietates nondum penitus exhauſerunt obſeruata practicorum, quin laude dignam emolumentisque abunde refertam operam facturi ſunt medentes, qui inſidiis vitiatae bilis ſingularibus latentiſſimisque perpetim inuigilauerint et animaduerſa ſua in publicos vſus conſignauerint. Egregie hoc praeſtitit Noſter, cui occaſio data fuit, epidemiam ex corrupta bile per quatuor annos Gueſtphalorum comitatum Tecklenburgenſem infeſtantem, vbertim obſeruare atque tractare.

p. 10. Primo omnium epidemiae exhibet hiſtoriam, inſimul vero incolarum regionis illius viuendi, cogitandi agendique morem breuiſſime refert.

p. 19. Tractationem ipſam autem in duas diſpeſcuit partes, quarum prima febrem hanc epidemicam deſcribit ſecundum ſtadia tria. Stadium primum, ex Auctoris ſententia, concernit minantis morbi ſymptomata, incurios per aliquot ſeptimanas, imo longius, vexantia.

p. 21. Stadium ſecundum in decurſu morbi poſuit. Febris interea, etiamnum ſine praeuiis aliis cauſis hic recenſitis, propter abundantiam materiae peccantis, vel virium defectum, vel contagio ſuſcepto, exſurgebat; non remittens, niſi aliquatenus circa veſpe-

veſperam. Cauſae interea atque phaenomena eius ſimilia erant febris bilioſae Lauſannenſis, a TISSOTO deſcriptae atque a BALDINGERO editae.

Aegrotantium autem ex hoc morbo aluum cum modo nimis clauſam, vel nimis fuſam, vel inter vtrumque poſitam obſeruaret Auctor, tria inde huius morbi genera conſtituit et deſcripſit, cauſam proximam harum diuerſitatum in materiae peccantis diuerſitate ponens. Tutiſſimum erat tertium. p. 29.
Cuiusque duratio longior, breuior, medicatione tamen ſiniſtre adhibita, certo in febrem putridam tranſiens, vel obſtructioni viſcerum, aut phthiſi hydropique anſam praebens.

Tertium ſtadium in reliquiis, ab aliis ſic dictis, p. 37.
morbi poſuit. Quas circa attente verſandum, et praeprimis radicem linguae exactius inſpiciendam curioſiusque examinandam eſſe, bene monet Noſter: quandoquidem conſpurcata adhuc viſcido, plus minus colorato, necdum penitus ſubacti miaſmatis in primis viis eſt indicium. Interea tamen eodem hic etiam abolito, poteſt adhuc fluidis corporis inſinuatum contineri; vnde a pharmacorum debitorum omiſſione, praematuro tonicorum vſu, neglectu diaetae, refrigerio, animi pathematibus, aliisque cauſis morbidis admiſſis facillima recidiua.

His ſubiunxit nonnulla rariora ſymptomata ſe- p. 45.
orſim, quae inter obſurdeſcentia, procliuitas in inſaniam; ſanguis purus proluuiei aluinae admiſtus, cum dyſenteria hic non confundendus.

Porro de complicationibus quibusdam exponit; vbi complicati morbi, ab anomalo probe diſtinguendi, ideam tradit et exemplis illuſtrat. Omnium vero complicationum peſſimam tunc deprehendit Auctor, variolas: vix enim eleuatae quinto iam die ſphaceleſcere incipiebant ex praeſente iamtum bilis corruptione. Quare, cum plurimos

infantes

infantes trucidarent, ad inoculationem confugit, ſicque educta prius bilioſa ſaburra, dein plures ſeruauit.

Vna alteraque digreſſione morbi, magis metaſtaſin materiae acris redolentis, enumerata, paucis de criſi agit. Hanc nunquam vel rariſſime naturam ſibi relictam in hoc morbo perfectam, fidam, certam, atque ſecuram praeſtitiſſe dicit Noſter, atque propria experientia confirmatum vidit BAGLIVII aſſertum de minori iudicialium dierum in eodem valore. Praeter vias regias ſurſum deorſumque principali morboſae colluuiei patentes, nonnunquam etiam per ſputa, raro per ſudorem vel exanthemata chronica, per haemorrhagiam nunquam exterminatam animaduertit.

Medelam interea fecit et haec febris nonnullis aliis inueteratis malis; quae ſalubritas certe a quibusuis motibus febrilibus rite compoſitis et a prudente medico directis, exſpectari poteſt ac debet.

p. 61. Methodum medendi, ſecundum ſua tria genera, exponens, laudat Auctor eliminationem materiae morboſae bilioſae per ſuperiora, quam cito fieri poteſt: neque tamen crudam, ſed coctam; praeparatam nimirum atque diſpoſitam ita naturae actionibus vel pharmacis incidentibus ſoluentibusque viſcidum, vt ſequi poſſit. Et primo quidem generi cum aluo ſtipatiore, tartarum emeticum; alteri cum aluo laxius ſuccedente ipecacuanham
p. 68. magis conducibilem reperit. Adſtringentium vero et chinae vſum ad praeualentem debilitatem tollendam, niſi omnis impuritas e primis ſecundisque viis eliminata atque deleta fuerit, perquam noxium deprehendit, exemplisque ſiniſtri euentus commonſtrauit.

p. 77. Damnat, et merito quidem, timiditatem nonnullorum circa emeticorum exhibitionem, oſtenditque,

ditque; infantibus, grauidis, parturientibus, haemoptoicis, hernioſis, imo iis, qui antea vomitum cruentum ſenſerunt, prudente manu circumſpectoque conſilio eadem propinari poſſe, optimo cum effectu.

Inualuit noſtris temporibus, omnem fere febrem, cum virium deiectione inſigni coniunctam, putridam pronuntiare; inualuit peſſimus mos, in commotionibus iſtis ſalutaribus naturae contra inſidias ſanitati integrae exſtructas citra omnem rationem, ex conſuetudine quaſi, illico ſanguinem per venam detrahere. Egregie oſtendit Noſter, p. 79. exemplisque corroborauit; febrem, ſi etiam lingua a bile corrupta, defoedata fuerit, inde non ſemper putridam eſſe, atque ſanguinis miſſionem dolores aut alia quaedam incommoda quidem mitigare, ſimul vero tunc vires infringere, ſicque a muniis contra morbificam materiam praeſtandis auocare.

Propoſitis abinde nonnullis, quae diaetam conualeſcentium recidiuarumque curationem ſpectant, ad alteram partem operis progreditur, quae de morbis bilioſis anomalis agit. Hic in praemiſſa generaliori tractatione notionem huius conditionis morbi excutit, cuius tria data momenta eo redeunt, vt a materia bilioſa proueniens ſub longe alia forma incedat, neque tamen expugnabilis facile ſit, niſi antibilioſis remediis.

Huius cenſus duo ſumma genera conſtituit Auctor, morbos nempe febriles et non febriles. Miſſis tamen febrilibus bilioſae proſapiei intermittentibus, catarrhalibus et inflammatoriis, ab aliis celeberrimis viris, alio quamuis titulo, tractatis; primo febrem bilioſam neruoſam conſtitutionis epidemicae praeſentis explicat. Deſcriptio eius quam ma- p. 101. xime cum HVXHAMI obſeruationibus circa febres lentas neruoſas conuenit, at putridum talem ſanguinis

guinis ſtatum, quem Illius febres arguunt, Auctor nunquam in hac ſua febre reperit; quin recte demonſtrat, bilem circa praecordia haerentem etiamnum neruos ſingulari modo laedere poſſe atque in iſthac conſtitutione cauſam fuiſſe. Methodus medendi coincidit cum illa febris bilioſae regularis. Adnotat autem, nihil in hac magis nocuiſſe, quam venaeſectionem, praepoſteras etiam euacuationes morbum exacerbaſſe; idque idem exemplo euidente confirmat.

p. 110. Febrem bilioſam, pemphygodem VOGELIO dictam, in duobus ſubiectis vidit, et illorum de partibus ſtat, qui contendunt; materiam acrem viſcidam intra bullas ſuperficiei cutis collectam, e materia bilioſa in inteſtinis ſtagnante, huc transferri.

Febrem ſcarlatinam Gueſtphalis, ceu morbum endemium, familiarem eſſe, dicit Auctor: imo pandemium vidit in pago quodam, cuius incolae Fagopyrum quotidie in cibum ſumerent, placen-
p. 115. tisque inde frixis abuterentur. Huius interea commatis febris, in epidemia a Noſtro tractata, longe diſtabat a peſſima illa Cl^i METZGERI Aduerſariis med. P. II. inſerta: originem enim debebat bili. Quamuis interea contagio non careret, nullum tamen interemit; quin recte adhibita medela facile curabilis, neque hydropem pediſſequam habens. Emetica et hic egregiam tulere opem.

Angina bilioſa abſentia tantum macularum corporis diſcrepauit a ſcarlatina; atque tuta minimeque longa fuit.

p. 120. Bilem corruptam ſanguini admiſtam, articulos afficere, HIPPOCRATES iam docuit: ſic etiam in conſtitutione epidemica a Noſtro relata obſeruabatur arthritica bilioſa; nequaquam tamen cum diſpoſitione ſanguinis inflammatoria. Laudat in exuberante viſcido cum bile degenerata; praemiſſa generali

generali antibilioſa indicatione, Kermes minerale, puluerem alterantem Plumierii, et in deſperatis doloribus artuum, Calomel.

Inter morbos non febriles bilioſos recenſentur, tuſſis bilioſa, linguae impuritatibus, hypochondriorumque, praeprimis dextri, in paroxyſmo doloribus diſtinguibilis a reliquis tuſſis ſpeciebus. Expectorantia pharmaca, et, veluti in omnibus bilioſis, calidus potus, noxia maxime iſthac in affliction. E mala eius medicatione orthopnoea bilioſa; at ſaepe etiam abſque tuſſi praeuia; ſimili ratione euacuantibus, praeprimis per ſuperiora, tractanda. p. 133.

Sic raucitas quoque, febris, vel ſcarlatinae, tuſſis, orthopnoeae bilioſae, ſymptomaticus haud raro comes, ſaepius per hanc epidemicam conſtitutionem abſque alia complicatione ſymptomatum, obſeruabatur ab Auctore; neglecta, in orthopnoeam vel phthiſin tranſiens.

De ſaliuatione ex cauſa bilioſa, ab initio morbi, inſignis cruditatis indice, ad finem eius accedente, ſalutari, caſum refert. Sic etiam de ſtupore paralytico vnius pedis ex cauſa bilioſa memorabilem hiſtoriam matronae ſexaginta annorum ſubiungit. p. 145.

Agit poſtmodum ſigillatim de anxietatibus anomalis bilioſis, ſine vlla febre. Has vere a materia bilioſa peccante proueniſſe, caſu perquam euidente comprobat. p. 152.

Vbi deinde de haemorrhagiis ex cauſa bilioſa exponit, ſolummodo ſpecies maxime inſuetas excitat. Haemoptyſin nimirum, cuius hiſtoriam attentione dignam refert, nec non de mictu cruento, de haemorrhoidibus. Denique et de obſtructione vrinae ex cauſa bilioſa, vbi binos caſus recenſet, viri circiter duodenonaginta annorum deſperatiſſime ea decumbentis atque mulieris pro grauida inde habitae, euacuationibus bilis corruptae feliciſſime ex orci quaſi faucibus ereptorum. p. 162.

Sequun-

Sequuntur pauca de morositate ex causa biliosa ceu specie morborum mentis et de prophylaxi, quae agmen claudit.

Quod mortis causam duorum infantum ab vna matre natorum, qui, praeuiis sibi similibus symptomatibus, paucis a natiuitate diebus fatis cesserunt, per alterius sectionem attinet, accedit illa quam proxime obseruationibus ex cadaueribus infantum morbosis Cel. ROEDERERI in Programmate, Gott. 1758. euulgatis, et maxime quidem illis a VOGELIO in Bibliotheca medica T. IV. p. 965. inde excerptis.

Cuncta haec sic expediuit Noster, vt euidenter inde patescat cordatus, rationalis, et veterum recentiorumque doctrinis eruditus medicus practicus.

XIV.

CHRISTOPH LUDWIG HOFFMANN, *Sr. Churfürstlichen Gnaden zu Cöln geheimer Rath und Leibarzt, des Hochfürstl. Hessen-Casselschen und Münsterschen medicinischen Collegiums Direktor, Brunnenarzt in Hofgeismar, der Casselschen Gesellschaft der Alterthümer Mitglied u. s. w. vom Scharbock, von der Lustseuche, von der Verhütung der Pocken im Angesichte, von der Ruhr, und einigen besondern Hülfsmitteln, nebst einer Nachricht von dem Zustande und der Verbesserung der Arzneyverfassung im Hochstifte Münster während der Regierung Sr. Churfürstl. Gnaden* MAXIMILIAN FRIEDRICH, *Erzbischofs zu Cölln, Fürsten und Bischofs zu Münster u. s. w. Münster bey Phil. Heinr. Perrenon.* 1782. 8. *pagg.* 306.

i. e.

De scorbuto, lue venerea, modo arcendi variolarum

riolarum eruptionem a facie, de dyſenteria et aliis quibuſdam ſpecificis; accedit deſcriptio ſtatus et emendationis medicinae in epiſcopatu Monaſterienſi, ſub imperio Electoris MAXIMILIANI FRIDERICI, Coloniae Epiſcopi principis etc.

Cum hic liber vel maxime eo conſilio ſcriptus p. 38.
ſit, vt et Princeps et ciues Monaſterienſes certiores fierent de acceſſione, quam medicina habuit, inde a conſtitutione Collegii medici, cui Cl. Auctor praeeſt; quaedam de priſtino et praeſenti huius vrbis medicinae ſtatu ac conditione hac occaſione praemittit. Anno huius ſeculi ſexageſimo quinto, medicina tum rationalis, tum practica eius pars tam parum exculta erat, vt, praeter empiricorum cohortem, nemo adeſſet, cui vitam ciues tuto credere poſſent. Conſtituto nunc autem medico collegio, medicina non ſolum pura et ab omni ſuperſtitione commentisque libera in vrbem introducta eſt, ſed ea etiam ab impoſtoribus et hominibus circumforaneis ſumma cum cura repurgata, ſub huius Principis tutela, peritos dextrosque habet et medicos et chirurgos.

Poſtquam haec a Cl. Auctore explicata ſunt, ad p. 108
ſcorbuti naturam tranſit, cuius cauſam proximam conſtituit in ſucco, quo oſſa aluntur deprauato, eumque tum in oſſibus cylindraceis, tum latis corporis viuentis, eiusmodi acredinem contrahere poſſe dicit, vt oſſa et arrodere et eorum cariem producere poſſit. Huius ſucci corruptio cauſa eſt, cur non ſolum dentes, ſed etiam cetera oſſa tam fragilia in ſcorbuticis fiant, vt ſcorbuticorum vnus, qui in lecto cubans, in aliud latus ſeſe vertere volebat, os femoris frangeret. Clarius adhuc eluceſcit oſſium p. 113.

ſcorbuto affectorum fragilitas ex Cl. FRISII allatis obſeruationibus anatomicis, qui in ſcorbuticorum cadaueribus et ſternum et cetera oſſa infirma, omnesque oſſium proceſſus, praeprimis autem ſpinae vertebralis et extremitatum poſteriorum coſtarum, ita fragiles reperit, vt vix ſine fracturae metu a carnoſis partibus liberari potuerint. Quae cauſa erat, cur ex iis neque ſceletum componere, neque cetera oſſa ob badium aut liuidum colorem, quem ſemper vel in leuiſſimo ſcorbuti gradu obſeruabat, tam albida reddere poſſet, quam oſſa aliorum, hoc morbo non mortuorum.

p. 119. Nunc pergit Cl. Auctor in explicando ſcorbuto. Initium ſcorbuti non fit in dentibus ac gingivis, ſed ſimul in omnibus oſſibus, ſucco nutritio vitiato; citius autem in ore, quam in aliis oſſibus fit conſpicuus ſcorbutus, propterea quod dentes ac gingiuae, magis, quam cetera oſſa, oculis patent, et
p. 122. maxime ſenſiles ſunt. Succus oſſeus deprauatus ſolus, ſine aliarum acrimoniarum praeſentia in corpore, materiam, quam ſcorbuticam dicunt, ſiſtit. Vitiatur autem et corrumpitur non in ſanguine, ſed in ipſis oſſibus, ad quae defertur, eo magis, quo maiorem in oſſibus remoram patitur: et ratione graduum corruptionis, quos aſſumere poteſt,
p. 128. varia etiam mala oſſibus inducit. Iam ſi reliqua organa excretoria corporis bene ſeſe habent, poteſt diu et ſine noxa ſanguini admiſceri oſſium corruptus ſuccus, quippe is et ſeparatur, et e corpore eliminatur, nihilque reliquo corpori nocet, praeterquam quod oſſa adgreditur, eaque fragiliora reddit. Eiusmodi hominum vrina et ſanguis propterea citius in putredinem abeunt, quam ſanorum, quoniam continuo deprauatus ſuccus oſſeus
p. 138. ad ſanguinem regurgitat. Gingiuarum tumeſcentiam

tiam oriri autumat ex tranſitu ſucci corrupti dentium ad gingiuas, quas acris factus, et vellicat et eleuat, opinaturque dentium ſic dictum tartarum, progigni ex putida illa mucagine dentibus inhaereſcente.

In ſcorbuto acuto quatuor periodos aſſumit. p. 145.
Prima periodus morbum futurum indicans, cernitur potiſſimum in ſingulari corporis laſſitudine, artuum grauitate, ſimulque mutato colore faciei conſueto. *Secunda periodus* cognoſcitur ex ſpiritu graueolente, dentibus, maxillis, et gingiuis vitiatis. In *tertia periodo*, ſi artuum articuli mouebantur, ſtrepitus percipiebatur, et oſſium dolor profundus maxime tibiae et fibulae; dolor ille noctu vehementer increſcebat, imo adeo interdum augebatur, vt dolentes partes ne leuiſſimum quidem attactum ferre poſſent. Gaſtrocnemii muſculi et ii, qui femoris os obducunt, duritiem aliquam adſciſcebant, quae cum articulorum rigiditate coniungebatur, ita vt aegri vix incedendi poteſtatem haberent. Praeterea ſpiritus aegre ducebatur, et in pedibus ac femoribus, rariſſime autem in extremitatibus ſuperioribus, prorumpebant maculae luteſcentes, liuidae interdum aut fuſcae, diuerſam habentes magnitudinem, nec ſupra ſe cutem eleuantes, nec perſiſtentes; nam mox euaneſcebant, mox priſtinum locum rurſus occupabant. Etiam in cruribus paſſim enaſcebantur vl- p. 150.
cera ſcorbutica, omnem ſuppurationem eludentia. Interne fungoſa erant, et ichore plena, et digitis vel tantillum contrectata, ſanguinem plorabant. Eadem fere ſymptomata exaſperabantur verſus *quartam periodum*, aliis adhuc interdum accedentibus. Alii tunc vexabantur doloribus rheumaticis et colica paſſione: alii perpetiebantur narium haemorrhagias aut haemoptyſes: pedibus oedematoſis

alii denique laborabant, non abeuntibus in ſphacelum. Atque haec dira ſymptomata nulla febris concomitabatur, aderatque ciborum appetitus ad vltimos vitae dies vſque, vbi aut febris accedens, aut diarrhoea colliquatiua ſuperueniens, aegrum repente necabat. Cadauerum ſectio praeter conſtantem oſſium mutationem et fragilitatem nihil certi aperuit, nam mox pulmones, mox hepar, mox aliud viſcus male affectum repertum eſt. Cutis maculas, quae interdum poſt mortem conſpiciuntur, ex corruptis cutis humoribus repetendas eſſe dixit.

p. 187. Dum cauſas occaſionales enarrat Cl. Auctor praeter cognitas et ab aliis nominatas, miaſma venereum et rhachitiden huc refert, egregieque in vniuerſum explicat, qua ratione allatae cauſae occaſionales, ſuccum, quo oſſa aluntur, deprauare va-

p. 206. leant. Omnes autem cauſae remotae, perſpirationem inſenſibilem impediendo, ſcorbutum inducere poſſunt, eaeque corpori admiſſae, eo celerius nocent, quo facilius perſpirationem inſenſibilem turbant ac ſupprimunt.

p. 235. *De cura ſcorbuticorum.* Si ex nimio vſu ciborum ſale conditorum ſcorbutus ortus erat, tunc aqua calcis vel ſola, vel cum lacte remixta, egregium vſum praeſtabat. Vbi nulla diaeta nec cetera medicamenta antiſeptica opem ferebant, certe tamen Calamus aromaticus et Sabina, quae iuxta CHAVETI experimenta cum ſanguine inſtituta, vi antiſeptica longe ſuperabant corticem peruuianum, et externe et interne exhibita, in oſ-

p. 256. ſium morbis ſat efficacia ſe praebebant. Ad mutandum aërem humidum, obuium ſaepe in noſodochiis ob hominum ſtipationem, ſuadet Noſter, vt arena ſicca pauimentum quotidie conſpergatur.

p. 264. Infuſum Maltae, et aëris fixi vſus nihil praeſtabant;

contra

contra autem aqua calcis, in cuius vncia eadem inest arcendi putredinem vis, ac in ſcrupulo corticis peruuiani iuxta CHAVETVM, et acidum vitriolicum optimo cum fructu propinabantur. Sabina magis extrinſecus applicabatur, vel in forma balnei vel cataplaſmatis: Calamus autem aromaticus cum ſaccharo coniunctus, et ad duos ſcrupulos octies de die exhibitus, haud paruam aegris ferebat opem. Etiam cereuiſiae, qua vtebantur aegri, adiiciebatur Calamus aromaticus, imo vlcera eluebantur cum ſpiritu ſalis et Calami aromatici, addito melle.

De lue venerea. Hanc penitus exſtirpari poſſe p. 274.
ſibi perſuadet Noſter, modo adeſſent medicamenta ſpecifica, parum pretioſa, et cuilibet cognita, vt eorum vſu quisque ſe ſine medici auxilio ab hoc morbo liberare poſſet. Quare ad hanc rem perficiendam optat, vt medicamenta a ſe inuenta, et vt opinamur medicorum cuilibet nota, in officinis medicamentariis vendantur, eorumque legitimus vſus dilucide calendariis inſeratur. At cum ſua medicamenta ex mercurio ſublimato componantur, et ipſius mali natura interdum peritiſſimos artis fallere poſſit, nec omni in caſu ſemper mercurialibus opus ſit: ſine dextri medici adminiſtratione et diiudicatione, vix hunc morbum, praeſertim complicatum, hisce medicaminibus recte profligari poſſe putamus. *Variolarum* inſitionem commendat, et ad earum eruptionem in facie impediendam et facilitandam, eam aëri liberiori frigidiuſculo exponere iubet, ſimulque camphorae externum in variolis vſum in eo duntaxat caſu laudat, in quo miaſma varioloſum ad ſanguinem regreſſum eſt.

In dyſenteria, vt iam DIEMERBROECKIVS et p. 289.
VOGELIVS obſeruarunt, egregium vſum praeſtitit cera interne adhibita, quam vel cum ſyrupo communi, vel cum gummi Arabico, vel vitellis ouorum

remixtam, aegris propinauit, adiecto ad saporis gratiam spiritu vitrioli. Hoc modo cochleatim sum-
p. 296. ta, medebatur spasmis et doloribus. In peripneumonia denique, inprimis vbi pulsus paruus et expectoratio suppressa erat, flores Benzoes cum camphora coniuncti egregium edebant effectum.

XV.

IOSEPHI MANIS OESTERREICHER, Physici nosocomii Veterobudensis, analyses aquarum Budensium, praemissa methodo Prof. WINTERL, Veterobudae 1782. 8. pagg. 283.

Quo magis certum est atque multis obseruationibus demonstratum, aquas aeque ac cetera naturae corpora, pro earum diuersa et indole et conditione, aut salutares aut nociuos producere posse in humano corpore effectus; eo laudabilius et glorioſius nobis esse videtur conamen eorum, qui, quum in indagandis aquarum partibus versentur, non solum earum intimiorem mixtionem nobis cognitam reddant, sed etiam sanitati prospiciant quam maxime, dum prodita earum natura impediunt, quo minus aliquis iis cum vitae periculo vtatur. Hisce rationibus motus aquarum Budensium examen suscepit, et quidem iuxta methodum, quam a Cl°. WINTERLO, suo olim praeceptore, acceperat. Hanc itaque methodum suo aquarum examini praemissam, ipse praedicauit post illam a Cel. BERGMANNO profectam, omni ex parte nouam, certiorem, atque reagentibus et principiis detectis ditiorem. Quare quid de reagentium praeparatione deque eorum applicatione proposuerit praecipui, id breuiter indicabimus primum, et quidem eo consilio, vt cognoscant inde Lectores quatenus per hancce methodum, aquarum perueſtigatio illu-

strior

ſtrior facta ſit; deinde de ipſis aquarum Budenſium principiis exponemus.

Lixiuii ſanguinis praeparationem traditurus, ſalem tartari et ſanguinem bouinum in crucibulo Paſſauienſi vrere ſinit, quod primum candefactionis ope, ab omni Molybdaena liberatum ſit; cum tamen idem, etiam vehementiſſimo igne adhibito, vix fieri poſſe putemus. Tincturas illas admodum ſenſiles vel ad acidum, vel ad alcali detegendum, vt, quae extrahuntur ex curcumae radice, fernambuco et heliotropio plane neglexit, neque acidum ſaccha-ri in reagentium numerum recepit: contra autem ſolutio lunae alcalina, ſyrupus violarum et acidum tartari eſſentiale hic allata ſunt; quo vltimo vtitur Cl. Auctor ad liberandum ſal alcali minerale ab eodem vegetabili; quae tamen alcali purificatio nobis videtur eſſe nimis pretioſa. Quam adhibet aquam deſtillatam in ſuis tentaminibus, eam cum calce viva parat, et quidem ita, vt libris quinque aquae communis deſtillaturae, calcis viuae ſemilibram adiiciat. Alkohol vini ex quocunque ſpiritu inflammabili parare docet, omiſſo tamen eius pondere. p. 3.

Si aqua in ipſo loco, in quo orta eſt, in examen vocari nequit, methodum tradit, qua commode eiusmodi aqua ſine diſpendio particularum volatilium, in alium locum transferri poteſt. Antequam nempe vaſorum diuerſorum, in quibus eiusmodi aquam excepit, obturatio et translatio fit, vni lagenae, ad dimidiam partem tantum aqua repletae, ad aërem fixum, quem illa habet, vel figendum, vel potius conſeruandum, calcis aquam addit: alteri immittit acidi nitri fixi tantam portionem, quanta requiritur ad vnam ſpathi calcarei drachmam ſolvendam: Vitrioli viridis ab omni ochra puri vncias duas, cum aqua lagenae tertiae commiſcet; et praeterea adhuc, ſi quae aqua hepar ſulphuris redolet, p. 20.

remixtam, aegris propinauit, adiecto ad saporis gratiam spiritu vitrioli. Hoc modo cochleatim sum-
p. 296. ta, medebatur spasmis et doloribus. In peripneumonia denique, inprimis vbi pulsus paruus et expectoratio suppressa erat, flores Benzoes cum camphora coniuncti egregium edebant effectum.

XV.

IOSEPHI MANIS OESTERREICHER, Physici noscomii Veterobudensis, analyses aquarum Budensium, praemissa methodo Prof. WINTERL, Veterobudae 1782. 8. pagg. 283.

Quo magis certum est atque multis obseruationibus demonstratum, aquas aeque ac cetera naturae corpora, pro earum diuersa et indole et conditione, aut salutares aut nociuos producere posse in humano corpore effectus; eo laudabilius et glorioſius nobis esse videtur conamen eorum, qui, quum in indagandis aquarum partibus versentur, non solum earum intimiorem mixtionem nobis cognitam reddant, sed etiam sanitati prospiciant quam maxime, dum prodita earum natura impediunt, quo minus aliquis iis cum vitae periculo vtatur. Hisce rationibus motus aquarum Budensium examen suscepit, et quidem iuxta methodum, quam a Cl°. WINTERLO, suo olim praeceptore, acceperat. Hanc itaque methodum suo aquarum examini praemissam, ipse praedicauit post illam a Cel. BERGMANNO profectam, omni ex parte nouam, certiorem, atque reagentibus et principiis detectis ditiorem. Quare quid de reagentium praeparatione deque eorum applicatione proposuerit praecipui, id breuiter indicabimus primum, et quidem eo consilio, vt cognoscant inde Lectores quatenus per hancce methodum, aquarum peruestigatio illu-

strior

ſtrior facta ſit; deinde de ipſis aquarum Budenſium principiis exponemus.

Lixiuii ſanguinis praeparationem traditurus, p. 3.
ſalem tartari et ſanguinem bouinum in crucibulo Paſſauienſi vrere ſinit, quod primum candefactionis ope, ab omni Molybdaena liberatum ſit; cum tamen idem, etiam vehementiſſimo igne adhibito, vix fieri poſſe putemus. Tincturas illas admodum ſenſiles vel ad acidum, vel ad alcali detegendum, vt, quae extrahuntur ex curcumae radice, fernambuco et heliotropio plane neglexit, neque acidum ſaccharí in reagentium numerum recepit: contra autem ſolutio lunae alcalina, ſyrupus violarum et acidum tartari eſſentiale hic allata ſunt; quo vltimo vtitur Cl. Auctor ad liberandum ſal alcali minerale ab eodem vegetabili; quae tamen alcali purificatio nobis videtur eſſe nimis pretioſa. Quam adhibet aquam deſtillatam in ſuis tentaminibus, eam cum calce viva parat, et quidem ita, vt libris quinque aquae communis deſtillaturae, calcis viuae ſemilibram adiiciat. Alkohol vini ex quocunque ſpiritu inflammabili parare docet, omiſſo tamen eius pondere.

Si aqua in ipſo loco, in quo orta eſt, in examen p. 20.
vocari nequit, methodum tradit, qua commode eiusmodi aqua ſine diſpendio particularum volatilium, in alium locum transferri poteſt. Antequam nempe vaſorum diuerſorum, in quibus eiusmodi aquam excepit, obturatio et translatio fit, vni lagenae, ad dimidiam partem tantum aqua repletae, ad aërem fixum, quem illa habet, vel figendum, vel potius conſeruandum, calcis aquam addit: alteri immittit acidi nitri fixi tantam portionem, quanta requiritur ad vnam ſpathi calcarei drachmam ſolvendam: Vitrioli viridis ab omni ochra puri vncias duas, cum aqua lagenae tertiae commiſcet; et praeterea adhuc, ſi quae aqua hepar ſulphuris red-

olet, ei pro ſulphurei aut maiori aut minori quantitate, cupri ſolutionem: ſi ea accenſi ſulphuris odorem ſpargit, argenti ſolutionem, factam in alcali volatili inſtillat, notatis tamen diligenter et aquae et reagentium ponderibus. *Fixum aërem*, quem principium nutritioni ſumme neceſſarium vocat, ope aquae calcis hoc modo cognoſcit: examinaturae aquae tam diu affundit calcis aquam recenter paratam, donec nulla amplius oriatur turbulentia. Iam requiruntur ad ſaturandam aquae copiam, quae 400 pollicibus cubicis par eſt, et ſtatim ſub initium lacteſcit ab affuſa calcis aqua, duo aquae calcis canthari, imo interdum ad octo, ſi examinanda aqua cum aqua calcis adhuc lacteſcit, aut limpiditatem rurſus recuperat; quodlibet granum praecipitatae terrae calcareae, accurate indicat pollicem vnum cubicum aëris fixi in aqua praeſen-
p. 28. tis. Materiei extractiuae portionem et indolem definire, perdifficile eſſe ait, quippe chemia regni animalis et vegetabilis nondum eo adoleuerit, vt ſucci alicuius ſpecies, qui quandoque minima in copia in aquis inſit, recte determinari poſſit. Cognoſcit itaque eius praeſentiam in aqua ex colore. Granum vnum extracti cardui benedicti, (de quo optandum eſſet, vt eius conſiſtentiam definiuiſſet) ſi in vitro albo diametrum octo pollicum habente, cum quadringentis pollicibus cubicis limpidiſſimae aquae commiſcetur, ea copia aquae, ratione coloris, a pura aqua adhuc poteſt diſcerni: ea autem plane excoloris fit ſi minor vitri diameter, aut ſi maiori aquae quantitate eadem extracti portio ſoluta
p. 31. fuerit. Niſi in quadringentis aquae pollicibus cubicis ſaltem grana ſex alcali volatilis inſunt, idem, etiamſi duo canthari aquae calcis affundantur, vix odore percipi poteſt; nec commode detegitur, inſtillata ſolutione cupri in alcali fixo parata.

Aërem

Aërem purum noluit cum BERGMANNO ita vocare, cum omnis alia aëris ſpecies pura, purus ſit aër; neque cum plures adhuc dentur dephlogiſticati aëres, eundem cum PRIESTLEYO dephlogiſticati nomine compellare; porro nec placuit Ipſi ignis aër a SCHEELIO ita nuncupatus, cum etiam phlogiſticatus aër, caſu inuerſo hoc nomen mereatur; nec denique reſpirabilis ab aliis ita appellatus, propterea quod plures adhuc aëres reſpirabiles ſint; quare huncce aërem nouo nomine inſigniuit, eumque aërem SCHEELII vocauit. *Phlogiſton* bonis et ſapidis aquis non eſt proprium, ineſt autem in quibusdam aquis, et optime cognoſcitur, ſi poſt aërem fixum expulſum, ſub deſtillatione immittitur recipulo drachma vna ſyrupi violarum, quem non ſolum ab omni phlogiſto volatili puro, verum etiam ab omni acido plene phlogiſticato, viridem colorem induere ait. *Phlogiſton purum*, ſi illud vnquam nudum occurrit, in talibus thermis praeſertim hoſpitari videtur, quae diutius, quam alia quaedam aqua, ad eundem caloris gradum calefacta, calorem ſuum naturalem retinent: eiusque optimum criterium eſt accuratiſſimum thermometrum. Iam diu operam fruſtra adhibuerat Cl. Auctor in inueniendo certo et indubitato reagente ad ſulphuris principium vel delegendum, vel definiendum, cum et cupri in alcali fixo aërato ſolutio id vitii habeat, vt vel ſola addita aqua ſtillatitia, praecipitetur: eadem autem cupri ſolutio omnem Ipſi ſpem expleuit, cum eam aëre fixo penitus impraegnaſſet, et eo impediuiſſet, quo minus aqua ſola quidquam praeſtare poſſet. Grana tria hac ſolutione obtenti praecipitati, indicabant vnius grani ſulphuris praeſentiam. Praeterea etiam alia adhuc aëris genera noua in aquis latere poſſe ait, vt aërem hepaticum, antizymiacum, vitriolicum et putridum, de quibus quaedam nunc referemus.

p. 47.

p. 53.

Sub *aëre hepatico*, fructuoſiſſimum illud thermarum principium intelligit, quod non ſolum ex odore ſuo, quem edit, graueolento, ſed etiam ex effectu, quem producit in metallorum ſuperficie, cognoſcitur, dum eam, pro metalli diuerſitate, variis coloribus obducit. Componitur hic aër ex ſulphure et phlogiſto: quod quidem phlogiſton hic ad *aëreum* propterea relatum eſt, quoniam calore deſtituatur: foetorem nullum habeat: (nam probabile Noſtro videtur foetorem illum, quem habet aër hepaticus, quique ſub operatione quam maxime intenditur, eum tantummodo ab accedente aëre atmoſphaerico repetendum eſſe) et inflammabilitatem ſuam aduentitio aëri atmoſphaerico debeat. Vt ſulphur in aqua ſuſpenſum manere poſſit, opus eſt, vt proportio phlogiſti ſit vt $\frac{1}{18}$, ſulphuris autem vt 5; quae autem phlogiſti copia, praeſertim in thermis hepaticis limpidis, multo maior eſſe poteſt. Grana XV praecipitati, quod per affuſam cupri ſolutionem alcalinam obtinetur, indicant huius aëris, abſente ſcilicet omni hepate vero, ſuo charactere facile diſcernendo, pollices cubicos XXIV. At quoniam interdum fit, vt per hancce cupri ſolutionem, cum ipſo cupro ſimul terrae ex aqua ſecedant, imo calor aquis ſulphuratis proprius, cupri terram, fallentem viridi ſuo colore, vtcunque alcali, quo cuprum ſolutum eſt, aëratum fuerit, deiiciat: auctor eſt, vt hae terrae cum alcali fixo vegetabili calcinato, et ab omni metalli veſtigio puro, quocum ſulphur in hepar coaleſcit, ſeparentur.

Aër, qui ex ſulphure accenſo egreditur, tanquam is vnicus eſſet, qui fermentationem impedire poſſet, *Antizymiacus* nominatus eſt. Hic aër plane non alterat cupri tincturam, quam tamen certiſſime turbat minimum aurae ſulphureae veſtigium. Quantitatem

tatem praecipitati nigri, ab aëre hocce ex ſolutione argenti alcalina deiecti, nondum certe definire potuit, propterea quod ille aër a vitriolico tantummodo gradu differat, et ob facilem cum aëre vitriolico mixtionem, in omni fere experimento, ratione eius naturae et puritatis diſcrepet. Neque *aëris vitriolici* in aqua latentis veram copiam hucuſque definire et ſtabilire potuit, ob defectum apti et conſentanei reagentis. Ad principia fixa deliteſcentia in aquis, ex ordine quodam obtinenda, euaporationem maxime incertam eſſe dicit, putatque multas particulas ex aqua euaporando in auram abire, imo aquam per longum temporis ſpatium ebullientem, extrahere ex ipſo vitro ſalem alcalinum cum terris: id quod vix ac ne vix quidem accidere poſſe putamus, ſi euaporatio lenta, ſtudioſa et in vitro bene compoſito peragitur. *Putridus aër* cum aëre vitriolico tantam habet ſimilitudinem, vt eius aut vera ſpecies ſit, aut eam ſemper concomitetur. Conciliat hic aër aquis, dummodo nudus et idonea copia adeſt, foetorem, ſimilem ei, qui egreditur ex cannabe putrefacta: ſi eius quantitas autem in aquis minor fuerit, tunc decocti braſſicae odorem ſpargit. Aër fixus, ſub quo iſte aër interdum magna in copia latet, foetorem ei quidem, non tamen noxiam in corpus humanum vim eripit: imo aëris putridi in aquis praeſentia impedimento eſt, quo minus eae, vel maxima aëris fixi copia in iis ſimul praeſente, ſapidae reddi poſſint: hinc acidularum eſſentia non tam in aëris fixi praeſentia, quam in abſentia omnis aëris putridi conſiſtit, qui poſt expulſum aërem fixum cognoſcitur odore.

p. 65.

Quod alii inde a longo tempore ſub tophi aut ſtalactitis nomine comprehenderunt, idem Noſter *terram pyriticoſam* vocat, et quidem propterea quod eadem

eadem cum ſulphure et metallis, quae Ipſi ex pyritibus ortum habere videntur, omnium maxima occurrat quantitate. In huius terrae ſexaginta partibus reperiri ait triginta partes aëris fixi: nouem, terrae inuitriolabilis; viginti, terrae calcareae impurae; vnam denique partem terrae ſiliceae, et vix totidem ferri. Hanc tam compoſitam terram cognoſcit: 1) ex pleno ex aqua ſeceſſu vix prima ebullitione facta; 2) ex adhaeſione ad retortae latera; 3) ex proportionata terrae ſiliceae quantitate, quae remanet, ſi terra iſta cum acido ſalis ſoluitur. Nam ſi plus ineſt in drachma terrae pyriticoſae, quam granum vnum terrae ſiliceae, tunc ſigno eſt, huic eſſe admixtum aliquid *tophi granuloſi*, de quo deinceps exponemus: vbi autem ſilicea terra minori in copia deprehenditur admixta, ſuſpicio enaſcitur, huic ineſſe terram vel calcaream, vel magneſiacam puram, quas a ſe inuicem ſeparare docet.

p. 86. Reperit inſuper in quibusdam aquis et praeſertim in fluuiatilibus, *tophum ſecundarium*, ſecunda aut tertia euaporatione ex aquis ſecedentem, qui componitur ex $\frac{28}{80}$ aëris fixi; $\frac{14}{80}$ terrae argillaceae phlogiſticae; $\frac{5}{80}$ terrae calcareae verae; $\frac{14}{80}$ terrae ſiliceae; $\frac{19}{80}$ terrae cryſtalliſabilis; et $\frac{1}{80}$ ferri. Supereſt tandem, vt dicamus, quid ſub terra ſua, quam cryſtalliſabilem vocat, et topho granuloſo intelligat; *Illa* eſt terra calcarea impura, quae facile in cryſtallos abit, et quocunque alcali fixo, aut neutro volatili detegitur: *hic* autem ad ſalia relatus, differt in eo a granulis iſtis, in quae magneſia aërata ſub finem vltimae euaporationis recedit, quod ab acidis vel difficulter, vel prorſus non ſolui poteſt. Qui tophus autem ſolui poterat, exhibebat genuinam magneſiam, et ſiliceam terram, quae intacta manebat. Praefert ad indagandam calcem, tartarum

rum ſolubilem; quoniam acidum ſacchari, praeter terram calcaream, ſimul etiam magneſiae partem deiicit; tartarus ſolubilis contra, calcis terram in ſeleniten tartareum deturbat, cuius grana decem indicant tria grana terrae calcareae. Ceterum vehementer dolemus, quod illam, quam ſe habere dixit methodum promtiorem parandi acidum ſacchari ſine furno, nobiscum non communicauerit.

Praecipitationem terrae aluminoſae cum terra calcarea aërata ſe non potuiſſe efficere dixit, neque recte obſeruaſſe ZOLTANVM *), affirmantem, poſſe vnciam vnam terrae aluminaris per acidum nitri decomponi in terrae ſiliceae drachmas ſex, calcareae ſcrupulos quinque et aliae terrae incognitae ſcrupulum vnum, ipſumque acidum nitri ſub ſolutione mutari in acidum vitriolicum. Diſcrimen hic adducitur, quod intereſt inter magneſiam aquae paluſtris, magneſiam ſalis Sedlizenſis et magneſiam dephlogiſticatam. Vbi de numero et proportione ſalium ab euaporatione reſiduorum exponit, acidum phoſphori affirmat eſſe verum acidum vitriolicum cum principio fixo vitreſcibili laruatum, nec produci poſſe phoſphorum ex oſſibus, niſi accedat acidum vitriolicum: verum enim ſal mirabile ortum eſſe ex ſale ſodae et acido phoſphori. Salis amari fatiſcentiam negat, et ſalia, quae cum materia extractiua coniuncta ſunt, phlogiſticata nuncupat. Quamuis omnem adhibuit operam et diligentiam in ſoluenda argilla tum ſalita, tum nitrata, cum ſpiritu vini; tamen neque haec, neque ſolutio magneſiae et ſalitae et nitratae in illo ſpiritu peragi potuit. Nunc accedit ad explorandam ſalium naturam. Acidorum in aquis exceſſum vix poſſibilem eſſe dicit; decurrentes enim aquae ſuper

p. 101.

p. 122.

*) D. IOS. ZOLTAN Diſſ. ſiſtens analyſin et naturam terrae aluminaris, habita Traiecti ad Rhenum.

per terrarum abſorbentium ſtrata, idem perdunt, dum ſtatum medium induant: contra in iis ſaepe alcali excedit, quod cognoſcit ex eius ſapore et cum acidis commiſtione. Ad acidum vitriolicum in aquis cognoſcendum, non cum BERGMANNO terram ponderoſam ſalitam, vtpote nimis pretioſam, ſed plumbum nitratum adhibet, et ex multis appoſitis experimentis cum ſpatho ponderoſo aeque, ac cum plumbo inſtitutis, probare annititur, terram plumbi, ab illa ſpathi non differre. Sed quae hactenus expoſuimus de methodo a Cl° WINTERL praemiſſa, ſufficient, cum nunc ad ipſum aquarum Budenſium examen tranſeundum nobis ſit.

p. 175. In colligenda aqua pluuiatili eodem et apparatus et methodi genere vſus eſt Cl. OESTERREICHER quo Cel. MARGGRAFIVS: attamen vt eius aquae celerem putredinem et relictum adhuc poſt euaporationem colorem fuſcum euitaret, aquam ſuam poſt triplo longiorem imbrem, continuo cadentem, excepit. Examen cum aqua pluuiatili inſtitutum docuit, nullum in ea ineſſe aërem fixum, phlogiſti tamen in quouis cantharo $\frac{1}{32}$ gran, quod vt Cl. Auctor putat, cum aëre SCHEELII alioquin puro vocato, coniunctum, aërem inflammabilem conſtituit. Vehit praeterea eadem aqua in cantharo, non ſolum aliquam gelatinae aquatilis portionem et ſiliceae terrae granum vnum et $\frac{3}{4}$: ſed etiam tartarum vitriolatum, alcali fixum vegetabile, et terram argillaceam.

Fons Schüllerianus, qui Budae eſt, viginti octo grana nitri priſmatici in quouis cantharo habet; ab eiusque aquae incoctione multum lucri ſperat, modo ſi ligna ad excoctionem ſuſcipiendam neceſſaria, viliori pretio hac in regione comparari poſſent. *Riuulus molendini pulueris pyrii* poll. cub.

XXI. aëris fixi, pollices duos aëris puri et phlogisti fixati $\frac{9}{240}$ in cantharo tenet, admixtis insuper quibusdam salibus et terris. *Riuulus molendini ad Rotam* $4\frac{1}{2}$ gr. magnesiae et XXVIII. poll. cub. aëris fixi in cantharo recondit.

Thermae Caesareae scaturientes inter suburbia *Landstraß* et *Neustift* tantum calorem habebant, vt thermometrum, quod spiritu vini colorato impletum, et a puncto congelationis ad punctum vsque ebullientis aquae in 100 gradus diuisum erat, ad 51 gradus eleuare valerent: habebant praeterea XXXIII. poll. aëris fixi, $3\frac{1}{6}$ salis mirabilis, et totidem fere salis communis in cantharo. *Aqua stiptica territorii Sarisap*, nullum omnino aërem fixum habens, aliis potissimum materiis scatet: quiuis enim aquae cantharus in se recondit grana XXII selenitis; aluminis per se crystallisabilis gran. XX$\frac{2}{3}$; ochrae ferri vitriolatae gr. XII$\frac{1}{2}$, et salis amari cum materia extractiua gr. VII. At nolumus longius Budensium aquarum examina persequi, cum ceterae aquae fere omnes, ratione materiarum, quas vehunt, a se inuicem parum recedant; igitur satis est dixisse, plerasque aquarum Budensium, magnam copiam aëris fixi, salis communis magnesiae et selenitis habere; plurimis contra deficere sal alcali et aërem putridum. Supereſt tandem, vt aliquid de *acidulis Füretienſibus* adiiciamus. Hae enim scaturientes in *comitatus Szaladienſis* extrema parte, quae contigua est lacui *Balaton* et comitatui *Veszprimienſi*, ob singularem, quam habent, aëris fixi copiam memorabiles sunt. Insunt in cantharo harum acidularum CLXII poll. cub. aëris fixi, quae copia nec in Spadanis, nec Selteranis, nec Pyrmontanis reperitur, neque etiam vix arte potest tanta in copia aquis admisceri; porro ferri liberi $\frac{11}{12}$, terrae pyriticosae gr. XXVII, magnesiae $4\frac{1}{8}$, phlogisti liberi $\frac{1}{10}$ simul

p. 252.

cum

cum pauca aëris putridi copia; maiori contra aëris vitriolici et inflammabilis quantitate ditatae ſunt. Aërem iſtum, quem Cl. Auctor inflammabilem vocat, quamuis non amplius flammam concipit, non ita nominaremus. Praeſtant hae aquae ob aëris copiam egregium vſum in iis potiſſimum morbis, qui ex muco accumulato ortum habent: opitulanturque omnibus calculoſis. Medentur denique viſcerum obſtructionibus, praeſtant in tophis podagricorum reſoluendis, et imbecilla corpora egregie roborant.

XIII.

Allgemeine Naturgeſchichte der Schildkröten, nebſt einem ſyſtematiſchen Verzeichniſſe der einzelnen Arten, mit 2 Kupfern, von IOHANN GOTTLOB SCHNEIDER, *Lehrer der Beredſamkeit und Philologie zu Frankfurt an der Oder. Leipzig, in der Joh. Gotfr. Müllerſchen Buchhandlung, 1783. 1 Alph. 3 Bog. in 8.*

i. e.

Hiſtoria naturalis teſtudinum generalis, et ſpecierum ſingularum deſcriptio methodica, cum tabulis duabus aeri inciſis, auctore IOH. GOTTL. SCHNEIDER, Prof. Eloquent. Francofurtano.

In hoc amphibiorum genere tirocinium ſeri hiſtoriae naturalis ſtudii depoſuiſſe profitetur Auctor, eo quidem conſilio, vt primum corporis habitum, generi teſtudinum vniuerſo communem, deinde notas partium vel externarum vel internarum familiae alicuius, quarum tres conſtituit, marinarum nempe, fluuiatilium et terreſtrium, aut ſingulis ſpeciebus peculiares et proprias, quibus

a Scri-

a ſcriptoribus ſyſtematicis hodie inuicem diſtingui ſolent, diligentius exquireret, quo certius de charactere totius generis conſtituendo, eoque affinitatis gradu, quo cum reliquis amphibiorum generibus, cum vniuerſa piſcium, auium et quadrupedum gente teſtudines coniunctae cohaerent, iudicari poſſit. Examen ſingularum partium ſtatim ab externo corporis habitu, teſtae, capitis, pedum caudaeque conformatione et ſtructura, id eſt ab oſteologia, orditur, ſuadente ipſa rerum natura; quae molles easque vitales teſtudinum partes cruſta dura oſſiumque tegmine externo abſconditas in tuto collocauit. Exinde ad diſquiſitionem internarum partium progreditur, atque vbique veterum ab ARISTOTELE vſque ſcriptorum et recentiorum deſcriptiones vniuscuiusque partis, viſcerum atque inteſtinorum diligenter comparat, emendat atque illuſtrat, quo accuratius familiarum ſpecierumque ſingularum notas conſtituat. Ducem anatomici huius examinis ſequitur ſcriptorem Italum CALDESI, qui genus et fabricam teſtudinum praeclaro commentario tabulisque aeri inciſis illuſtravit; cuius verba in vernaculam linguam ex Italica translata diſquiſitioni vniuscuiusque partis praepoſuit, iiſque reliquorum vel antiquiorum vel recentiorum ſcriptorum obſeruationes inſtar commentarii adiunxit, habita vbique, quantum fieri potuit, temporum familiarumque ratione, earumque differentias indagauit, diſtinxit atque explicauit. Denique ſingularum partium anatomicae deſcriptioni addidit vſum, qui quidem cum victu, vita et moribus teſtudinum arctiſſimis vinculis iunctus cohaeret. Itaque de coitu, procreatione, victu, latitatione hiberna, atque vniuerſe de moribus et vita totius generis obſeruationes virorum doctorum et curioſorum ex multa et varia lectione collectae per

totum librum diſperſae atque anatomicis partium ſingularum deſcriptionibus adiunctae reperiuntur. *Orbicularem* LINNEI *teſtudinem*, noſtris regionibus incolam a natura vnicum ex toto genere additum, Auctor ipſe anatomico cultro diſſecuit et diligenter perſcrutatus eſt; qua quidem opera effecit, vt accuratiorem vteri atque ouiductus gemini, quemadmodum etiam membri virilis, pulmonum muſculorumque quorundam notitiam traderet, quam a viris doctis adhuc factum eſt. Sed in ſtructura neruorum, plerorumque muſculorum, atque inprimis cerebri enarranda deſideratur etiamnum opera virorum doctorum. Quam quidem lacunam vt doctiores anatomici aliquando expleant, optandum eſt vehementer. In capitis ſtructura explicanda praecipuam Auctor operam impendit. Animaduerterat enim, plerosque hiſtoriae naturalis ſcriptores poſt LINNEVM in tradendo generis teſtudinum charactere magnopere lapſos eſſe, cum maxillas edentulas veluti notam certam et toti generi communem ponerent, quae tamen paucis admodum ſpeciebus tribui poteſt. Quamquam iam olim Italus CALDESI terreſtrium multarum teſtudinum maxillas dentibus ſeu inciſuris armatas eſſe obſervauit; reliqui tamen omnes, qui eum inſecuti ſunt, ſcriptores vel negligentia, quod maxillas ipſi diligentius inſpicere atque examinare omiſerant, vel ignorantia, quod pauci librum Caldeſianum vel vidiſſe videntur, dentium vſu teſtudines omnes prorſus carere affirmarunt. Poſt Italum CALDESI primus WALBAVM repertam forte in gazophylacio aliquo viri docti teſtudinis marinae caluam, quae maxillas pluribus dentium ordinibus exaratas habebat, deſcripſit, et nomine caluae cum roſtro anſerino in Chelonographia ſua indigitauit. Propter aliquam ſimilitudinis ſpeciem, quae huic caluae cum

cum capite teſtudinis marinae a doctiſſimo Gallo FEUILLE'E picto et deſcripto intercedebat, in eam vir doctus ſuſpicionem deducebatur, vt caluam ſuam ad Teſtudinem viridem olim pertinuiſſe crederet. Quam eius ſuſpicionem Auctor certiſſimis argumentis confirmauit. Reperit enim integrum exemplum *Teſtudinis viridis*, quae LINNEO barbaro nomine Mydas dicitur, in muſeo Blochiano, quod diligentia inſpectum prorſus cum deſcriptione caluae Walbaumianae conuenire animaduertit. Quapropter totum caput ipſasque maxillas dentibus varie exaratas pictori delineandas tradidit; quae pictura in tabula altera lectorum oculis eſt expoſita. Deinde forte incidit in librum manu PLVMIERII ſcriptum, variis animalium Americanorum picturis et deſcriptionibus exornatum, et bibliothecae Blochianae cimelium; in quo proſtat etiam deſcriptio anatomica teſtudinis eius, quam Galli *franche* appellant, accuratis atque elegantibus picturis a manu PLVMIERII illuſtrata. Hanc quidem deſcriptionem ſtatim intellexit eandem eſſe, quam FEVILLE'E in libro ſuo poſuit; ſed picturae, quae capitis diſſectionem illuſtrarent, in libro manuſcripto PLVMIERII deſiderabantur. Magna igitur furti ſuſpicio cadit in Gallum FEVILLE'E, quem folii vnius defectus in libro manuſcripto, quemadmodum etiam totius deſcriptionis plane eiusdem argumentum et tenor arguit, alienas opes illiberaliter ſibi arrogaſſe. Sed in anatomica ventriculorum cordis explicatione mutauit quaedam, partium, vt videtur, Duverneianarum ſtudioſus FEVILLE'E, vt inſtituta verborum ſingulorum comparatione vidit et docuit Auctor. Verum enimvero nec in hac quidem capitis a teſtudine viridi reſecti pictura vlla dentium veſtigia apparent; ita vt credere fas ſit, PLVMIERIVM non nimis diligenter

genter maxillas inſpexiſſe, aut in pictura aberraſſe, aut ſpeciem *franche* dictam a viridi prorſus eſſe diverſam; a qua tamen opinione Auctor longe alieniſſimus eſſe videtur, qui PLVMIERII negligentiam hic arguere mauult, quam multi etiam alii ſcriptores in ſe admiſerunt culpam. Cum teſtudine viridi integrum etiam teſtudinis Carettae exemplum comparauit, atque vtriusque ſpeciei notas diligenter poſt doctiſſimum WALBAVM diſtinxit, qui duo exempla Carettae viua diſſecuit, atque accurate, nulla tamen cum viridi, quam nondum viderat, ſpecie facta comparatione, deſcripſit. Hanc vero poſteriorem, Carettam, roſtro accipitrino inſtructam, maxillarum dentibus prorſus carere vidit. Dentium quidem nomen hae maxillarum oſſearum inciſurae eodem iure merentur, quo dentes piſcium amphibiorumque multorum dicuntur, quamquam alueolis mobiles non inhaerent. Hos igitur dentes, pro varia eorum figura, ſitu, numero atque ordine, cum forma ipſius roſtri et totius capitis, tegminis oſſei eique ſuperinducti corii cum numero et figura forulorum oſſeorum et coriaceorum, (foruli enim corii a forulis oſſeis numero et figura admodum differunt) denique ſtructuram et formam pedum, vnguium, caudae, ad notas non ſolum familiae, ſed vnicuique etiam triplicis familiae ſpeciei diſtinguendae aptas refert Auctor; vbi tamen cauendum monet, ne ſingulatim ad aliquam partem, ſed ad omnes ſimul earumque conuenientiam inter ſe et conſtantiam potius reſpiciatur. In fine adiectae ſunt ſingularum ſpecierum notationes et deſcriptiones, partim verbis latinis methodo Linneana breuiter conſignatae, partim ſermone vernaculo paulo vberius digeſtae. Specierum numerum Auctor ad octauam et decimam vſque auxit, quarum tamen vix partem dimidiam rite exploratam

tam et deſcriptam eſſe confitetur. Nomina a LINNEO impoſita partim mutauit, quaedam immutata reliquit. Mutatorum vero nominum hanc edit rationem, quod pleraque nec graeca, nec latina, ſed barbara eſſent, vel nihil prorſus ſignificarent (cuius rei manifeſtum eſt exemplum in Myda, quod vocabulum ignorantia AVG. NIPHI ex graeco ἐμύδες, quo paluſtres teſtudines notantur, deprauatum eſt); vel denique quod pluribus ſpeciebus aut familiae alicui communia eſſe deberent; veluti orbicularis nomen plerisque omnibus fluuiatilibus conuenire reperitur. Itaque ipſe noua ſpecierum nomina ex graeco vel latino ſermone translata, et ſecundum regulas grammaticorum expreſſa, vel ad ſimilitudinem eorum nominum, quibus a patriae ſuae incolis indigitantur, formauit, vel ad ſignificandum peculiarem aliquem et proprium characterem accommodauit. Mydam LINNEI *viridem*, Carettam eiusdem *Cephalonem*, orbicularem LINN. *Europaeam*, ſcorpioidem LINN. *fimbriatam* nominauit. Nouas autem ſpecies, quas a LINNEO male omiſſas, aut cum aliis confuſas, aut denique poſt vltimam ſyſtematis Linneani editionem vulgatas addidit, *ferocem*, *fluuiatilem*, Carolinae prouinciae incolam, a GARDENIO detectam, molli cruſta, coriaceae marinae inſtar tectam, *ſquamatam*, itidem fluuiatilem, Indiae orientalis incolam, atque iam olim a BONTIO deſcriptam, et a LINNEO cum imbricata, marina, confuſam, *Caſpicam*, a GMELINO non ſatis accurate notatam, *Indicam*, a PERALTO dudum diſſectam, atque omnium optime enarratam, ipſe ex certis rerum aut patriae argumentis appellauit. Si quae praeterea teſtudinis alicuius nondum ſatis notae vel non ſatis certa vel diſerta notitia alicubi latitabat, eam verbis auctorum plerumque ſeruatis familiae, ad quam pertinere videbatur,

batur, in fine ſubiunxit, quo facilius a futuris ſpecierum nouarum auctoribus reperiri et ad ſuam cuiusque naturam referri poſſet. In marinarum teſtudinum familia vnguium numerum, quo vna cum forma teſtae LINNEVS ſpecies diſtinguere conatus eſt, nondum ſatis exploratum eſſe monet; ideoque magis ad capitis roſtrique formam, maxillarumque habitum reſpicere ſuadet. Deinde non vana eſſe videtur auctoris ſuſpicio, maritos etiam in hoc genere amphibiorum pluribus corporis notis a feminis differre; quam quidem diſcrepantiam certiſſimis obſeruationibus atque argumentis in teſtudine LINNEI orbiculari demonſtrauit. In teſtudine coriacea maxime fluctuat Auctor, dubius, omnesne auctorum deſcriptiones ad vnam eandemque, vel ad diuerſas ſpecies referendae ſint, atque illae notarum diſcrepantiae ſatis inſignes ſcriptorumne negligentiae, an corporum diuerſitati tribuendae ſint. BORLASSE, cuius librum Auctor ad manus non habuit, cum iſta ſcriberet, coriaceam ſuam porcis aculeatis ſeptem exaratam, pedibus pinniformibus ſex, carneis, mollibus, compreſſis inſtructam, abſque ſquamis atque vnguibus, pinxit. Colorem ſuperne coeruleum liuentem, in ventre et collo rubrum cum maculis obſcuris tribuit. Teſtam cum coriacea RONDELETII conuenire affirmat; numerum pedum ſenum ad fidem piſcatorum refert. Speciem quidem pedum ſex animal pronum praebuiſſe, ſed propter immenſam molem commode inuerti non potuiſſe, vt rem diligentius exploraret. Figura quarta Tabulae XXVII teſtudinem hanc rudi et nimis minuta pictura cum ſex pedibus expreſſam ſiſtit cum nomine *the ſpinous tortoiſe*. Porro duae iſtae ſpecies, quas Auctor ex libro BROWNII ſibi nondum viſo laudat, adeo leviter obſcureque a BROWNIO deſcriptae ſunt, vt certi

certi aliquid de iis conſtituere non audeamus. Multo vero minus ipſae picturae coniecturam lectoris adiuuant; pigmentorum enim lumine, non lineamentorum ſubtilitate, laudem quaeſiuit pictor. Hoc tamen apparet *cineream* teſtudinem a BROWNIO appellatam, quam figura prima et ſecunda pronam et ſupinam ſiſtit, ad fluuiatilium, alteram vero *mediterraneam* dictam ad marinarum pertinere familiam. Haec poſterior mare mediterraneum vna cum coriacea habitat; alterius patriam ignoramus. Teſtudo ſquamata, quam LINNEVS iniuria ad imbricatam, marinam, retulerat, ſquamis minutis, piſcis inſtar, tecta, magna ſimilitudinis ſpecie conuenire videtur auctori cum Mane LINNEI ex genere quadrupedum, et cum lacerta orbiculari Mexicana, adeoque vinculo aliquo nouo colligare genus teſtudinum cum quadrupedibus et lacertis. Minorem affinitatis gradum obſeruaſſe etiam ſibi viſus eſt cum genere Tetraodontis et Diodontis Linneano, cuius quaedam ſpecies maxillas oſſeas integras, acutas, pyxidatim ſibi iunctas, et fauces aculeatas habent, et denique dormitantes pondere ſuo maris vndis innatant. Membranaceam teſtudinem a BLVMENBACHIO pro noua ſpecie venditatam ad dubiarum numerum cum multis aliis, quarum tegumenta ſola aut exempla nimis tenella aut ſpiritu vini corrugata et deformia deſcripſit WALBAVM, relegauit. Poſtquam enim accuratius eam per amicum inſpexerat, pedes non pinniformes, ſed palmatos ei eſſe comperit; ex quo vna cum funiculo vmbilicali propendente adhuc et foetum recens natum arguente, animaduertit membranaceam ad fluuiatilium familiam eſſe referendam, ſi, de quo tamen dubitat, noua ſpecies haberi debeat. Quo liberius vero eſſet lectori iudicium, ipſum animal admodum minutum per vi-

tri transparentiam delineatum proposuit in Tabula prima. Praeter alia scitu dignissima experimenta restat etiam, vt in posterum accuratius in modum concubitus, tempora excludendorum ouorum, primamque foetus enucleati nutritionem per vmbilicalem funiculum inquiratur, quo certius de illis affinitatis gradibus, quibus testudinum genus cum auibus, piscibus, quadrupedibus et reliquis amphibiorum generibus coniunctum est, iudicare liceat. Desinemus in obseruatione singulari, quam de testudine aliqua marina sexus feminei proposuit vnus GOTTWALD, de cuius opera Auctor non nimis honorifice sentire videtur. Is reperit cauernam satis amplam infra vaginam vteri communem sitam, exitu supra anum patente, quam condendis seruandisque ouis destinat, donec in opportuno litoris loco deponantur. Mirum est, hanc a nemine, praeter GOTTWALDVM, cauernam esse annotatam; verumtamen, si bene eam vidit vir doctus, de cuius fide multo minus, quam de diligentia, dubitari posse videtur, putamus eam cauernam referre folliculum Fabricianum dictum in auibus, quibus hucusque proprius credebatur. Hunc vero folliculum pluries in auibus ipsi obseruauimus, plerumque glandulosum, et materia vnguinosa, quemadmodum in ouiductu accidere videmus, refertum, exitu supra anum patente. In vtroque igitur animalium genere eundem iste folliculus vsum praebere, atque in testudine nouam similitudinis speciem cum auibus prodere videtur.

XVII.

Tabula affinitatum animalium olim academico specimine edita, nunc vberiore commentario illustrata, cum annotationibus ad historiam naturalem animalium augendam facientibus,

tibus, auctore IO. HERMANNO, M. D. et Prof. Argentorati 1783. Impensis Ioh. Georg. Treutel. pagg. 370. in 4.

Hanc vetustissimorum etiam philosophorum de vniuersae naturae consensu rerumque naturalium variis inter se nexibus catenae instar cohaerente et continuata serie doctrinam repetitam varioque obseruationum genere atque argumentorum confirmatam tabula etiam typothetarum formulis et lineis expressa illustrauit egregie doctissimus Auctor, ita vt omnes animalium classes et ordines diligenter perueſtigaret, eosque affinitatis gradus, quibus omnia inter se genera nexa cohaerent, solerter distingueret atque oculis lectorum exponeret. Hac vero opera, ardua sane et difficili, illud inprimis consecutus est, vt de finibus generum Linneanorum accuratius iudicare, pluriumque specierum dubiarum cum variis generibus connexionem animaduertere, iisque certiorem aliquam sedem in Systemate Linneano assignare posset. Etsi vero in vniuersum strenuum se Systematis Linneani defensorem praestat, quod adiuuandae memoriae comprehendendaeque animo immensae rerum naturalium multitudini admodum aptum experiuntur, qui technologiam auctoris eiusque rationes perdiscere non dedignati sunt; multos tamen subinde et varios LINNEI errores, per multa discipulorum eius scripta propagatos et continuatos tangit et emendat; eoque efficit, vt genera Systematis Linneani multa propius ad ordinem rerum a sapientissima natura institutum accedant. Artificium, quo vsus tam varios et multiplices affinitatis gradus in tabula formulis et lineis chalcographicis expressit, enarrare nec lubet, nec operae pretium est; contra vero in lectorum gratiam praecipuas

easque nouas obſeruationes, quibus commentarius diſtinctus eſt, hinc inde excerptas delibabimus, addito interdum iudicio noſtro, quo melius ex his ſpeciminibus de reliqua libri praeſtantia Auctorisque ingenio iudicare poſſint. Quoniam vero multorum eorumque praeſtantiſſimorum ſcriptorum induſtria et diligentia in enarrando quadrupedum ordine et nexu explicandaque magna eius et varia cum humano genere cognatione atque affinitate iam diu occupata fuit, malumus ex reliqua auium, amphibiorum et piſcium tractatione ſeligere illa ſpecimina, quibus ingenium ſolertiamque auctoris lectoribus approbatum iri confidimus. Verum tamen, vt ingenue fateamur, quod res eſt, fere veremur, vt lectoribus omni ex parte ſatisfaciamus. Difficile enim eſt ex tam varia tamque arctis argumentorum rerumque vinculis colligata diſputatione decerpere aliquam particulam, quae a reliquo corpore violenter ſeparata eandem ingenii ſolertiaeque opinionem lectori inſinuare poſſit. Nollemus tamen culpa noſtra de laudibus viri doctiſſimi aliquid imminuere. Igitur re diligentius penſitata, conſilium hoc placuit, vt primum ex tractatione auium ſpeciminis loco initium translatum poneremus, deinde vero ex omni parte praecipuas obſervationes, quibus generum multorum affinitates confirmantur, excerptas admirationi lectorum exponeremus. Quodſi vero hinc inde diſſenſum noſtrum teſtatum paucis fecerimus, ſperamus fore, vt Auctor hanc opinionis diuerſitatem non ad inuidioſam carpendi libidinem, ſed ad honeſtum veritatis ſtudium referat, quod ipſe multoties, vbi praeſtantibus meritorum fama viris obloquitur, eſt profeſſus. Quid? quod in tabula ſua, duobus annis ante inceptum commentarium excuſa, ipſe poſtea non pauca animaduertit, quae vel mutata, vel addi-

ta

ti mallet; adeo vt dubitationi nullus ſupereſſe poſſit locus, Auctorem veritati, quam gloriae ſtudio, plus tribuere.

„Quemadmodum, inquit Auctor, mammalia per veſpertilionem maxime auibus accedere vidimus, ſic etiam conſimili fere modo ab his per veriſſimam auem ſtruthionem ad mammalia adſcenditur. Eum partim auem, partim quadrupes, iam ARISTOTELES dixit. Et ſane pedum ſtructura camelinae ſubſimili, callo pectoris, ſterno plano non carinato, genitali membro, clitoride, ventriculo iſthmis intercepto, excrementorum forma, palpebra ſuperiori mobili ciliata, curſu in terra, plumis decompoſitis, pilorum aemulis, id quod in caſuario maxime obtinet, mammalibus accedit. Vtque ſunt inter mammalia, quae ad idem genus referri oporteat, licet digitorum numero non conueniant, ſic et in tribus ſtruthionis ſpeciebus, quarum ſimilitudinem ne BVFFONIVS quidem negat. A ſtruthionis genere proxime abeſt volare aeque neſcius Didus ineptus, per quem et gallinaceae aues, et reliquae, ſi velis, quibus negata volandi poteſtas eſt, nectuntur. At Didus ipſe in ſua claſſe id referre videtur, quod inter mammalia bradypus eſt. Ab altera autem parte caſuario cognata Otis eſt, tridactyla pariter, et grauis ales, quae non modo fornicato roſtro, et tibiis minus denudatis, rectrices pennas gerendi more, victuque vegetabili, ornatu maſculini ſexus, volatuque magno conatu moliendo gallinaceis appropinquat, ſed et intermediis gruibus graniuoris ardeas annectit. At tamen et hic ambigat grus leucogeranos PALLAS, quam illuſtris hic Auctor gruibus ſociat, quum tamen ipſe piſciuoram eſſe doceat, non graniuoram, quod inter gruis characteres poſuerat. Sed multiplices ſunt ardearum LINNEI formae, vt apte in familias

aut

aut diſtincta potius genera diuidi queant. Ex criſtatis quidem ardea pauonina plicatili verticis criſta pauonem, ſed nudis iuguli lobulis phaſianum gallum refert, ad quas aues lineae lectorem deducent. Ciconiarum gularis quodammodo ſaccus redit in pelecanis, quos linea coniungendi tabula haud copiam fecit. Inter grues Pſophiam eſſe iubet Cel. PALLAS, a quibus tantum vertice non denudato differt. Eam auem inter Palamedeam cornutam et Parras intermediam iudicat Cel. ADANSON; producatur adeo a Parra linea vſque ſub Pſophiam, adſcribaturque Parra Chauaria, cui ſimilis fere ſtatura moresque; ab eaque punctata linea ad Pſophiam adſcendat. Quumque de gallinaceo quoque genere roſtrum et morum non nihil mihi habere viſa ſit, ita quoque cenſente Ill. BVFFONIO, et auctore PENNANTO gallinacearum more plurima oua pariat, poterit facile cum iuxta poſita Tetraone perdice (cui iam, licet inepte, a BRISSONIO iuncta fuerat) atque adeo gallinaceis coniungi: nec dubium eſt, repertum iri aliquando etiam inter has ambigentes: inque gallinarum claſſe, quum homini amiciſſima ſit, eundem fere locum tenere poterit, quem inter mammalia canis. Ardeae autem ſuperius genus et latius patens ita a nobis poſitum, vt in eo confluant, et a ſuperiore parte grus, et ab inferiore loco cancroma, et a dextro latere ardeae proprie dictae, quarum ordinem ardea cinerea indicari placuit, et a quibus ſolo dilatato inorbiculum roſtro plataleae differunt, et a ſiniſtra Botauri (*Ardeae ſtellares* LINN.) amplioribus gulis cum ciconiis coniuncti. Horum ope poteris quoque accipitrum ordinem annectere. Nam a Botauris lineam verſus ſuperiora ducendo incidere facile poteris in ſtriges pariter nocturnas aues, maxime ſi interponas, qui demum abhinc impreſſione tabulae noſtrae nobis innotuit,

notuit, Sagittarium BODDAERTI, pedibus grallam, corpore roſtroque accipitrem. Sed redeamus ad ſtruthionem camelum; a quo pendet hinc Palamedea cornuta, illinc Phoenicopterus, procera ſtatura, roſtro breuiore, tibiis validis ſtruthioni vtcunque analogus, ſed palmatis pedibus, roſtroque anatino more denticulato et epidermide tecto ad anſeres oppido tranſiens. Vt adeo ab aue cum Mammalibus coniuncta per paucos intermedios gradus affinitas cum omnium claſſium auibus pateat, per Sagittarium nempe cum accipitribus, per Phoenicopterum cum anſeribus, per Otidem cum gallinis, per Plataleam pygmaeam, aut per minutiſſimas illas Tringarum ſpecies, quas Turdos aquaticos Alaudasque marinas ſalutare ſolent, aut ſi roſtri eam ſimilitudinem admittere velis, per Pratincolam (a LINNEO ad Hirundines relatam) cum Paſſeribus. Solusne ergo Picarum ordo nullatenus erit coniunctus? Meminiſſe hic oportet, eſſe duos hos ordines maxime omnium diſpares; Picis eſſe breuiſſimos pedes vitaeque genus diuerſiſſimum a longipedibus grallis; vnde difficilior et minus euidens nectendi ratio. Non tamen deerunt quaedam momenta, quae comparationem admittant. Conferri poterit Cancroma amplum roſtrum nacta cum Rhamphaſto maxime piſciuoro; nec Alcedines a grallarum viuendi genere valde alienae ſunt; poteritque fortaſſe vaſtum Alcedinis capenſis roſtrum cum Ibidis aut Ciconiae roſtro, aut cum eo, quo Cancroma gaudet, comparari. Sed KLEINIVS quoque, in quo Grallis cum Picis conveniat, docebit, qui Falcatoris minime quidem naturali genere et Numenios e Grallis, et e Picis Certhias, Meropes, Vpupasque coniunxerit. Quumque in re haud expeditiſſima etiam curioſius, quae ad rem faciant, anquiri poſſe videantur, et veniam reperire,

reperire, quae alii obtorto collo adducta esse putent, trahamus huc comparationem, quam magnus LINNEVS inter Grallas atque Bruta fecit, quorum Myrmecophagis et Manibus quum magis quoque Picus et Iynx ob linguae analogiam conueniant, dici forte poterit, Grallas Picasque, quae in alio tertio, Brutis nempe, conueniunt, etiam inter se conuenire. Verum haec mittimus et ad reliquas aues descendimus. „

p. 157. Anatini generis cum reliquis auibus affinitatem ita enarrat: „In anatis et finitimo Mergi generibus, ad quae iam ab aliis per Anatem mersam et Cygnum et cucullatas aquaticas aues transitum dari ostensum est, expediendis non ero fusior. Neque enim spatii satis fuit, vel praecipuis illarum speciebus rite disponendis, nec satis cognitas habeo numerosissimas istas, quarum quotidie etiam numerus augetur. Anseris inter Anatisque genus, quae BRISSONIVS distinxit, nullos esse certos limites constat, siue rostri conicam depressamue formam spectes, siue pedum altitudinem incessumque, siue magnitudinem, aut quae demum cunque velis. Sic et recuruae caudae pennae, speculi alarum color, crista capitis, pennae dorsales angustae et praelongatae Querquedularum, alio alioque modo connectunt. Alias cera rostri, aut gibber in eius basi conspicuus, aut facies nuda, alias humeri spinosi, alias fodiendi instinctus, alias egregie vrinandi peritia, alias terrestris habitatio, alias arboribus insidendi, aut in iis nidificandi mos, alias monogamia, alias rostrum dilatatum Plataleae rostrum reuocans, alias sonus, quem edunt, gratus, alias tetrinniens, aut acutus sibilansque, alias rectricum pennarum quaedam praelongatae, alias calliditas summa, alias stupiditas, alias sapor carnis maxime piseulentus, alias gratissimus, alias tracheae labyrinthus, alias eiusdem defectus,

fectus, a congeneribus diſcriminat et alii aliiue aui aſſimilat. Facies nuda papilloſa anatis moſcharae, quae prae aliis etiam manſueſcit et cortalis fit, videtur anatis genus ad gallinas deducere poſſe. Anas Tadorna roſtro reſimo inter ſuas idem cenſeri poterit, quod inter Grallas Limoſae et Recurviroſtra. Equidem in iſta ſpatii anguſtia nonniſi anatem anſerem vulgatiſſimam ſpeciem, et inter anſeres cygnosque auctorum intermediam anatem cygnoidem nominaui; tum Clangulam, vt linea ad Pſophiam deducta indicarem, eſſe variorum ordinum aues, quibus a ſingulari laryngis ſtructura pendens inſolita vox eſt: tandemque anatem bucephalam, vt intermedio Mergo cucullato, cui ſimile tumens caput eſt, conſociarem Mergos ſatis iam per ſe propinquos. Mergi ceterum ob vrinandi peritiam Colymbis annecti poſſunt. „ In annotationibus, quibus ſingulae notae vberius explicantur, primum memorat Cel. Auctor longas illas et anguſtas humerorum pennas propriae ſtructurae, quas in Anate querquedula, Crecca, diſcorde ſponſa, forte etiam in aliis reperiri ait, quasque ab auctoribus vulgo neglectas mereri vtique in ſpecificas definitiones recipi, et illis gaudentes ad peculiarem anatini generis familiam referri. Nobis quidem nondum liquet, quas Auctor doctiſſimus pennas hic intelligi velit, illasne, quae initio oſſis humeri ſuperne iunctae, ſpatiumque inter dorſum et alam medium occupantes, atque intermediis remigibus longiores, an alam notham Moehringii, quae ſex plerumque pennis anguſtioribus compoſita inferne oſſi humeri in linea obliqua iuncta conſpicitur. Vtramque vero alam hanc nos quidem non ſolum in anate boſchade, Crecca, Querquedula, clypeata, acuta aliisque, ſed in laris etiam quibusdam reperimus; adeo vt neſciamus, an hae pennae

nae commode ad familiam aliquam anatini generis conſtituendam referri poſſint. Inſtinctum fodiendi, nos quidem effodiendi cubilis inſtinctum diceremus; in quo conuenit anati tadornae cum Alcis, Penguinis, Iſpida et hirundine riparia. Humeros ſpinoſos putamus doctiſſimo auctori dici illam proceſſus ſupra pollicem alae poſiti eminentiam; quae quidem in multis auium generibus reperitur, mox longior et acutior, modo breuior et obtuſior. In Palamedea cornuta et Struthione camelo praeter hanc ſpinam vltimum alae os itidem in ſpinam prolongatur alteram. Denique quod doctiſſimus Auctor linea ab anate clangula ad pſophiam deducta indicare voluit, eſſe variorum ordinum aues, quibus a ſingulari laryngis ſtructura pendens inſolita vox eſt; in eo quidem non ſatis recte feciſſe nobis quidem videtur. Nihil enim nec laryngis ſtructura, nec ipſa Clangulae vox cum pſophia commune habet. Quid? quod in auium laryngis ſtructura nullam fere aut paruam variationem reperiri ſcimus. In maribus quidem auium cantatricum fortiores laryngis muſculos reperiſſe profeſſus eſt HVNTER; in Pelicano carbone et in aliqua Aquilae ſpecie laryngis cartilagines quadratas reperit PERALTVS; nos ipſi in quarundam auium larynge criſtam ſeu carinam acutam in medio cartilaginis arytaenoidis interne additam vidimus. Verum longe maior et nondum ſatis enarrata reperitur in ſtructura et conformatione tracheae eiusque bifurcationis, bronchiorumque ipſorum varietas, a qua quidem auium vocem, in omnibus fere diuerſam atque inſolitam, pendere recte olim cenſuit DODARTVS et poſt eum HERISSANTVS. Quid? quod hi ipſi duumuiri laryngem in ſuperiore tracheae parte additam nihil fere ad vocem auium formandam conferre aſſerunt, ſed inferioris

ferioris bifurcationis, bronchiorumque ſtructuram cum additis labyrinthorum formis et membranarum per eos tenſarum configuratione vſum laryngis plurimis, inprimis vero aquaticis auibus praeſtare. In hac vero tracheae varia ſtructura natura quandam generum ſimilitudinem ſecuta eſſe videtur, quae affinitatem auium plurimarum certiſſime arguit. Sic quidem ardearum multae ſpecies duplicatae et retortae tracheae in ſterni os cauum inſertione cum anſere cygno; ſic corui laryngis internae ab HERISSANTO dictae conformatione et muſculorum ei additorum numero atque inſertione cum Pſittacis; ſic Phaſiani ſpecies quaedam cum Cracibus et Tetraone Vrogallo tracheae reduplicatione ſecundum colli longitudinem aut intra pectoris cauitatem ſita conueniunt; denique illas tracheae dilatationes et folliculares et labyrinthiformes appendices natura anatum et mergorum generi proprias tribuiſſe videtur, eoque etiam argumento ſummam vtriusque generis affinitatem indicaſſe. Anſerum genus nihil ſimile aut ſingulare in tracheae ſtructura oſtendit, adeoque magnam diuerſitatem offert illis, qui anates ab anſeribus diſiungere velint. Multi vbique affinitatis gradus veluti rami ad reliqua genera excurrunt, quos perſequi longum et arduum eſt. Deſinunt hi non raro in tam tenues et ſubtiles ſimilitudinum quaſi fibras non ſolum in corporis externa ſpecie, ſed in moribus etiam, ingenio victuque latentes, vt cum magno acumine opus ſit, ſi rite eas omnes indagare velis, tum vero maiore etiam prudentia, ne longius notam aliquam ſingularem ſecteris, nec in argutias incidas. Itaque in vniuerſum monendum cenſemus, cum iſta de cognatione atque affinitate animalium doctrina ſimilitudine aliqua non ſolum ſtructurae totius corporis, ſed ſingularum etiam

partium tam externarum, quam internarum, quin etiam habitationis, procreationis, victus, morum et denique ingenii nitatur, eo maiorem iure videri cognationem atque affinitatem eorum animalium, quibus inuicem plura conueniunt. Cauendum vero, ne ſingulas partes nimis vrgeamus, ne argutari videamur, cum naturam interpretari volumus. Perſequi tamen illam ſingularum partium ſimilitudinem diligenter non vetamus; poſſumus enim ex ſtudio iſto hoc conſequi, vt facilius vſum iſtarum partium, quae in variis animalium generibus alia forma, alio loco diuerſoque ſitu conſpiciuntur, explicemus.

p. 162. Gallinaceam gentem recte a LINNEO cum pecoribus comparatam eſſe docet Auctor, notasque explicat, quibus vtrumque genus inuicem conuenit. Scilicet prolobus, in quo vegetabiles cibos macerant quaſi ruminatione aliqua; cornua, quae nonnullis in capite, plurimis in pede ſunt, vbi vngulas ſpurias pecorum quaſi imitantur calcarea gallinarum in nullo alio ordine recurrentia; pendulae in aliis carunculae palearibus boum mancillisque caprarum analogae; aptitudo ad manſueſcendum, et domeſticam vitam; carnis adipisque puritas, omnia haec coniunctim ſumta ſimilitudinem aliquam cum pecoribus oſtendunt. Vltimum auium genus Hirundinum et Caprimulgorum coniunctiſſimum vtrumque et varia affinitate nexum non quidem a motacillis immediate deduci poteſt, quamuis aeque inſectiuorum ſit, ac harum genus, ſed ab aliis tamen paulo magis diſtantibus vtcunque pendet, et paucis intermediis gradibus maximas rapacesque et minimas innocuas aues cohaerere, quin duobus ſimillimis et coniunctiſſimis, ſi vllum, generibus ipſa hinc Mammalia, inde locata inferiore gradu amphibia connecti, mira res oppido vide-

videtur. Haec Cel. Auctor p. 230. Videamus nunc, quibus hanc ſuam ſententiam confirmare conatur, argumenta. Cognationem hirundinis cum caprimulgo plures iam olim ſcriptores animaduerterunt; addit Auctor hirundinem Martinicam cauda non forficata caprimulgis propiorem eſſe; alias caudae aequalitate; contra ab hirundinibus propius abſunt caprimulgi duodecim rectricibus inſtructi, vt ab altera parte hirundo Melba rectricibus decem caprimulgum magis refert. Caprimulgus acutipennis hirundinem pelagicam ſimili rectricum acuto fine annectit. Cum Picis affinitatem aliquam, quamuis tenuem, prodit duodenus rectricum numerus et pedum breuitas. Maior eſt cum ſtrigibus caprimulgorum cognatio, quam arguunt aures vtrique generi amplae cum oculis, ſetae ad roſtrum, licet numero rariores et poſitu diuerſae, pedes villoſi, digitus quoque in oppoſitam partem mobilis, quanquam ceterum diuerſiſſima pedum proportio eſt, nec apta rapinae; vnguis medii margo etiam (interior) ſerratim inciſus, quod praeter ardeas niſi in ſtrigibus non obſeruaſſe profitetur Auctor; (Sed in Pelicano carbone easdem medii vnguis inciſuras vidit PERRALTVS.) volatus denique ſubnocturnus. Nexum cum Mammalibus paulo obſcuriorem ita explicat. Vt hic tranſitus in diſtinctiſſimas claſſes fit, ita ſimilitudines leuiores eſſe debent atque obſcuriores, quod ipſa natura in nocturnis animalibus eas machinata, indicaſſe videtur. Si fas eſt veſpertilionem ad aues deducere, ſi, quod grauiſſimus Auctor BVFFONIVS fecit, hyſtricum aculei cum auium plumis comparari poſſunt, et ſtruthio mammalibus accedere dici poteſt, dari velim et illud, caprimulgum ſolam eam eſſe auem, quae, quod reliquis omnibus negatum eſt, fugere poſſit quadrupedum more, eoque cum mammali-

bus conueniat. Fabulosum hoc reputari hodie scio; at non perspicio, qua ratione plures gentes in nomine imponendo conuenire adeo potuerint, vt a fabulosa prorsus nec vnquam visa re nomen illud repeterent. Rei veritatem denuo, si recte memini, adstruxit SCOPOLI: nec velim obiici, deesse buccas et labia sugendo apta. Potest auis, ni fallor, immani gutture vberis papillam recipere et musculorum ope, qui mylohyoideis. geniogloſſis et cet. musculis respondent, reclinatis mollibus et plicatilibus fere paruisque maxillis sugere; quam gulae vim esse auibus, quae maiores integros pisces deglutiunt, necesse est. Aegre ferimus doctissimum Auctorem ingenio suo et similitudinum vndequaque colligendarum studio adeo indulsisse, vt, quod non solum veritati, sed multo magis etiam analogiae et verisimilitudini repugnat, adstruere conaretur. Nominis argumentum non est quod vrgeat; illud enim a graecis primum ad latinos scriptores, deinde ad aliarum gentium scriptores translatum est, vel amore credulo superstitionis, vel quod nullum aui proprium aderat. Multae tamen regiones et gentes ab isto errore Graecorum plane immunes alio auem nomine appellant; quaedam etiam similem opinionis errorem in hirundinem rusticam transtulerunt, quae vbera vaccarum pungere dicitur. Auctoritatem deinde SCOPOLI adhibere non debebat Cel. Auctor; is enim nihil comperti refert, sed vulgarem simpliciter traditionem sequitur; in quo tamen illud nobis mirum accidit, quod interdiu caprimulgus aut latere aut vbera armentorum sugere ab eo traditur. Sed eum SCOPOLI multorumque praeter eum scriptorum errorem post KLEINIVM satis refutauit GVNTHERVS in versione germanica anni Ornithologici Scopoliani, quam Cel. Auctor nondum vidisse videtur. Sed praeterea,

terea, pergit Auctor, nares cartilagineae prominentes ac mobiles non alii facile aui datae sunt. An Procellariae tubulosas suas nares mouere possint, ignoro. Noua, vtcunque sit, haec est cum Mammalibus analogia. Affines striges autem solae, quantum sciam, inter aues mobiles auricularum carneos lobulos nactae sunt, mammalibus hac in re conuenientes. Quae omnia tanto excusatius protulisse me spero, vt inuicem assimilari classes demonstrarem, quum simili ratione membranaceas plurium vespertilionum cristas auium cirrhis comparare magnus BVFFONIVS non dubitauerit. De mobilitate narium prominentium in caprimulgo veremur, vt Auctori ex sua obseruatione constet; nobis quidem in pluribus auis exemplis sclopeto occisis, quorum vltimum tamen per horam vitam protrahebat, motum aliquem animaduertere non licuit. Quod si tamen motus in hoc auium genere locum habet, multo magis idem de procellaria concedendum putamus. Ab hibernantibus animalibus per hirundines seriem ad amphibia deducit, et vrbicam vltimo loco ponit, quia hanc praecipue demergi probabile ei videtur. Priusquam ad amphibiorum ordinem transeamus, profitemur ingenue, mirum nobis accidisse, quod nullibi reperimus Cel. Auctorem animum aduertisse ad illa cognationis atque affinitatis animalium argumenta, quae internarum partium diligentior inspectio magna copia suppeditat, quaeque ex auium et piscium genere collecta proposuit nuper doctissimus VICQ D'AZYR. Sed videmus sero tandem nobilissimi Galli operam praeclaram Auctori innotuisse, quod quidem ipse aegre ferre videtur. Plura tamen et frequentiora similitudinis argumenta ex internarum partium structura sumta attulit in ordine amphibiorum enarrando, quorum species externa multo magis a simi-

litudine reliquorum animalium aliena oculorum aciem facile ipsa ad interiora dirigere cogit. Squalorum cum raiis cognationem egregie enarrauit; vbi tamen quaedam aegre desideramus, quae a Gallo paulo antea laudato, VICQD'AZYR, praeclare praecepta meminimus. Pertinet inprimis huc descriptio sceleti Raiarum, quacum rudis illa delineatio a CHESELDEN profecta contendi non potest, quam tamen sequitur Cel. Auctor. Partum vtriusque generis inprimis magna cum diligentia persequitur, et multis argumentis efficere conatur, vt credibile sit, in vtroque genere species alias ouas, alias viuum edere foetum. De Raiis veterum testatur experientia et testimonium; sed squalorum etiam species quasdam ouum edere arguunt folliculi vel vacui vel foetu turgescentes in mari reperti, et a variis auctoribus fide dignis descripti. Praeterea suspicatur Cel. HERRMANN, tortiles illos viticularum instar cirrhos, praelongos, quibus oua squalorum instructa conspiciuntur, eum habere vsum, vt impliciti marinis plantis ouum editum detineant. Caua enim fila illa esse, vt aliquam alimenti partem ad foetum deferre possint, nondum demonstratum esse. Verum quaeri potest, cur benigna rerum natura eosdem cirrhos illis etiam ouis addiderit, quae in vtero matris excluduntur? Raiam oxyrynchum LINNEI esse eam speciem, quae Bos veteribus audit, etsi etiam a PENNANTO affirmari idem meminimus, dubitatione tamen omni non caret. Sed hic non est locus in eam rem diligentius inquirendi. Os piscium cirrhosum cum palpis insectorum comparauerat SCOPOLI; contra vero Auctor cirrhos istos cum vibrissis Mammalium aut vermium tentaculis contendere mauult. Vibrissarum autem vsus nobis quidem nimis esse angustus videtur, quam vt piscium cirrhis comparari

rari possint; multo vero magis structura differunt, quae diuersum arguit vsum. Neruorum enim extremitates cirrhis Siluri maioribus additas distincte satis videre licet; nihil simile in vibrissis animalium. Squalum fasciatum illum, quem ex SEBA T. III. tab. 34. fig. 1. laudat, quasi quaternis tantum laterum spiraculis instructum, et per quem adeo ad Chimaeram, cui simplicia quidem, sed quadripartita spiracula sunt, facili lapsu naturam descendisse putat, ipsi diligenter examinauimus, atque errorem interpretis SEBAE manifesto deprehendimus. Sunt enim illi, vt reliquo Squalorum generi, quaterna laterum spiracula. In piscium numero sunt, inquit Cel. Auctor, quorum pectorales validiores radii et insertione et vsu brachia referre videntur. Nominat Silurum, qui quasi bipes esse videatur, atque adeo membrorum respectu proximus a Lophio ponendus. Deinde in nota explicat mirabilem radii primi validioris pinnarum pectoralium Siluri fabricam atque insertionem vel articulationem, quae efficit, vt radii antrorsum erecti et rigidi nulla fere vi et nisi cum arte aliqua reprimi et retroflecti non possint. Sed maiorem admirationem meretur, et ampliore descriptione digna est ipsa scapulae figura, post clauiculas cum magno spinae dorsalis processu laterali bifurcato vtrinque iunctae, quae simul sterni locum tenet. In angulo vtriusque fossa varie exarato radiis primus duobus condylis ita insertus haeret, vt, si antrorsum musculorum scapularium ope protractus fuerit, nisi cum artificio aliquo reponi non possit. Verum vlteriorem mirae huius fabricae, qualem in sceleto capitis Siluri glanis diligenter a nobis apparato contemplamur, rationem opportuniori loco reconditam seruamus. Vsum eius interim hunc cum doctissimo HERRMANNO suspicamur esse, vt in angustis canalibus

p. 302.

p. 325.

piſcis contra ripas nitendo tanquam brachiis gliſcere poſſit, et adſcendere aduerſo torrente inter ſcopulorum rimas.

p. 346. Labrum Scarum LINNEI ruminare eaque re cum Pecoribus conuenire, auctoritate veterum ſcriptorum confiſus repetit Cel. Auctor; nobis tamen ex diſſectione RONDELETII nihil occurrit, quod ruminationem arguere videatur. Quodſi eiusmodi ſimilitudines longius perſequi velis, illam potius quibusdam piſcium generibus peculiarem vim ventriculi inuertendi et cibos nimis auide hauſtos egerendi cum ruminatione pecorum comparare liceret.

XVIII.

Materialien für Gottesgelahrheit und Religion. Erſter Band, Erſte Sammlung, Gera 1784. 174 *Seiten in* 8.

i. e.

Materialia ad theologiam et religionem.

In hoc periodico opere, quod ſub auſpiciis IOANNIS AVGVSTI WEISE, V. pl. Rev. in lucem emittitur, plura ad biblicam medicinam pertinentia a Cl° ACKERMANNO, profecta occurrunt. Miſſis itaque iis, quae ad theologiam ſpectant, medica in hoc volumine contenta recenſere lubet.

p. 50. *Annotationes circa antiquitates vſumque circumciſionis*, Auctore IO. CAR. GOTTL. ACRERMANN. Med. Dr. Pluribus primum rationibus probatur, circumciſionem ante Abrahami tempora ignotam, et Abrahamo diuinitus mandatam fuiſſe. De vſu circumciſionis, inprimis medico. Circumciſionem ſobolis copioſiori progenerationi nullo modo, nec in his, quibus languida venus eſt, fauere, Iſraelitasque,

litasque, quum in itinere ſuo maxime diuturno circumciſionem negligerent, copioſiſſimam ſobolem generaſſe. Magis potius probabile eſſe, ſummum numen inſtituta circumciſione oeſtrum venereum certis limitibus coercere, eaque id inprimis cauere voluiſſe, ne praecocibus nimis connubiis in tam calida regione ipſi parentes eneruarentur, effoetaque ſoboles progeneraretur. Circumciſionem etiam morbos quosdam auertere, ſpuriam gonorrhoeam, varias in dorſo glandis inflammationes et ſuppurationes, naturalem et morboſam phimoſin paraphimoſinque, contagia etiam morborum per coitum difficilius in circumciſis propagari, et in circumciſione praeſidii forte aliquid contra lepram poſitum fuiſſe. Simul et de manuſtuprationis antiquitatibus diſſeritur, probaturque *Onanem* eius auctorem non fuiſſe.

De opera, quam Iudaei in circumciſione in corpore ſuo extinguenda poſuerunt, ad loca Ierem. IX. 25. 1 *Maccab. I*, 16. *et* 1 *Corinth. VII*, 18. *illuſtranda* idem auctor vlterius diſſerit. Locum Paralip. II, 36, 8. etiam de hac circumciſionis extinctione arte tentata valere. De rationibus, quibus Iudaei ad circumciſionem ſuam velandam commoti ſunt, in Gymnaſiis, Graeco more apud eos inſtitutis, frequenti eorum cum exteris nationibus commercio in contemtu Iudaicae nationis, Romanorum inprimis ſub imperio, et in eo ſitis, quod nouae chriſtianae religioni addicti Iudaei omnia priſcae religionis et in corpore ſuo veſtigia omni opera delerent.

Nunc de modo diſſeritur, quibus veteres aut p. 91.
naturali modo nimis curtum praeputium, aut arte reſciſſum reſarciebant. Externis medicamentis eum in finem adhiberi ſolitis, expoſitis, operationes variae veterum chirurgicae, quibus hic finis obtine-

batur, recenſentur, multisque obſeruationibus illuſtrantur. Plura inprimis ad *Epiphanii* locum, in quo talis operatio fuſe deſcribitur, illuſtrandum veterum teſtimonia adferuntur, illuſtrantur et inter ſe conferuntur. — Alia theologici argumenti in hoc opere contenta huc non faciunt.

XIX.

Neues Magazin für Aerzte, herausgegeben von ERNST GOTTFRIED BALDINGER. *Erſter Band I—VI. Stück. Leipzig* 1779. *Seitt.* 574. 8. *II Band.* 1780 *Seitt.* 574. *III Band.* 1781. *Seitt.* 576. *IV Band.* 1782. *Seitt.* 574. *V Band.* 1783. *Seitt.* 574.

i. e.

Nouum promtuarium in vſum medicorum editum ab E. G. BALDINGER. Vol. I — V.

Vtiliſſimo hoc opere, et ab omnibus maxime laudato, cuius omni anno volumen in ſex partes diuiſum in lucem emittitur, Ill. Editor partim doctorum medicorum practicorum, partim vero et iuniorum vſui inſeruire cupit, eumque finem Ill. Vir hoc modo attigit, vt nil paene ſit, quod in eo poſſit deſiderari.

p. I. ZIMMERMANNVS V. Ill. machinam deſcribit, ab Illuſtri Archiatro KAEMPFIO inuentam, qua clyſteres ex vaporibus applicari poſſunt. Vtilis machina eſt et facile applicanda. Eam icon adiecta exhibet.

p. II. *De inſigni fomentationum capitis frigidarum in apoplexia vſu, auctore* Cl° CRELLIO. SCHMVCKERI inprimis exemplis ductus, capitis fomentationes frigidas, in omni apoplexia, praemittendis medicinis praemiſſis laudat, exempla tamen boni ſucceſſus omni ſane modo exſpectandi non affert.

Ad

Ad hiſtoriam ſpecifici antipodagrici Americani p. 19.
BALDINGERVS, V. Ill. quaedam conſcripſit.

Hiſtoria febris epidemicae ſcarlatinae, in Wetterauia graſſantis, auctore anonymo. Morbum ſemel tantum homines corripere; ſubinde anginam, cum omnibus febris catarrhalis ſymptomatibus, ſine vllo exanthemate apparuiſſe. Bilioſa conſtitutio huic febri ſolita ſimul aderat. Exanthemata deſquamatione ſoluebantur, iisque penitus profligatis noua angina cum febre oriebatur, ex qua demum hydropicus ille rebellis tumor natus eſt. Tumor ille ſemper pro exanthematum multitudine et ſquamarum copia vehemens fuit. Eius origines partim ab inhalatione a morbo aucta, partim et a vitiis in hypochondriis, bilioſae indolis ſitas eſſe. Medicinas ad hunc morbum euacuantes maxime valere. Bona tractatio eſt, a ſagaci obſeruatore profecta. p. 21.

Quam damnoſum ſit belladonnae baccas et daturae ſtrammonii ſemina eſſe, idem, vt videtur, auctor ex exemplis probat. Strammonii ſemina neruos vehementer afficere et ſanguinem in praeternaturales motus concitare. p. 31.

De manuſtupratione, inprimis puellarum iuniorum, ZIMMERMANNVS, V. Ill. eleganter diſſerit, anonymumque alium auctorem, qui varia contra hanc tractationem argumenta protulerat, refellit.

Arthritici morbi anomali hiſtoriam alius perſcripſit. Morbus tandem pedum oſſa praeter naturam affecit.

De clyſteribus recte applicandis auctore MARTINI. Situm corporis, vt clyſter iniectus craſſa inteſtina penetrare poſſit, certum requiri.

STEPHANI WESZPREMI, V. Cl. obſeruationes de totali vaginae vterinae procidentia cum eius inverſio-

verſione. De aſparagi aphrodiſiaca virtute. De hermaphrodita, virorum ordini adſcribenda.

Tandem de arſenici ad cancrum vſu agitur.

In *altera* huius voluminis *parte*, praeter verſiones, et librorum recenſiones, quas ſtudio omittimus, *morbi epidemici aeſtiui anno* 1778 *graſſantes* (ab ACKERMANNO, V. Cl.) deſcribuntur. Calorem in hoc anno eum longe ſuperaſſe, qui in Indiae occidentalis inſulis obſeruatur. Bilioſarum febrium, cum pleuritide et neruinis ſymptomatibus intenſiſſimis a ſumma bilis acrimonia, et vernicis colorem tenaciſſime adhaerentem exedente ortis coniunctarum hiſtoria, quae ſolo et propero vſu emeticorum debellari poterant. Interdum et vniuerſalis rigor aegros ſtatim occupabat, necabatque. De medicinis ad hanc febrem emeticis, purgantibus, antiphlogiſticis. Nigrum ſinapi ad ſinapiſmos albo praeſtare.

p. 143. De modis curandi ſingularibus Ill. editor plura exempla ſcriptaque adfert.

Cadauerum inciſiones et morborum in hominibus et animalibus obſeruationes ſeptem, auctore RÜLING, V. Cl. Mors ſubita ex ſanguine in pectore effuſo. Caſus viri in aqua ſuffocati. Fractura oſſis frontalis et temporalis ſanguinisque ſub cranio effuſio abſoluti lethalis. Puellae atrophicae extiſpicia. Meſenterium obſtructum, nodoſum et induratum erat. Fractura quinque coſtarum verarum, eamque excipiens ſanguinis in pectore effuſio lethalis.

Ill. Editor, an HIER. CARDANVS circa muſculorum irritabilitatem experimenta inſtituerit, et an BERGERVS iam ante HALLERI tempora docuerit, ſanguinem ad cor redeuntem illud ad contractionem irritare, rependit.

Tertia pars obſeruationes de arnicae floribus (auctore ACKERMANNO) continet. Num arnica aliſmatis

tis et Damaſonii nomine veteribus cognita fuerit. De loco plantae natali. Plauenſem omnibus praeferendam eſſe. De colligenda planta, et de plantae viribus. Vires arnicae ad neruorum morbos, inprimis ad amauroſin et ad plicam Polonicam. De arnicae viribus in cachecticis morbis, vulneribus, contuſionibus, et ſanguinis ſtaſibus inflammatoriis. De vſu florum externo, ptarmico. Hos flores in nares ingeſtos ſternutationem vehementem et viſus imbecillitatem producere.

Epiſtolae in Quintum Serenum Samonicum. (eodem V. Cl. auctore) De vita, variis codd. Mſ. editionibus poetae, variis eius lectionibus, optimisque lectionibus reſtituendis plura occurrunt.

De animi pathematum, inprimis terroris effectibus obſeruationes practicae, auctore St. I. A. ALBRECHT. Elegans eſt et cum multo ingenii acumine conſcripta tractatio, quae tota legi relegique meretur. De timoris, terroris moerorisque in morbis effectibus. Conuulſiones intenſiſſimas a terrore vehementi productas et tertiana febre ſanatas, poſtea vero redeuntes aquis Pyrmontanis penitus profligatas eſſe, Cl. Auctor ex exemplis probat. De aliis morbis, inprimis ſcirrhis a terrore productis.

Continuationem cadauerum inciſionum et de morbis obſeruationum RÜLING, V. Cl. exhibet. Prima alteraque inciſio in bobus facta eſt, contagioſo quodam morbo necatis. p. 253.

Enarratio morbi, quo Auguſtiſſimus Romanorum Imperator CAROLVS *VI. e vita ceſſit, mane, die* 20 *Octobr.* 1740. *abſoluto* 50 *aetatis anno.* Hepatites fuit lethalis, (aut potius, ob febris abſentiam, morbi nigri haec ſpecies, vbi bilis color in atrum mutatus eſt, ſanguine ad eum nihil contribuente). p. 269.

De Guaiaco, variisque ex eo compoſitis medicinis.

Quarta

Quarta parte medicis hiſtoria morbi ſingularis a WICHMANNO, V. Cl. proponitur, extricanda.

p. 299. *Vrinae cum ſedimento coeruleo hiſtoria*, auctore WESTENDORFIO, V. Cl. Morbus mania erat in arthritidem tandem deſinens.

p. 309. Additamenta ad MOEHSEN, V. Ill. ſyllogen tabularum aeri et ligno inciſarum, in quibus medicorum imagines exhibentur, ab Illuſtri editore copioſiſſima ſunt et diligentiſſime elaborata, ſat copioſa etiam ſylloge imaginum eſt a G. P. LEHR conſcripta.

Hiſtoria morbi poſt rabidi canis morſum exorti. Aquae metus mortiferus fuit.

Varia de BOERHAAVII meritis, dedicationibus, de chirurgiae curtorum TAGLIACOTII editionibus de libri, ſyruporum ratio inſcripti, vero auctore et de aſphalti oleo Ill. editor inſeruit.

Quinta pars ſequentia continet. Quaeſtiones aegroti cuiusdam ad Ill. editorem, de vermibus amphibiisque in corpore humano. Reſponſio doctiſſima Ill. editoris plurima amphibiorum in corpore humano exempla ex auctoribus allegata continet.

De plethora ad vteri haemorrhagias conferente, de cauſis et medicinis ad hanc haemorrhagiam. Prolixa diſſertatio.

p. 443. *De viola Ipecacuanha*, ex celebratiſſima LINNEI diſſertatione.

De amygdalis, et oleo amararum aethereo ex Cl. DARIES epiſtola *).

p. 457. Epitome litterarum GLADBACHII, ad TREWIVM 1734. de inoculatione variolarum datarum. Damnatur inoculatio, recens eo tempore in Germania inuentum.

De guaiaci vſu Ill. editor pauca quaedam dictis iam adiecit.

Sexta

*) vid. comm. noſtr. Vol. XXII. p. 358.

Sexta pars BVCHHOLZII, V. Cl. obſeruatio-
nem de hydrocephalo interno continet, addita ſi-
mul eorum, quae in cadauere inuenta ſunt, hiſto-
ria. Aquae in ventriculis cerebri anterioribus vn-
ciae duae inueniebantur.

WAGLERI, V. quondam Ill. *annotationes de mu-*
ſculo vteri orbiculari Ruyſchiano. Eum ſubinde, non
autem in loco, cui placenta adhaeſerat, obſeruaſſe
B. vir aſſerit.

Nunc varia anonymi auctoris ſequuntur de cu- p. 492.
ratione dolorum capitis ſymptomaticorum, per vi-
trioli naphtham cum laudano liquido remixtam ten-
tanda; de ſudore colliquatiuo roborantibus et aci-
dis mineralibus ferratis ſanato; num ex inſultuum
febrium intermittentium mutationibus bonum au-
gurium formari queat; de ſublimato mercurio, aliis-
que praeparatis mercurialibus ſaliuationem nullam
concitantibus; de camphorae quadam vegetatione;
de ſanguinis poſt dentes extractos profluuio cohi-
bendo, et de camphorae virtute, num refrigerans
aut exaeſtuans ſit.

In PERCIVAL, V. Cl. probationem, acidis ſan- p. 508.
guinem ſolui, vberius differitur. (Hoc tantum de
vegetabilibus acidis, de mineralibus nullo modo
valet. Lactis ſerum acidum acetumque diu in
vſum vocatum febres putridas produxiſſe iam HAL-
LERVS obſeruauit.)

De TAGLIACOTII chirurgiae editionibus EHR-
MANNI V. Cl. ad Editorem litterae.

De compilationum et realium indicum vtilita-
te anonymus auctor prolixe et egregie differit.

De chartis phyſiographicis, calendariis littera- p. 539.
riis, caet.

In fine huius partis conſultatio medicorum quo-
rundam Pariſienſium ſat lepide deſcripta eſt.

In

Vol. II. In altero eiusdem operis volumine, VI. solitas partes complectente sequentia, continentur:

p. 1. TAVBE, V. Cl. *dysenteriae autumno* 1779 *in Cellensi regione grassantis descriptio historiaque.* Morbus a diligenti et perspicaci obseruatore bene traditus est. Altera grassantis dysenteriae species biliosa, haud valde, si rite tractaretur, periculosa, altera vero putrida, maligna, et maxime lethifera fuit.

p. 20. *Sylloge scriptorum* a CAMPER, V. Ill. editorum.

Additamenta ad HALLERI *bibliothecam botanicam*, auctore BLVMENBACH, V. Cl.

De electricitate et noua pulmonum docimasia, librae ope instituenda, auctore DANIEL V. Cl.

p. 48. *Litterae* SWIETENII ad ANT. DE HAEN, de rixis inprimis, quas cum STOERKIO mouit.

De nouo HAARTMANNI *morborum systemate.*

p. 96. Morbum, quem WICHMANNVS, V. Cl. antea medicis proposuerat, ELSNERVS, V. Cl. anginam pectoralem fuisse putat.

AFZELII de acido formicarum dissertatio, in germanicam linguam translata a WEIGELIO.

p. 130. De cerebri hydrope, in quo longitudinalis sinus inflammatus erat, BVCHHOLZIVS, V. Cl. prolixe et hoc modo differit, vt obscurus latensque hic morbus multum illustretur. De dolore capitis in occipitis regione vehementi, amaro in ore sapore soporeque aeger conquerebatur. Pulsus non mutatus erat. Conuulsionibus postea obortis et paralysi debilitas aucta aegerque mortuus est. Aqua in cerebri ventriculis collecta fuit.

p. 141. De rhei martiati praeparatione, virtutibus et vsu ACKERMANNVS, V. Cl. differit. Casu quodam rheo in ferreo mortario trito acetum adfusum, indeque rheum ferreis particulis copiosis impraegnatum exortum est, vires aperitiuas simulque tonicas possidens, et ad cachecticos morbos, atrophiam,

phiam, ſanguinis ex vtero profuſionem, caet. inprimis vtile. De connubiis et doſibus rhei huius martiati.

De his, quae Gallis circa rem litterariam medicam Germanorum nota ſunt, exempla ſatis facetа adferuntur.

De peſte in Ruſſorum contra Turcas expeditione bellica obſeruata KLINT, V. Cl. diſſerit. Cl. Auctor 10000 aegros hoc morbo laborantes viderat, tractaueratque, et ex his obſeruationibus haec doctiſſima diſſertatio orta eſt. Contactu inprimis immediato peſtem in alios propagari, medicosque immunes a morbo manere, dum modo contactum aegrorum immediatum caueant; ſaepius tamen peregrinos et ſanos aduenas a peſte tentari. Veram peſtem eos tantum inuaſiſſe, qui eam immediato contactu hominum aut rerum peſte infectarum contraxerant; hos vero, quibus peſtis ſeminia alio modo communicata erant, et alio, hocque modo laboraſſe, vt diriſſimus quidem eorum morbus fuerit, peſtis autem nomine inſigniri non potuerit. Symptomata, prognoſis, curatio peſtis. p. 193.

Litterae ab ALBERTO AB HALLER *ad* SWIETENIVM, et ab hoc retro datae.

Nunc varia ſequuntur a WEIKARDO, V. Ill. docte vt ſolet, conſcripta. Qua ratione vermes ex tenellis infantibus expelli queant. De arena in lotio a matre foetui ſuo communicata. De medicinis quibusdam ad cutaneos morbos inprimis efficacibus, et de lacertis aluo excretis.

Quid Anglis circa rem litterariam medicam Germanorum notum ſit, ex exemplis Ill. editor probat. p. 224.

Hiſtoria eorum, quae in cadauere Adami Friderici, Epiſcopi Bambergenſis, peripneumonia putrida demortui inuenta ſunt.

p. 248. Varia *pathologico-practica* et litteraria anonymus auctor (BÜCKING, V. Cl.) exhibet. Meloen Maialem ingentem ad vrinam emittendam ſtimulum excitaſſe. De gangraena ſananda, et de ſicca gangraena. De conuulſionibus infanti ex ceruſſae vſu ſuperuenientibus. De medicamentis quibusdam antiquis, hodie pro nouis habitis. Morborum variorum, veſicae vrinariae punctura, et epulidis reſciſſae hiſtoria.

Morborum autumno 1779 et vere 1780 hiſtoriam (ACKERMANNVS, V. Cl.) exponit. De haemoptyſi, inprimis ab obſtructionibus viſcerum abdominalium, eaque ſananda. Herniae incarceratae, cum aliis ſymptomatibus coniunctae, hiſtoria. De catarrhalibus febribus, bilioſis alui profluuiis, caet. Tandem hiſtoria ſpaſmi maxillae inferioris lethalis ex leuiſſima laeſione regionis ſupraorbitalis exorti proponitur.

p. 300. FR. DE WASSERBERG examen chemicum oui in germanicam linguam translatum.

De progreſſibus venereorum morborum cohibendis Ill. editor praeclare diſſerit.

De inteſtinali quodam vlcere ſanato. Vlcere ſponte paene in vmbilici regione aperto, ingens puris et vermium corruptorum copia emanabat.

p. 355. *De Stahliana luem bouinam curandi methodo.*

De eſſentia dulci, aut auri tinctura Halenſi, auctore KLEINFELD. Eam ex ſacchari quadam tinctura parari.

p. 401. *De noua Quinti Sereni Samonici* editione adornanda anonymus auctor (ACKERMANNVS) diſſerit, ſimulque nouae ſuae editionis ſpecimen addit.

De arſenici vſu interno quaedam ACKERMANNVS tradidit. Eum a chirurgis quibusdam doſi ingenti adhiberi ad melancholiam, aliosque morbos rebelles ſanandos. De arſenici ad febres intermit-

mittentes vſu. Chirurgos, quos allegat, malos ab eo effectus haud obſeruaſſe. Inciſiones cuniculorum arſenico deuorato necatorum.

Vita Pauli S GRAEUWEN, Profeſſoris medici Groeningenſis, auctore BALDINGERO.

Supplementa ad MOEHSENII *V. Ill. ſyllogen imaginum medicorum illuſtrium*, auctore CROPP, V. Cl.

Morbi cuiusdam et extiſpiciorum poſt mortem hiſtoria (auctore HELD, V. Cl. medico Gerano doctiſſimo). Tumores in abdomine praeternaturales mira et paene nullo modo explicanda ſymptomata produxerant.

Morbi iam ſupra deſcripti medicisque a WICHMANNO, V. Cl. ad enucleationem propoſiti hiſtoria vlterior, cadauerisque extiſpicia traduntur. Morbi cauſa in cordis polypo ſita fuit. p. 500.

De infantibus recenter in lucem editis tractandis ACKERMANNVS, V. Cl. diſſerit. Ad variolas arcendas nil iuuare, ſi ſanguis ex funiculo vmbilicali, ante deligationem eius exprimitur. Cauendum eſſe, ne infantes ſtatim poſt partum lucis ſplendori exponantur. De balneis, et corporis cura, inprimis quoad formationem capitis et articulorum. De faſciis infantum et thoracibus ex laneo impili parandis. De capitis inuolucris, et ſpinae dorſi cura. Quinam victus infantibus maxime conueniat. Tandem de morbis infantum quibusdam agitur.

De aquae frigidae in catarrhalibus morbis, abdominali hydrope, pedum tumore KOOLHAASIVS, V. Cl. diſſerit, de violarum ſyrupo autem melius parando MERKIVS V. Cl.

Litterae CRELLII, V. Cl. ad Editorem datae, obſeruationes quasdam practicas continentes. De ricini oleo in colica ſaturnina et iliaca paſſione bono laxante. Vol. III. p. 1.

laxante. De dulcamarae in chronico rheumatiſmo vſu (de qua nos in omnibus aegris, quibus data eſt, parum leuaminis obſeruauimus). De opii cum acidis connubiis, arnicae florum vſu, frigidaque eorum infuſione praeferenda. Morbi ex febribus per vitrioli acidum turbatis.

p. 13. *Varia* BÜCKING, V. Cl. inſeruit. Menſtruo fluxu ſuppreſſo epilepſia cum variis ſymptomatibus oborta eſt. Vermes minuti per vrinam excreti ſunt. De albido martis vitriolo, ſalina quadam vegetatione. Mortis recepta definitio, num quadret? De pulſu per notas muſicas deſcribendo. De paronychia.

Non omnes formulas in GAVBII *libro occurrentes bonas eſſe*, Ill. editor probat.

Litterae medici cuiusdam peregrinantis a d. 29 Sept. 1780. De Academiae Lugduno-Batauae malo ſtatu. In orbe terrarum academiam Montispelienſi peiorem non dari.

CORN. CELSI *ex recenſ.* LEONH. TARGAE, *Patauii* 1769. *editi cenſura*. De CELSI codd. editionibus, caet.

Ad hiſtoriam quorundam medicamentorum hodie
p. 65. *adhiberi frequenter ſolitorum*, Ill. editore auctore. De Sabadillae ſemine, chinae chinae anima, caet.

De Suillo farcimine Gottingenſi, Ill. editore auctore. Bonitatem a frumento leuiter trito a ſuibus deuorato pendere, minutamque ex eo tempore fuiſſe, ex quo ſolanum tuberoſum inualuerit.

De libro WYERI GVIL. MVYS de fabrica muſculorum.

De morbo quodam epidemico *in Ruſſia frequen-*
p. 73. *ti et ſaepe lethifero*, auctore Cl. DU ROI. Cutis colorem in corporis quodam loco mutari et pruritum hoc in loco excitari. Inde ſummam anxietatem,

tem, mortemque oriri. Sanationem morbi in eo positam esse, vt corporis pars, in qua cutis mutata est, sale ammoniaco et nicotianae foliis impositis tractetur.

Sylloge quaestionum quodlibeticarum Parisinarum, Editore V. Ill. auctore.

VOGELII cogitationes de aqua suffocatorum tractatione rite instituenda. Bene et copiose elaborata tractatio est, in qua omnia paene consilia hoc modo suffocatis data expensa sunt. p. 97.

De singulari humeri tumore, ex fractura orto. Figura adiecta est.

De amborum pedum amputatione. Frigoris vis pedes tam vehementer in insano corripuerat, vt gangraena amputationem necessariam redderet. p. 129.

De primis figuris anatomicis ligno incisis, auctore BLVMENBACH, V. Cl. Sceleton primum in libro: *ortus sanitatis* 1490 in figura ligno incisa exhibitum esse, antiquissimas autem figuras splanchnologicas in *Kethami* fasciculo medicinae occurrere. p. 135.

Varias observationes iterum exhibet doctiss. BÜCKING. De corporibus praeternaturalibus in corpore diu delitescentibus. Historia curationis capitis vulneris cuiusdam, maxime memorabilis.

De balneorum ex aqua, in qua ferrum in grana redigitur, insigni vsu LENTIN, V. Cl. differit. Virtutes huius aquae pendere a ferro in aere inflammabili soluto, aquae admixto. Balnea ex hac aqua in paralysi post apoplexiam, diuturna paralysi, articulorum diuturna debilitate, articulorum post arthritidem debilitate, scrophulis, puris in sanguine generatione, etc. insigni quodam modo valere, Cl. Auctor ex exemplis plurimis, quae fuse recensentur, probat. p. 193.

KOOLHAASII *observationes de aquae frigidae externe adhibitae ad varios morbos vsu continuatae*. Exempla p. 215.

empla adferuntur, quibus demonſtratur, aquam frigidam ad febres inflammatorias, variolas malignas, etc. valuiſſe.

Variae obſeruationes, auctore doctiſſ. BÜCKING. De cerebri laeſionibus, ſuppurationibus. Vlceris, ſ. carbunculi male exulcerati, ſeu mali mortui in regione lumbari hiſtoria.

p. 245. *Caſus vteri in partus doloribus* rupti.

Mammae vaſti tumoris hiſtoriam litterae MEYERI, V. Cl. ad editorem datae exhibent. Malum a laeſione externa ortum erat.

Nigri morbi hiſtoriam in puerpera exorti ZELLERVS, V. Cl. exhibet. (Nos ſimilem omni modo morbum poſt abortum obſeruauimus maxime periculoſum, hoc tamen modo, vt aegra, ſana nunc, ſeruaretur).

p. 274. *Quaeſtionum quodlibeticarum Pariſinarum ſylloge continuata* ab Ill. editore.

p. 289. BERGMANNI, V. Ill. *de terra ſilicea diſſert.* in germanicam linguam a WEIGELIO, V. Cl. verſa.

De crinonum infantili morbo, auctore ACKERMANNO, V. Cl. Crinones materiam perſpirabilem induratam eſſe. De optima huic morbo medendi methodo, balnei calidi ex aqua fecum et mellis ope.

p. 333. *De diro quodam luis venereae* contagio (eodem Cl. V. auctore).

Morbi conuulſiui, hyoſcyami extracto perſanati, hiſtoria.

Cicutae herbam in puluere cum melle datam plus valere, quam ipſum cicutae extractum, *Ill. editor* probat.

Ad medicinam ſacram et miraculoſam quaedam, ab Ill. editore.

De Rheo, quod Gothae colitur.

Litte-

Litteraria varia de libris anatomicis antiquis, qui in bibliotheca Ill. edit. asseruantur. p. 357.

Librorum epidemiam putridam annor. 1771 et 1772. pertractantium Sylloge, BALDINGERO, V. Ill. auctore.

Cadaueris incisio viri post capitis vulnus ipsi illatum demortui, auctore MEIERO, V. Cl. Intra calvariam duramque matrem sanguis extrauasatus, oesophagus in cardiae regione a ventriculo vi separatus, et ileum ieiunumque intestinum inter se suscepta erant. p. 385.

Variolarum insitio defensa a VOGELIO, V. Cl. Inprimis de modo variolas inserendi agitur. Historiae quaedam additae sunt.

De medicae rei Edinburgensis statu, et de institutis medicis Edinburgensibus.

Variolarum feliciter insitarum historiae continuatae, auctore VOGELIO, V. Cl. p. 481.

De maniaca quadam iudicium medicum *physici* cuiusdam in libera quadam Imperii ciuitate *primarii*. Sat lepidum certe. p. 523.

Morbi historia, a praeternaturali, vt videtur, viscerum thoracis statu exorti.

De tabulis meteorologicis recte instruendis. Talis tabula ad normam addita est.

Volumen quartum sequentia continet: Vol.

MEIERI, V. Cl. *de capitis hydrope, cerebelli scirrho, et elastico aere in sanguine contento obseruationes.* IV.

Conceptionis in ouario sinistro, ex qua morbus lethiferus exortus est, historia, a GMELINO, V. Cl. conscripta. p. 17.

De his, quae recenter ex vegetabili regno in materia alimentaria, medica, et naturali historia inuenta sunt, auctore Cl. DU ROI. p. 29.

Varia, anonymo auctore. Formulae medicae quaedam satis malae indoctaeque. Tales frequenter

in toto opere ſubinde lepidiſſimas inſeri curauit Ill. Editor. De fortibus purgantium doſibus, ſplenis dolore in curſoribus. Num medico medicamentorum agendi vim noſſe conueniat?

p. 86. *De* VESALII in Zacyntho inſula *epitaphio.*

p. 100. *De* DANOVII (profeſſoris quondam Theologiae in Ienenſi Acad. primarii) *morte.* Se ipſum doctus, quum diu ex hypochondriis laboraſſet, in aqua ſuffocauerat.

Vulneris in ſiniſtro cordis ventriculo poſt quartum diem lethalis hiſtoria, MEIERO V. Cl. auctore.

Eiusd. *de moſchi in ſpaſmis ope.* Se hanc medicinam inſigni cum vſu ſubinde adhibuiſſe.

p. 117. *Obſeruationes* quasdam SAVR, V. Cl. exhibet, de ſingulari quadam diplopia, poſt vim capiti externe illatam, extiſpiciorum adiecta hiſtoria; de contraſiſſura notabili et neceſſarie lethali poſt caſum ab alto.

KOOLHAASII, V. Cl. *continuatio obſeruatorum* de aquae frigidae externo vſu in febre acuta cum purpura rubra.

p. 127. *Hiſtoria inflammationis cruris dextri pedisque, cum vlceribus, veſicis aqua repletis et abſceſſibus, varioloſis ſimilibus.*

Morbus a *Culicis pipientis* L. morſu obortus fuit.

p. 147. *De vlceribus externis et craſſorum morbo* auctore WEIKARDO, V. Ill.

Epiſcopi Fuldenſis morbus enarratur, eiusque curatio.

VOGELII, V. Cl. *de his, qui aqua ſuffocati ſunt, vitae reſtituendis.* Adminicula quaedam in priori tractatione omiſſa recenſentur.

Iudicium medicum de quodam mente capto, MEIERO auctore.

In-

Inſitarum feliciter variolarum hiſtoriae a VOGE- p. 225.
LIO recenſentur.

Varias iterum *obſeruationes* BÜCKING, V. Cl. exhibet. De veſicae vrinariae quadam a vi externa laeſione. De idiopathicis alui profluuiis vehementibus.

De catarrhali epidemia 1782. de apoplexia, paralyſi, caet. WEIKARDVS quaedam differit.

De vino in S. coena caute diſpenſando. Cautum inprimis communis calicis vſum eſſe debere, ob variorum morborum contagium et hoc modo in alios propagatum.

Ad biblicam et medicam daemonologiam quaedam, p. 248.
ex *Garioponto*.

Anonymi cuiusdam *auctoris variae obſeruationes* in oxymellis ſquillitici, terrae Iaponicae, arnicae, camphorae, opii, aquae phagadenicae, caet. vſum.

Litterae ad ERHARDVM, botanicum, SCHEELE, V. Cl. de aeris factitii quibusdam generibus, ſacchari acido, acido ſpathi, et HAGEMANNI, de acido ſalis dephlogiſticato, et de martis quadam tinctura.

De pharmacopoliis recte inſtituendis inſtruendis, et de pharmacopolarum laboribus moderandis ERHARDVS differit.

Eiusdem *obſeruationes pharmacologicae.* Gy- p. 310.
pſum ſubinde magneſiae ſubſtitui. De aliis magneſiae ſuſpectis ſpeciebus. De ranunculi ficariae foliis cochleariae herbae ſubſtitutis. De vuae vrſinae herba, aliisque, quae facile ei ſubſtituuntur. (Nos nuper quum vuae vrſinae herbam praeſcriberemus, *brancae vrſinae* herbam ex officina pharmaceutica accepimus.) Tartari cryſtallos cuprum fere omnes continere, idemque et omnibus paene extractis amaris ineſſe. De tartari foliata terra,

omnibus aliis mediis ſalibus praeferenda. De deſpumato melle ex officinis exterminando.

Botanica quaedam, eodem Cl. V. auctore.

Febris intermittens gratiolae officinalis vſu ſanata. Sedentariam vitam paucumque potum ad calculum viarum vrinariarum diſponere.

p. 345. Hydropis diureticis medicinis ſanati caſus, FVCHS, M. D. auctore.

Obſeruata quaedam medica ACKERMANNVS exhibet, de irritantium clyſterum (ex terebinthina, vrina et ſale ammoniaco compoſitorum) in hydrope inſigni vſu. De calidiſſimis medicinis phthiſicae propinatis.

Numerus eorum, qui ab anno 1772 vſque ad ann. 1781. Gottingae litteris, inprimis autem medicinae, ſtuduerunt.

p. 386. *Catarrhalem epidemiam anno* 1782 *in tota fere Europa graſſantem* ACKERMANNVS, V. Cl. deſcribit. Primum tempeſtas deſcribitur, tabulis meteorologicis etiam ad finem tractationis additis. Quosnam morbos tempeſtas primis quatuor menſibus anni 1782. hominibus intulerit. Febres remittentes bilioſae frequentes fuerunt; plurimae inprimis puerperae aegrotarunt. Febris catarrhalis epidemicae formae variae, pleuroperipneumonia, catarrhalis febris ſtricte ſic dicta, aſthma conuulſivum, catarrhalis febris, cum colluuie bilis in primis viis. Phthiſicos inprimis epidemiam affeciſſe. De medendi methodo.

Varias ſuas *obſeruationes medicas* idem Cl. vir continuauit. De periculo ex ſanatis antiquis crurum vlceribus. Talia vlcera aut e partium debilitate, aut ab humorum acrimonia (ſaepiſſime a viſcerum obſtructionibus et atrabiliaria materia) oriri; eaque tantum ſine metu ſanari poſſe, quae ex partium debilitate orta ſunt, hoc tamen modo, vt materiae,

teriae, quae ex vlcere effluxerat, ſemper alius exitus paretur. Morborum, pectoris hydropis et apoplexiae a talibus vlceribus ſanatis, hiſtoriae.

De effluuiis exhalationibusque corporis humani male olentibus, BÜCKING, V. Cl. auctore. De oris inprimis foetore, aliisque malis hominum odoribus. p. 425.

In medicamentorum formulas adnotationes vtiliſſimae doctiſſimaeque, auctore Ill. BALDINGERO. Hae inprimis a quouis medico legendae relegendaeque ſunt, ne in his deficiat.

De Geo vrbano, eodem V. Ill. auctore.

SOLANDRI *vita*, FORSTERO, V. Ill. auctore. p. 473.

Morborum quorundam hiſtoriae, MEIERO, V. Cl. auctore. Epilepſiae in grauida mortem inferentis hiſtoria. De ganglio praegrandi; de ingenti tumore in genu infantis, domeſtica medicina ſanato. (Lini ſtupa erat.) De venenatis fungorum, mytulorumque effectibus, veſicali hydrope, vlceribus praegreſſa inflammatione exortis, calculi per vreterem in vrinae veſicam deſcendentis ſanatione, de capite a trunco foetus, durante partu, auulſo; lethali poſt aromatum ad febrem intermittentem profligandam vſum epilepſia; febre maligna cum purpura bulloſa; podagra in virgine iuniore; cardialgia poſt caſeum Batauum copioſe ingeſtum. p. 481.

De rerum medicinalium pretiis, Ill. BALDINGERO auctore, et de pluribus ex catalogo mercium medicinalium exturbandis. p. 515.

De officinis pharmaceuticis viſitandis, MOENCH, V. Cl. auctore.

Quaenam experimenta cum mediis ſalibus inſtituenda viſitantibus ſint.

Morbi ſingularis hiſtoria, auctore WOELTGE, V. Cl. Hydatides in inteſtinis erant, cum aſcaridibus p. 560.

Ex

Ex litteris variis varia, lectu vtilia, finem huic volumini faciunt.

Vol. V. Volumen quintum sequentia continet:

De caudis physiognomica quaedam, cum tabulis ligno incisis. Satyra est in eos, qui omnia ex capite hominis cognoscere cupiunt.

Varias obseruationes BÜCKING, V. Cl. iterum exhibet, de vesicae vrinariae vulnere, intestino colo rupto, hernia quadam exulcerata, phlyctaenis. Smaltam Saxonicam in lotricibus herpetem produxisse.

p. 35. *De febre miliari* EBERH. GMELINVS, V. doctiss. ex obseruationibus plurimis doctissime agit. De morbo miliari simpliciſſimo, eiusque periodis, de medendi methodo. Multa denique theoretica subnexa sunt, in quibus adseritur, primas origines febris miliaris in aeris ventilatione impedita latere, miliaremque adeo materiam miasma sui generis haud constituere.

p. 90. De his, quae in cadauere CAROLI XI. Sueciae regis, post mortem obseruata sunt.

De dispensatoriis pharmaceuticis recte instruendis, MEIERO, V. Cl. auctore.

De variolarum inoculatione experientiae singulares. Variolarum naturalium post inoculationem exanthematibus varioloſis tamen non efflorescentibus tentatam, historiam exhibent.

p. 113. *De vulnerum lethalitate* METZGERI, V. Cl. tractatio. Quid sint vulnera absolute, per se et per accidens lethalia; eamque vulnerum diuisionem forensem satis firmo talo insistere.

p. 131. *Formularum medicarum male praescriptarum* exempla plura Ill. editor proponit.

Varia ex litteris sat digna notatu traduntur.

De medicinis ad vermes Ill. BALDINGER breviter disserit, inprimis de filicis radice. (Nobis haec medicina ad taeniam haud saepe succeſſit).

Ad

Ad hiſtoriam ſcriptorum de cortice Peruuiano, Ill. BALDINGERO auctore.

Hiſtoria litteraria ſcriptorum praecipuorum de conio maculato agentium, eodem auctore.

CARPIO, 150 *annorum ſenex.*

Numeroſi partus hiſtoria a IAEGERO, V. Cl. editori perſcripta.

Botanica varia ERHARDVS, V. Cl. iterum exhibet, plantasque nouas, *Moenchiam Honckeniamque* deſcribit. p. 193.

Argumentum diſſertationis GVIL. HARRISON, *de lue venerea*, Edinb. 1783. in qua ex obſeruatis probatur, gonorrhoeam vere venereae indolis eſſe.

Ex litteris ad Ill. editorem datis plura notatu maxime digna perſcribuntur, inprimis morbi maxime miri rarique hiſtoria, quo medicus quidam inſignis laborat.

Varia ſua iterum exhibet doctiſſ. BÜCKING. Ad ACKERMANNI, V. Cl. tractationem, de vlceribus crurum antiquis caute ſanandis. Quomodo talia vlcera ſanare expediat. De arcendis talibus vlceribus. Sudoris pinguedinoſi hiſtoria. Sebum verum e poris prodibat.

Ad *Influenzae* hiſtoriam. Morbum ex America occidentali prodiiſſe, ASCH V. Ill. tradit.

Naphtarum hactenus detectarum hiſtoria, auctore Ill. BALDINGERO. p. 264.

De Iuriſconſultis infanticidis. Eos in eo vehementer peccare, quod foetum ante certum tempus vitalem eſſe non putent.

Librorum, in quibus muſea rerumque naturalium collectiones variae deſcribuntur, catalogus. Varia alia.

De febre miliari tractatio Cl. ACKERMANNI, obſeruationes ad GMELINI tractationem continens. De ſimplici febre miliari. Homines irritabiles, cute tenera praeditos, illi frequentiſſime obnoxios p. 289.

noxios esse. Subinde et hanc febrem epidemice grassari, hoc tamen semper modo, vt pauci corripiantur. Morbi materiem diu subinde, antequam erumpat, in corpore delitescere. De capitis, pectoris aliisque symptomatibus, miliarium exanthematum prodromis. Putredo num solus febris miliaris effectus sit. De febris miliaris complicationibus, cum pectoris inflammatione, caet. cum febre putrida tunc demum inualescente, vbi exanthemata iam eruperunt. Historia febris miliaris talis, inprimis quoad purulentam exanthematum formam, singularis. De febris miliaris complicatione cum puerperio. Varia ex morborum historiis desumta corollaria traduntur, et tandem medendi methodus exponitur. Arcani duplicati in inflammatoria febris miliaris periodo laudes. Vesicatoria quem in finem applicanda sint. Mineralia acida ad miliarem febrem non valde valere.

p. 322.

Varia sua iterum exhibet Cl. BÜCKING. De scabie sananda, et de methodo Ill. SCHMVCKERI ad eam (cuius omni plane modo exoptatos successus nos saepius, ex eo tempore, quo haec methodus innotuit, obseruauimus).

p. 385.

Varia sua continuat doctiss. BÜCKING. De medicinis ad scabiem, paene omnibus cognitis, earumque censura.

p. 447.

Historia mulieris, cui plures acus e cute, cultri ope exscindebantur.

Obseruatio de vermibus in mamma generatis, ex veteri diario perscripta a Cl. WEBER.

Formulae medicamentorum incongruae.

XX.

IOHANN VLRICH BILGVER, *Verſuche und Erfahrungen über die Faulfieber und Ruhren, dem häufigen Sterben bey den Armeen und in den Feldlazarethen künftighin Gränzen zu ſetzen. Berlin, bey Heſſe.* 111. *S. in gr.* 8. 1782.

i. e.

De febribus putridis et dyſenteria, deque modo horum morborum crebram lethalitatem in noſocomiis militaribus minuendi, Auctore IOANNE VLRICO BILGVER.

Putridarum febrium dyſenteriaeque in vltimo Pruſſico bello in eo inprimis exercitu, cui Rex praefuit, peſſimam multisque militibus lethalem ſtragem obſeruauit auctor Clariſſimus libroque de articulorum amputatione caute aut plane non inſtituenda celeberrimus, hocque breui quidem, ſed ob multa, quae continet, experimenta lectu digniſſimo libro methodum proprio ſuo vſu probatam exponit, hos morbos tutius curandi.

Primum de inſigni damno agit, quod putridis morbis militaribus exercitibus infertur, idque tantum fere aeſtimat, quantum ab ipſa peſte infertur, quam his febribus multo maligniorem eſſe haud putat. Dimidiam his morbis correptorum partem iis vtplurimum necari aſſerit. p. 16.

Quantum damnum hominibus veterum de his morbis theoriae vanaeque opiniones intulerint, Cl. auctor ex exemplis probat. SYDENHAMVM veram his morbis medendi methodum primum reſtauraſſe. p. 19.

De experimentis cum carnibus animalium putreſcentibus medicinisque huic putredini contrariis inſtitutis recte aeſtimandis eorumque vſu. His experi-

experimentis GVILIELMVM ALEXANDRVM modum putridos morbos facilius curandi primum inveniſſe.

p. 22. De *proxima putridarum febrium cauſa* altera ſectione Cl. auctor diſſerere pergit. Phaenomena putredinis incipientis progredientisque. Differentiae putredinis primas ſecundasque vias occupantis. Fluidas partes primario a putredine affici, eamque ab his in ſolidas partes propagari.

p. 25. Sectione III. *de remotis febrium putridarum cauſis.* Primam putredinis in viuente animali corpore praepeditae cauſam in humorum motu, alteram vero in alimentis, aliamque in aëre puro nos ambiente ſitam eſſe.

p. 31. Quibus expoſitis, aëris ad putredinem producendam vis vlterius expenditur. De calore putredinis cauſſa, deque caloris gradu, putredinis originibus maxime fauente, nec non de effectibus caloris inprimis aeſtiui in corpus animale. Quantum humor calori adiunctus ad putredinem conferat.

Quibus praemiſſis, exhalationum putridarum noxas Cl. Auctor expendit. Vegetabilium putreſcentium exhalationes innoxias eſſe, ſtercusque humanum et animale omne ob *acidam* ſuam naturam (?) putredini aduerſari, maximam autem vim ad putredinem producendam augendamque animales exhalationes habere. De motu nimio et perſpiratione ſuppreſſa (nulla tamen mutationis mentione iniecta, quam ſuppreſſa aeſtiuo tempore perſpiratio, inprimis in diſpoſito corpore, in bile producit, quam acerrimam putridamque citiſſime reddit) putredinis cauſis. Victum animalem, nullo vegetabili interpoſito, aquas ſtagnatione corruptas, alimenta ex regno vegetabili corrupta vappidaque, omniaque denique ea, quae ſanguinis circulationem minuunt, et ſolida-

rum

rum partium robur debilitant, ad putridas febres in militibus disponere.

Noua sectione *putredinis effectus in viuente corpore* describuntur, in debilitate et cohaesionis destructione solidarum, fluidarum partium a mixtione sua alienatione, motuque intestino in solidis et fluidis partibus consistentes. De his ad symptomata signaque febrium putridarum transitus est. Pathognomonicum putridi acuti morbi symptoma virium prostrationem insignem cum pulsu celeri debilique esse, (?) talemque morbum gradu caeteris intensiorem malignum vocari. p. 55.

Prognosi putridarum febrium breuiter tradita, ad *curationem febrium putridarum* transitus est, quae libri pars longe plura lectu dignissima, et eam ob causam vtilissima continet, quod experientiis in nosocomiis militaribus, quibus Cl. Auctor praefuit, crebro institutis, nitantur. p. 68.

Exposita medicamentorum putredini resistentium in corpora animalium tam mortuorum, quam viuentium, vi, et resorptionis negotio in horum remediorum effectu descripto riteque aestimato, nouam suam febribus putridis medendi methodum Cl. Auctor describit.

Ex exemplis creberrime occurrentibus scilicet didicerat, et optimis efficacissimisque adhibitis ad putredinem propellendam internis medicinis plures aegrotos succubuisse, harum frequentium mortium causas ei tribuit, quod medicinae ad putredinem vim efficacissimam habentes nimis parca quantitate per os ingeri queant, quam vt tam late vagantem inimicum ex omnibus partibus profligare possent; in praeseruandis enim animalibus contra putredinem substantiis opus omnino esse, vt vis medicamenti putredini aduersi ipsam putredinem longe superet. p. 81.

Vbi itaque ſupponas humorum in humano corpore quantitatem libras 50 aequare, hosque humores omnes putredine correptos eſſe, nullo plane fieri modo poſſe, vt huius putredinis vis medicinis internis debelletur, quum tantam medicamentorum molem corpus humanum ferre nequeat (virium tamen naturae medicatricium, a BRENDELIO, SCHROEDERO aliisque tantopere celebratarum Cl. Auctor nullum plane reſpectum habuit, corpus humanum viuens putrida febre correptum vt tale paene conſiderans, cui antiſeptica maſſa adfunditur). Neceſſarium itaque eſſe, vt praeter internum medicamentorum ad putredinem cohibendam vſum et aliae viae inueniantur, quibus efficacibus ad putredinem medicinis liber ex omni parte in intima corporis penetralia aditus dari poſſit. Eum in finem talium medicinarum ſub balnei forma externe adhibitarum vſum momenti maximi; in harum autem vſu interna medicamenta, inprimis putrida maſſa in primis viis praeſente, non negligenda eſſe. Vinum inprimis ſubauſterum, emeticis, etc. primum adhibitis, ad hanc indicationem in exercitu Regis contuliſſe.

p. 91. Interno antiſepticorum conuenientium remediorum vſu, ad putredinem efficacius in putridis febribus corrigendam diligenter obſeruato, externe ad eundem finem balnea ex medicinis putredini contrariis adhibenda eſſe, ex forti chamomillae infuſione, et decoctione corticum quernorum teneriorum ℔ IV. in quibus nitri librae duae ſolutae ſint, conſtantia. Calorem balnei, vt adſtringens illius vis minuatur, ad naturalem corporis humani calorem accedere debere, eoque iam calore ſanguinem in putridis morbis, ob praeternaturalem in modum auctum ſuum calorem, refrigerari. Harum

rum medicinarum vaporibus et aërem potentiſſime corrigi.

Aliis, quae ad communem febribus putridis medendi methodum pertinent, diſcuſſis, ad febres putridas cum efflorescentiis in cute coniunctas eandem medendi externam cum interna coniunctam methodum laudat, ab iisque ad *dyſenteriam* tranſit, p. 104. ad quam clyſteres ex corticis Peruuiani decoctione cum vino, balnea putredini aduerſa et cutis cum aceto calido lotionem laudat.

In experimentis ad finem opuſculi poſitis Cl. p. 105. Auctor narrat ſe 41 aegrotos milites, caſtrenſi febre et dyſenteria putridis laborantes, hoc modo exoptatiſſimo cum ſucceſſu ſanaſſe, vt iis in amplis conclavibus, aëri aditum omnem permittentibus, ſparſim decumbentibus internas quidem medicinas, ipecacuanham rhabarbarumque daret, quas autem quum ferre non poſſent, eos in balneum calidum ſupra deſcriptum hoc modo immitti iuberet, vt primum per horae quartam partem, poſtea vero per integram horam, matutino ſemper tempore, balneo hoc medicato vterentur. Ad lectum aegrotorum infuſio corticis Peruuiani cum aceto nitroque poſita fuit, iniectis candentibus lapidibus in copioſos vapores concitata, quos vapores, ore admoto, aegri inhalarunt. Nec corporis lotio cum aceto, nec clyſteres neglecti ſunt. De internis medicinis praeter opiatam medicinam, omni veſpertino tempore exhibitam, vix aliquid dari potuit. Succeſſus curationis hoc modo inſtitutae autem talis fuit, vt inter hos 41 aegros grauiſſime decumbentes 37. euaſerint.

XXI.

BERNHARD RAMAZZINI'S *Abhandlung von den Krankheiten der Künſtler und Handwerker, neu bearbeitet und vermehret von Dr.* IO. CHR. GOTTL. ACKERMANN. *Erſter Band. Stendal.* 1780. *in* 8. 21 *Bogen. II. Band.* 1783. 328 *Seiten, ohne Vorreden und Regiſter.*

i. e.

BERNH. RAMAZZINI tractatus de morbis artificum nouis curis recognitus auctusque additamentis a IO. CH. G. ACKERMANN. Vol. I. II.

RAMAZZINII librum de artificum morbis, paene vnicum, Cl. editor hoc modo variis additamentis illuſtrauit, vt partim ea, quae in aliorum libris circa opificum morbos obſeruata inueniret, eaque, quae ipſe circa hos morbos frequenter obſeruauerat, diligenter notaret, et in concinnum ordinem digereret, partim etiam varia, nullam lectori vtilitatem afferentia, inprimis ad varias theorias pertinentia, in RAMAZZINII libro frequenter obuia, plane omitteret. Hoc modo factum eſt, vt omnia in RAMAZZINII opere obuia capita, iis tantum exceptis, vbi de olearíorum, caſeariorum, fullonum, lotricum, piſtorum et molitorum frugum, tabacopoeorum, ſericearum placentarum carminatorum, iatraliptarum, ſulphurariorum morbis agitur, nouo editoris labore ſuisque additamentis nouam plane formam nacta fuerint.

Totum autem opus, praemiſſa introductione de cauſis morborum, quibus opifices tentari ſolent, in VIII Sectiones diuiſum eſt, quarum quaelibet artificum claſſem comprehendit, praemiſſa in fronte

te cuiuslibet ſectionis generali cauſarum, quibus haec opificum claſſis expoſita eſt, pertractatione.

Prima ſectione *ſordidorum opificum* morbi per- p. 9.
tractantur, in eaque de coriariorum morbis primum agitur. Coriarios a putredine ſubſtantiarum, quas tractant, quidem laedi, verum non vehementer, imo putridos morbos in his opificibus rariſſimos eſſe. Morbos eorum ab humore, aliisque, quae iis communicantur, acrimoniis deriuandos eſſe, coriariorum adeo opificium ob exhalationes putreſcentium ſubſtantiarum nullo paene modo nociuum eſſe, ſed ob frequentes ex eo antiſepticos vapores contra morborum putridorum imo peſtis contagium homines tueri. De interna cor- p. 23.
ticum quernorum teneriorum virtute externoque eorum vſu inprimis ad putredinem in gangraena ſenili nullo modo cohibenda exſtinguendam.

De balneorum ex laconico coriario vſu plura Cl. editor habet, eaque antiſeptica, balſamica et roborante vi haud mediocri gaudere aſſerit. Vſum eorum in articulorum infirmitate, ſcabie, etc. egregium eſſe, eoque forte et intermittentes febres, imo putridas, debellari poſſe.

Saponariariorum morbos plurimos Cl. editor eſ- p. 31.
ſe aſſerit, multumque his vaporibus et vicinos laedi.

De *fullonum* morbis caput paucis additamentis locupletatum eſt. Eorum nomine tamen et eos, qui pannos laneos craſſiores texunt, editor comprehendit.

De *lanionum* morbis, cauſſisque, quare hi homi- p. 52.
nes, quoad ſanitatem ſuam tolerabilem vitam agant. Laedi tamen et duros hos homines ab acrimonia in humoribus generata, ſolidorumque debilitate. (Laeſionum tamen variarum externarum, quibus laniones prae aliis obnoxii ſunt, editor nullam men-

tionem fecit.) De officinis lanionum animalibus mactandis dicatis earumque maxime noxiis contagiosisque subinde effluuiis. Plures etiam laniones hoc modo laedi, quod animalia aegrota, aut bouina lue correpta, mactent. De morbis etiam ex esu carnium ab animalibus morbo laborantibus agitur.

p. 61. De morbis eorum, qui mortuos curant, vespillonumque, vbi et noxae sepulturarum in templis et in aliis locis hominibus vicinis expenduntur.

Foricariorum morbi plurimi enarrantur, omissis tamen praesidiis, recenter in Gallia ad morbos ex hoc sordido labore minuendos excogitatis.

p. 81. Lotricum morbi sat fuse ab editore descripti sunt, cachectici et ab acrimonia extus in humores illata pendentes, nec non oculorum morbi, quibus saepissime expositae sunt. Quantas noxas corpori lotio linteorum materiis morbidis, inprimis contagiosis, infectorum inferat, quantumque talis lotio ad epidemicos morbos conferat.

p. 120. Pertractatis fuse obstetricum et nutricum morbis, altera sectione ad tales opifices transitus est, qui in suo labore inprimis a puluere laeduntur, quosque Cl. editor *puluerulentos opifices* appellat. Praemissis generalioribus de locis corporis humani, quae a puluere inprimis laeduntur, deque generalioribus pulueris praeternaturali modo in corpus illati effectibus ad pistorum et molitorum frugum morbos transit. Pistorum morbos a farinae puluere et calore maxime intenso paene omnes pendere, eamque ob causam et eorum morbos in magnis vrbibus, vbi plurima pars panis ad communem vsum necessarii a pistoribus parari solet, longe frequentiores esse. De amylopoeorum morbis, vbi et de acrimonia, quam amylo insitam esse RAMAZZINIVS putabat, plura occurrunt. Eam tamen acrem et rodentem vim, quam in teneriora inprimis lintea exserit,

exſerit, cobalti vitro, ſmaltae nomine ei admixto, vbi ad lintea firmanda adhibetur, Cl. editor adſcribit.

De morbis eorum, qui comas adoptiuas capillamentaque parant, in quibus, editore obſeruante, vtique irritans et exedens quaedam amyli vis conſpicua eſt. Oculos inprimis opificibus ab amylo in tenuiſſimum puluerem trito inflammari, pulmones irritari, et taeniarum generationi hoc puluere anſam praeberi. Variis etiam digitorum morbis, inprimis ſtupore quodam digitorum, cum mouendi eos difficultate hos opifices tentari. De morbis eorum, qui lapides et calcem viuam tractant, pariter ab internarum partium irritatione et eroſione pendentibus. p. 141.

Morbis eorum, qui in frugibus purgandis, et in tabaco praeparando occupati ſunt, pertractatis, (quae vero capita paucis tantum a Cl. editore additamentis locupletata ſunt) eorum morbi pertractantur, qui in ſerico praeparando carminandoque, et in lana, goſſypio, cannabi et lino carminandis praeparandisque verſantur.

Sericearum placentarum carminationis noxae ex RAMAZZINIO penitus traditae ſunt; lanae autem carminationis noxas, ab adipe veteri rancido, quo lana carminanda copioſe obducitur, et a carbonum calore pendentes editor tradidit. His opificibus pectoris morbos a frigida in pulmonibus accumulata pituita oriundos frequentiſſimos eſſe. Noxas plurimas timendas his hominibus eſſe, qui in conclauibus, in quibus lanae hoc modo carminatae magna pars aſſeruatur, noctes inprimis tranſigunt, eosque inprimis catarrhis ſuffocatiuis affici. p. 168.

Goſſypii carminationem pluribus etiam, ob puluerem maxime irritantem, qui hoc labore durante attollitur, et maxime rebellibus morbis anſam praebere, et in his morbis lippitudinem diuturnam et p. 173.

pulmonum quosdam morbos eminere. De cannabis linique in aqua maceratione maxime noxia, deque noxis harum materiarum, ſiccatione praegreſſa, carminatarum plura exempla proponuntur. Pulmonum magnorumque vaſorum in thorace contentorum morbos, maxime rebelles hoc labore inprimis produci.

Tertia ſectione *morbi ſtantium, ſedentariorum et ambulantium artificum* exponuntur, tractatione generali quadam praemiſſa, in qua de noxis, ex vno eodemque corporis ſitu diu obſeruato redundantibus, agitur.

Textorum morbi primo capite pertractantur, hoc modo, vt primum de modo agatur, quo hi opifices labores ſuos peragunt. Seſſio, inprimis antrorſum flexo corpore, pectore ad iugum pectorale firmato, maximas noxas producit. Nec ad has noxas, et vehementiſſimas, durus labor requiritur, quum et a leuiſſimo tali labore, a textura v. g. cingulorum, quibus Poloni corpus cingunt etc. morbi maxime rebelles producantur. Sufficit et in leuiſſimo tali labore corporis ſitus praeternaturalis diu conſtanterque obſeruatus, ad morbos et diriſſimos producendos. Linteorum pannorum textores a morbis textoribus ſuetis longe rarius corripi, huiusque experientiae rationem in eo poſitam eſſe, quod hi opifices, quum latiores pannos vtplurimum texant, abdomen in ipſo labore ſuo frequenter moueant, corporisque ſitum aliquo ſaltim modo mutent.

De pectoris horum opificum morbis, pituitae decubitu, aſthmate, iisque creberrima haemoptyſi, partim a pectoris ad iugum firmatione, partim et a ſuccuſſione ſat in texendis pannis denſioribus vehementi pendentibus. (ad hos et laborum genus, quo brachia exercentur, multum confert) De

pedum

pedum frigidis tumoribus, quibus mulieres huic operi incumbentes frequentius tentantur, ſcabie, his opificibus frequentibus. Plures iis etiam morbos eſſe a laeuigatione denſiorum pannorum, quae pumicis ope fit, (a glutine, quo fila obducuntur) et a farinae polenta, qua fila inprimis lintea, vt extenſionem melius ferant, obduci ſolent.

De morbis eorum, qui tibialia texunt, altero huius ſectionis capite, et primum quidem de corporis ſitu durante hoc labore obſeruato, et de partibus, quae eo maxime affici ſolent, agitur. Pectoris morbos his opificibus omnibus aliis frequentiſſimos eſſe, raroque talem opificem in labore ſuo ſtrenuum, et iuuenem dari, cuius pectus ab omni labe immune ſit. Hos morbos inprimis ad haemoptyſin et ad phthiſin pulmonalem accedere. Abdominales etiam morbos, inprimis viſcerum infimi ventris obſtructiones infarctusque, his opificibus valde frequentes eſſe, nec non oculorum laeſiones a nocturnis laboribus, et filorum, quae tractant, puluere productos. Ad has inflammationes corticem Peruuianum externe in decoctionis forma frigide impoſitum optimam medicinam eſſe. Hypochondriacum malum his opificibus frequentiſſimum eſſe, paucosque dari, operi ſuo aſſidue incumbentes, qui ad notabilem quendam ſenectutis gradum perueniant. p. 192.

De morbis eorum, qui pannos laneos magnis forficibus tondent, tertio capite agitur. Hos frequentes his opificibus morbos inprimis in vitiis magnorum vaſorum in pectore contentorum, aneuryſmatibusque conſiſtere. p. 197.

De ſutorum ſartorumque morbis, quorum corpus, ob praeternaturalem conſtantemque durante labore ſitum, vehementer laeditur. Plurimos opifices talis generis impuros humores, et occulta pe-

ctoris vitia, inprimis magnorum vaſorum aneuryſmata habere, hos tamen morbos in ſutoribus longe frequentiores eſſe, ſartores autem hypochondriaco malo et ſcabie magis affici.

p. 214. De curſorum morbis, pectorisque dilatationibus, iis frequentibus, quae et in equiſonibus iisque, qui rhedis crebro vehuntur, frequentiſſimae ſunt. De herniis equitum aliisque morbis, ac de equitationis ad morbos varios inſigni vtilitate.

De baiulorum morbis alio capite agitur, modisque, quibus hoc vitae genus corpus laedere poteſt. De leni ſubluxatione vertebrarum dorſalium, eamque ſanandi modo. De ſubitaneis morbis mortibusque, quibus baiuli frequenter ob nobilium viſcerum, aut vaſorum, ex nimio nixu ſciſſuram expoſiti ſunt.

De gladiatorum et Iudaeorum morbis capita nullis aut parcis ſaltim additamentis ab editore dilatata ſunt. Plurimos morbos Iudaeorum a ſordida, quam agunt, vita, et a ſordidis, quas tractant, rebus, proficiſci.

p. 239. Quarta ſectione, generalioribus iterum praemiſſis, de morbis opificum agitur, qui in laboribus ſuis aquae frequenter expoſiti ſunt. In his primum locum balneatores occupant, alterum piſcatores nautaeque, tertiam ſalinarii, in quo ea, quae circa ſalis cocturam FR. HOFFMANNVS ſcripſerat, diligenter notata ſunt.

De morbis a vino aut cereuiſia fermentantibus productis quarto capite agitur, nec non de morbis, quibus ii expoſiti ſunt, qui ardentes ſpiritus parant. Gas Helmontianum hoc modo necare, vt apoplexiam inducat.

p. 272. Noua ſectione, qua huic volumini finis imponitur, morbi variorum artificum pertractantur, qui ad caeteras claſſes referri haud poterant.

Primo

Primo capite de morbis eorum agitur, qui in magnis officinis, cum pluribus aliis, opificio ſuo incumbunt, peculiari tamen ad textorias tales officinas reſpectu habito. Morbos in his officinis intendi, ob frequens, quod in iis occupati cum aliis ãlunt, commercium, facilius contagioſorum morborum contagium, et vehementiores materiarum cum quibus opifices occupari ſolent, ob maiorem earum quantitatem, noxas. Eam ob cauſam cachexiam, intermittentes febres, cutaneos morbos varios, inprimis ſcabiem, morbosque ab inconſiderate retropulſa ſcabie oriundos, pluresque morbos epidemicos, exceptis tamen mere inflammatoriis, in talibus officinis frequentiſſimos eſſe.

Artificum ſubtiliſſima artificia exercentium la- p. 282.
bores altero capite expenduntur, qui quum ſedentariam vitam degant, plurimos et cum his communes morbos habent. Viſus tamen acies in his artificibus inprimis minuitur, ob viſus acutiem, quam omnes ſubtiles labores requirunt. Multum etiam oculos a ſplendore metallorum, nocturnis inprimis laboribus, laedi. De perſpicillorum ad aciem oculorum conſeruandam vario vſu. (Hypochondriaci mali et neruorum ſenſibilitatis in his artificibus paene ſummae, et ſat frequenter obuiae mentionem Cl. editor nimis parcam fecit)

De rhetorum, cantorum, tibicinum etc. morbis nouo capite agitur. Quae partes oratione, cantu, cum iisque coniuncta corporis actione, maxime laedantur, primum exponitur, poſtea vero de morbis ipſis agitur. In his primum locum herniae occupant, frequentiſſimum in his omnibus hominibus morbi genus, et monachos eam ob cauſam, aliosque frequenter corripiens. Caput qua ratione in cantoribus laedatur, pectusque, cuius viſcera in his hominibus paene omnibus inprimis laborant,

ita

ita vt plurima eorum pars ſanguinis ſputo laboret. Aneuryſmaticos praecordiorum morbos in his, qui tibiis, aliisue talibus inſtrumentis muſicis cantant, frequentiſſimos eſſe. Denique de ruricolarum agricolarumque morbis agitur.

Altero volumine morbi eorum artificum pertractantur, qui aut in metallis mineralibusque fodiendis, aut in metallis mineralibusue corporibus tractandis occupantur.

Sextam ſectionem, in hoc volumine primam, metallifoſſorum, eorumque morbi occupant, qui in mineris metallicis praeparandis liquandisque occupantur, praemiſſaque quadam introductione, in qua de originibus horum morborum, praeſidiisque valetudinis generalioribus agitur, primo capite *metallifoſſorum* morbi pertractantur.

p. 8. Primum de praeſentaneis vitae periculis, quibus in tali opere verſantes expoſiti ſunt, agitur, eaque partim in variis corporis laeſionibus ab externis cauſis, caſu, lapidum vi, etc. accidentibus, partim etiam in aëre praeternaturali, ad reſpirationem inepto, poſita ſunt. Pertractata diligenter differentia, quae inter athmoſphaericum eumque aërem intercedit, qui in fodinis metallicis naturali modo continetur, ad alias aëris ſpecies, quae ſub *vaporum mephiticorum* nomine in fodinis metallicis ſaepe euoluuntur, Noſter tranſit, modum, quo haec aëris genera necant, varium conſtituit, eoque demonſtrat arſenicalibus vaporibus vim ad has mortes valde exiguam tribuendam eſſe. Genera autem vaporum, qui ſub aëris mephitici nomine metallifoſſores frequenter necant, ex Noſtri ſententia ſequentia ſunt:

p. 15. 1) fixus aër, qui vero in naturae officina nunquam (aut raro certe) purus praeparatur, verum ſemper

per phlogiſto impraegnatus eſt, quod adeo partem conſtitutiuam huius aëris conſtituit.

2) fixus aër, cum maiori aut minori phlogiſtici aëris quantitate mixtus. Talem aërem aquas pyrmontanas fodinasque effoetas, ob variam in iis putredinem emittere.

3) fixus aër, cum inflammabili aëre remixtus. Hi vapores inter omnes frequentiſſimi ſunt, eoque modo necant, vt ignei principii excretionem per pulmones penitus impediant.

4) aër mere inflammabilis, qualis in carbonum fodinis aliisque vitae foſſorum inſidias ſtruit. Ad hunc aërem et ſulphuris vapores, etc. referri debere.

5) aër purus, atmoſphaericus, cum metallicis aut mineralibus vaporibus remixtus, ad quos inprimis mercuriales et arſenicales referendi ſunt.

In corporis ſitu, quem in hoc labore occupati durante eo ſeruant, alia morbos generans cauſa ſita eſt, aliaque in ipſo laborum, quem obſeruant, modo. Laborum inprimis, qui ſurſum erectis brachiis peraguntur, noxae intenſiſſimae expenduntur.

Tandem et plurima corpora peregrina in hoc p. 26.
labore occupati corpus petunt. Puluis metallicus mineralisque totam eius ſuperficiem ambit, externis internisque corporis partibus ſe inſinuans, varie acris, varias et acerrimas vtplurimum materias minerales continens, in quibus arſenicales, et plumbeae, mercuriales, caet. inprimis eminent. Tandem et metallifodina humore eam continuo irrorante madet, quae cauſa et plurimum ad varios ex hoc labore morbos producendos confert.

Quibus praemiſſis, ad ſpeciales metallifoſſorum morbos Noſter tranſit, in quibus morbi catarrhales varii, coryza, febres catarrhales rheumaticae, rheumatiſmi diuturni, caet. inflammatorii morbi, tales inpri-

inprimis, qui de ſanguinis accumulatione in certa quadam parte dependent, oculorum, colli inflammationes, capitis dolores, eryſipelas, cachectici morbi, pedum tumores frigidi, internorum nobiliorum viſcerum obſtructiones, atrophia, caet. inprimis eminent.

p. 47. Singulare morbi genus, quo metallifoſſores frequenter corripiuntur, *montana lues* (*die Bergſucht*) conſtituit, in quo duae ſpecies, *montanum aſthma*, et *phthiſis pulmonalis montana* diſtinguendae ſunt, quarum quaelibet ſingularem, per ſe exiſtentem morbum conſtituit, hoc tamen modo, vt phthiſis pulmonalis montana montanum aſthma ſaepe excipiat. Symptomatibus, extiſpiciis, caet. eorum expoſitis, qui aſthmate montano mortui ſunt, ad phthiſin pulmonalem montanam Auctor tranſit, cuius cauſas, ſymptomata ſtadiaque varia deſcribit.

p. 59. Altero capite hi morbi pertractantur, qui a foſſione certorum quorundam corporum mineralium minerarumque oriri ſolent. Primum de vitriolo, alumine, et ſulphure agitur, (quidam tamen morbi ex aluminis iam effoſſi praeparatione oriundi omiſſi ſunt) poſtea vero de mercurii foſſione, in ea occupatis maxime noxia, immo ſaepiſſime lethifera.

p. 64. Tertium caput eorum morbos comprehendit, qui in mineris metallicis praeparandis, liquandis, caet. occupantur, eosque frequentiores quidem metallifoſſorum morbis eſſe, verum non tam lethiferos, huiusque ſalubritatis cauſam in aëre puro, in quo hunc laborem peragentes degunt, ſitam eſſe.

Modi nunc varii metallicas mineras praeparandi exponuntur, inprimis minerarum mallei ope comminutio, et cum aqua tractatio. Poſtea ea, quae circa minerarum liquationem ſanitati inimica occurrunt, pertractantur, eorum inprimis mentione iniecta, quae ignis actione durante ſub vapo-

vaporum forma in aërem eleuantur. Calorem intenſiſſimum, cui in hoc opere occupati expoſiti ſunt, plurimum ad varia valetudinis damna producenda conferre, vapores vero, qui durante liquatione minerarum adſcendunt, ſulphureos, ex zinco conſtantes, antimoniales, arſenicales, caet. eſſe, et propria ſua vi nocere.

De ſmaltae ex cobalto praeparatione, ab eaque pendentibus morbis pluribus agitur. Hos morbos quoad origines ſuas in arſenicalibus vaporibus, qui eo labore durante, quo cobaltum in vitrum convertitur, emittuntur, in ſubtiliſſimo acutiſſimoque ſimul puluere, qui ſub ſmaltae praeparatione facile ſe in corpus hunc laborem peragentis inſinuat, et in continuo paene madore ſitos eſſe. p. 81.

De plumbi vaporibus his hominibus in omnibus paene ſuis laboribus maxime nociuis de variis modis, quibus in corpus perueniunt, deque agendi eorum modo prolixe agitur. p. 86.

In peculiaribus autem morbis a plumbi vaporibus aliisque cauſis accedentibus oriundis *ſaturnina colica* eminet, cuius ſymptomata, variae origines, extiſpicia, caet. accurate deſcribuntur. Plura etiam de modo huic morbo medendi Noſter habet. Maximos effectus a pinguibus ſubſtantiis copioſe deglutitis ad praecauendum et curandum dirum hunc morbum exſpectari poſſe, aſſerit. p. 94.

Quarto denique huius ſectionis capite *praecipui modi metallifoſſorum morbos auertendi curandique* exponuntur. Ea, quae ex improuiſo his foſſoribus accidunt, maxime timenda, vtplurimum cautione in his rebus neceſſaria adhibita, caveri poſſe, neque multos in locis, vbi plurima metalla effodiuntur, in Hercynia ſylua v. g. hoc improuiſo modo vita priuari. Aëris fodinarum p. 111.

rum cum athmoſphaerico communicationem ſemper ad cauendos diluendosque mephiticos vapores intercedere debere, nec hac communicatione omne ſemper vitae periculum auferri, quum hi vapores ſaepe ſubito in corpus ſolitarii foſſoris irrumpant. Ad excitandos eos, qui his vaporibus vitam amiſiſſe videntur, *alcali volatile fluor* Noſter inprimis laudat.

Mercuriales vero vapores a corpore arcere aut corrigere maxime arduam rem eſſe, neque pinguia, oleoſa, inuoluentia, eum in finem a variis laudata ſemper conducere, quum hominibus mercurii foſſioni operum dantibus, ob vniuerſalem partium ſolidarum debilitatem languidae digeſtiuae vires ſint. Maxime, inter omnia praeſidia contra hos vapores praeſtare, hominibus huic labori vacantibus, ſi et non ab eo aegrotent, vt in Americae auſtralis mercurii fodinis fieri ſolet, otium longum, ruralemque aërem in loco calido concedere, iisque, vt rus colant, permittere. Quo otio laborumque viciſſitudine et morbos a mercurio productos, tremorem articulorum inprimis, curari.

Ad alios minerarum, inprimis pulueris influxus varia praeſidia enumerantur, in iis autem hoc maximum eſſe Noſter aſſerit, ſi grato otio, neceſſariaque laborum viciſſitudine intercurrente, corpus a mineralium foſſione aegrum, refocilletur. Hoc modo valetudinem metallifoſſorum in America potentiſſime praeſeruari.

p. 121. Nunc ad officinas Noſter tranſit, liquandis mineris metallicis dicatas. Maxime conuenire, ſi hae officinae in loco excelſo, aëri ex omni parte aperto, poſitae ſint. De furnis ſpiraculisque inſtruendis, et qualis diaeta in hoc labore occupatis conueniat. Officinarum, in quibus calx viua ignis ope para-

paratur, ad ſuffocandos vapores metallicos mineralesque varios, vſus.

Abſoluta hoc modo de metallifoſſorum morbis tractatione, penitus a Cl. editore profecta, quum in RAMAZZINII libro, ſi anicularum quasdam fabulas excipias, hi morbi penitus fere omiſſi ſint, *ſeptima ſectione* Noſter *eorum morbos* pertractat, *qui* p. 126. *in laboribus ſuis corpora mineralia frequenter tractare debent*, praemiſſisque generalioribus quibusdam, ad *chymicorum* morbos tranſit, in quo capite plures particulares hiſtoriae, ad celeberrimorum quorundam chymicorum morbos ſpectantes, traduntur. Laboratorium ad hos morbos arcendos bene inſtruendum, carbonumque vaporem vitandum eſſe. De alchymicorum morbis quaedam, inprimis de ſanae mentis ex horum laboribus facili laeſione.

De *aurifabrorum* et *deauratorum* morbis altero capite agitur. Seſſionem continuam, carbonum vapores, mallei frequentem vſum, variosque minerales vapores ad eorum morbos multum, maxime autem *deaurationem*, quae mercurii ope fit, conferre. De ſymptomatibus ex mercurio a deauratoribus ſub vaporum forma ingeſto. In medicinis plurimis, quas ad deauratorum morbos Noſter allegat, electricitatem omnibus aliis praefert. Quare mercurius ſub vaporum forma ingeſtus tam vehementer noceat.

De iatraliptarum eorumque morbis, qui mercurialia vnguenta frictione in corpus ingerunt, tertio capite agitur, in quo fere omnia ad ea redeunt, quae cap. 2. dicta ſunt.

Quarto capite *ſulphurariorum* morbi exponun- p. 162. tur, in iis partim, qui ſulphuris mineras effodiunt, ex iisque ſulphur praeparant, partim et in iis, qui crudum ſulphur in fila ducunt, obuii. De ſulphuris

crudi varieque praeparati varia virtute plura proponuntur.

Quinto capite de *gypsariorum* et *calcariorum* morbis agitur, et de eo, in quo gypsi venenata qualitas lateat. De calcis viuae pulueris noxis variis, inprimis in pulmones illati, et de calore, cui calcarii in calce praeparanda exponuntur. Quantae quamque lethiferae noxae in conclauibus calce viva recenter obductis commorantibus exspectandae sint.

p. 183. Nunc ad *figulorum* morbos transitus est, qui paene omnes a materiarum mineralium, calciumque metallicarum tractatione pendent. Plumbum inprimis a figulis frequenter adhiberi, ex eoque morbos iis frequentissimos esse. Extispicia figulorum, qui ex labore suo sanitatis labem contraxerant. De figulorum colica saturnina, paralysi, hemiplegia, caet. Multum etiam ad figulorum morbos smaltam conferre, qua coeruleum colorem elegantem vasis suis conciliant, nec non varium in laboribus suis corporis situm, madorem argillae tractandae, caet. Electricitatem et ad figulorum morbos plurimum valere.

p. 194. Hanc tractationem *pictorum* et *tinctorum* morbi excipiunt. Pictoribus plurimos etiam morbos esse ex animo penitus ad picturam suam intenso, et ex corporis continuo situ, quem in laboribus suis obseruant. De vernicis exhalationibus maxime noxiis, et de variorum colorum exhalationibus. Plumbi calces et in pictoribus plurimos morbos producere, colores tamen ex vegetabili regno desumtos omni noxa haud carere. — Tinctores ab athmosphaera vaporibus referta eos circumdante, valde laedi, inprimis quum hi vapores ob varias tingentes materias vario modo acres sint.

Phar-

Pharmacopolarum morbos plures ab officinae frigore hyberno, ſtatione caet. plurimos vero ab exhalationibus corporum, quae frequenter tractant, pendere. Venena etiam, in quibus verſantur, multum ad hos morbos conferre. p. 209.

Vltima ſectione *eorum morbi* pertractantur, *qui durantibus ſuis laboribus igni frequenter expoſiti ſunt*, primoque capite morbi ab aeſtu ignis nimis intenſo carbonumque vaporibus oriundi exponuntur. De caloris effectibus generatim, poſteaque de effectibus caloris inaequalis, cui v. g. anterior corporis pars exponitur, poſteriore frigente, et de effectibus caloris in caput, os, pulmones, caet. agitur. Carbonum vero vapores duobus modis corpus afficere, altero, quo in neruos, altero vero, quo in aërem agunt, eumque ad reſpirationem ineptum reddunt; nec frequentiſſimos effectus hos eſſe, quibus hi vapores mortem inferunt, quum longe frequentius varios morbos inducant. p. 222.

De vitriariorum morbis altero huius ſectionis capite agitur. Specularium morbi ex RAMAZZINIO traduntur, tertioque capite de eorum morbis agitur, qui in aere fundendo et variis cupreis vaſis parandis occupantur. De cupro veneno corpori varie infenſo, et de eius aerisque vaporibus facile, durante fuſione, in vapores eleuandis. Capillum in hoc opere verſantium virore quodam ab his vaporibus obduci. Has vaporum noxas et in his notabiles eſſe, qui talia opificia diſcunt, eosque paene omnes in initio vomitum experiri. Mallei vſus opificiaque eius ope peracta quantas noxas adferant. Sanguinis ſputationem eo inprimis concitari, eamque hanc ob cauſam in librorum compactoribus valde frequentem eſſe, diſponere tamen in his ad haemoptyſin et vapores glutinis animalis, quibus hyemali inprimis tempore frequenter expoſiti p. 236.

positi sunt. Auditum difficilem his hominibus etiam frequentem esse. Tandem et politurae laeuigationisque vtensilium paratorum damna expenduntur.

p. 251. Stanni et plumbifusorum morbi quarto capite exponuntur, ex stanno tamen puro morbos parcos valde esse, omnesque paene stannifusorum morbos a plumbo pendere, plumbifusorum morbos autem longe frequentiores esse. In ferrariorum fabrorum morbis oculorum morbos et articulorum frequentissimos, pectoris autem morbos raros esse.

p. 267. Huic alteri volumini plura additamenta ad primam partem referenda adnexa sunt. Coriarios adeo a pellibus animalium morbidorum laedi. Corticum quernorum vsum ad gangraenam externum Cl. Auctor nouis experimentis demonstrat. De morbis eorum, qui gluten ex variis animalium partibus parant. Hos ob putrida effluuia annis 1771 et 1772. epidemicis putridis febribus frequenter occubuisse. Multas noxas et conualescentibus ex madore linteorum recenter lotorum et non probe siccatorum esse. In lanionibus excretionis vrinae vitia frequenter obseruari. Morbi foricariorum ex obseruationibus Cll^orum LABARIE, CADET et PARMENTIER vberius enarrantur. Quantas noxas molitoribus pistoribusque tractatio frumenti corrupti inferat. Molitores etiam, prae pistoribus, asthmate frequentissime corripi. Lanae lotionem cum acerrimo lixiuio sanitati variis modis inimicam esse. Gossypii carminationem toti oeconomiae animali in iunioribus, inprimis virginibus, in quibus natura menstruum fluxum molitur, insidias struere.

p. 294. De coactiliorum (eorum, qui pileos parant) morbis singulari capite tractatum est, iique morbi medicorum attentionem eo magis merentur, quum et Academia scientiarum Parisina nuper quaestionem

nem de iis auertendis curandisque propoſuerit. Hos opifices a pilis pſilothro quodam praeparatis, acutis, acribus, oculos, pulmones, ventriculum copioſiſſime petentibus, inprimis laedi, indeque lippitudines diuturnas, faucium inflammationem, phthiſin pulmonalem, caet. produci. In condenſationis opere plures a carbonum vaporibus laedi, et ſubinde necari; condenſationem autem vlteriorem, quae fullonio quodam opere peragitur, ob copioſiſſimos acerrimosque ſubinde vapores opificis corpus circumdantes omnis paene generis morbos copioſe producere, pulmonum autem morbos, ob alios iam labores iis frequentes, inprimis augere.

Pannorum laneorum textores, qui opificium ſuum ſtando peragunt, paucis morbis obnoxios eſſe; neruorum autem morbos ex eo tempore longe copioſiores factos eſſe, ex quo ſedentariorum opificum in Germania copia increuerit. Ipſe autem Cl. Auctor, qui in oppido quodam phyſici munere fungitur, in quo paene omnes (incolarum numerus ad 4000 eſt) in pannis laneis tibialibusque ex goſſypio parandis verſantur, pluresque inprimis mulieres in nendis, duplicandis, praeparandis, caet. filis laneis goſſypinisque occupantur, morbos, qui ex ſedentariis his opificiis oriri ſolent, diligenter obſeruavit. Hypochondriacum malum, morbosque ex haemorrhoidibus, digeſtionis vires deprauatas, cachexiam, humorum corruptionem variam, ſcrofulas, herpetem, purpuram chronicam, chloroſin, leucophlegmatiam, articulorum tumores frigidos, fluorem in iunioribus inprimis mulieribus album, fluxus menſtrui ataxiam, pectorisque morbos varios, inprimis pectoris oppreſſionem haemoptyſinque morbos his hominibus frequentiſſimos eſſe, febres vero puras mereque ſanguineas inflammationes, intermittentes febres, et calculum veſicae renum-

que raros valde, imo rariſſimos his opificibus morbos eſſe.

De morbis eorum, qui tibialia texunt, vlterius agitur. Multos inprimis, qui ad hoc maxime ſedentarium opificium accedunt, peſſime affligi a continua ſeſſione. Morbi demum ſingularis plane quoad ſua ſymptomata in tali opifice lethalis hiſtoria adnectitur. Erat ex Noſtri ſententia aneuryſma cordis aut aortae arteriae; nos vero morbi eſſentiam in pulmonalium venarum varicibus conſtitiſſe arbitramur.

Sartores quare tam frequenter aegrotent. Pectus in omnibus, qui in corio rebusque duris nendis occupantur, vehementer laedi.

p. 320. De curſorum, equiſonum, baiulorum morbis plura ſubnectuntur. De ſtrumis eorum, qui onera in capite geſtant. Haud malo conſilio operidenique index additus eſt.

XXII.

Journal de médecine, chirurgie, & pharmacie, &c. A. 1780. Tom. LIII. à Paris. 8. p. 576. & Tom. LIV. p. 576.

i. e.

Diarium ad medicinam, chirurgiam, pharmaciam etc. pertinens.

Menſis ianuarius.

p. 24. 2) DUSAUX *de vſu ſanguiſugarum applicatarum in parte affecta in quibusdam caſibus.* Laudantur eae in doloribus vehementibus, in articulatione brachii cum humero obortis, poſt rheumatiſmum et vapores, in podagra, in carie oſſium, in vulneribus pulmonum.

3) LV-

3) LVDOVICI BILSII *methodus balſamandi corpora.* p. 31.

4) *Diſquiſitio diſcurſus praeliminaris verſioni* CHAYRON *operis Thedenii cuiusdam praemiſſa ab* HOIN. Praecipue aduerſus vſum forcipis in arte obſtetricia eiusque correctores LEVRET et SMELLIE inſurrexit Noſter, demonſtrando pericula prouenientia, ſi adhibentur, antequam ſufficiens exercitium et omnibus numeris abſolutus habitus ſit acquiſitus. Etiam in exercitatiſſimis manibus inutilem eſſe forcipem in capitis inclauatione, aut ſi caput ad latus, aut oblique deſcenderit in minorem peluim, aut ſi fonticulus vel bregma anterius intrauerit minorem peluim et medicus hanc peruerſam ſituationem nequeat corrigere. p. 39. p. 40. p. 48.

5) BERTHOLETI *ſpecimen de cauſticis ſalibus et praecipitatis metallicis.* Commemorat Auctor experimenta inſtituta cum mercurio varie praeparato, ſale ammoniaco, aliisque, atque ſimul prouocat ad Cl. chymicorum auctoritatem. p. 50.

Menſis februarius.

1) *effectus ptiſanae Caraibenſis etc. Obſeruationes omnes curandi methodos morborum venereorum concernentes Auctore* MITTIE, *nouae obſeruationes* FABRE *de morbis venereis et effectus ptiſanae Caraibenſis in morbis venereis propoſiti a* SAINT LEGER, DE HORNE, BACHER *et* ROUSSEL DE VAUZESME. Hac ptiſana deſcripta eiusque virtute declarata cum adiectis obſeruationibus et incommodis ſudoriferorum et purgantium tanquam vnicorum et principum remediorum in morbis venereis expoſitis, MITTIE obſeruationes laudantur, et FABRI obſeruationes commendantur. p. 97. p. 108. p. 112.

2) *Continuatio obſeruationum* GOULINI *de noua editione aphoriſmorum* HIPPOCRATIS. p. 124.

p. 144. 3) BROCOT *de amputatione brachii absque ligatura:* Reiterata venaesectione, et applicatis emollientibus et detersiuis brachium vulneratum feliciter amputatum est.

p. 153. 4) *Morbus dysentericus obseruatus a* Cl. MARET. Refertur ille ad putridos, qui funestum exitum habent, nisi bene ac legitime curetur, illeque viros, feminas, infantes et adultos absque omni discrimine inuasit. Suum autem stadium quatuor absol-
p. 154. vit periodis, quarum 1) leuiter aegros male se habere declarat, cum prostrato appetitu, nauseis, doloribus stomachi, ore pessimo et interdum vomi-
p. 156. tionibus. 2) sanguis tunc primum prodit, lingua interdum colore suo gaudet, interdum mucositate alba obducta, sitis adest, vel deest, nausea pergit, pulsus est vel naturalis, vel parum febrilis, cutis magis sicca quam humida, venter tumidus, deiectiones frequentes, dolores, tenesmi, materia euacuatur flaua vel cum sanguine, vel tincta, in quibusdam sanguis purus exit, insomnia acce-
p. 158. dunt. 3) deiectiones cum prioribus symptomatibus
p. 161. fiunt foetidae et sanioſae, 4) deiectiones iterum sensim sensimque ad naturalem statum accedunt, non sunt tamen ita frequentes, nonnulli moriun-
p. 170. tur, quidam conualescunt. Remedia etiam addita sunt cum formulis.

p. 176. 5) BAILLET *de conformatione monstrosa.*

Mensis martius.

p. 192. 1) CLAVD. REVILLON *disquisitiones causae affectuum hypochondriacorum, vulgo vapores appellatorum, cum appendice de corporis conditione in transspiratione perfecta et aëre temperato.* Omnis quaestio eo redit, praecipuam causam affectuum neruosorum esse transspirationem suppressam, quae restituenda sit, ope regiminis ac medendi methodi.

Ex

Ex qua elicit Noſter, transſpirationem minus recte procedentem vaporoſis affectibus fauere, et demonſtrat animum potiſſimum ſic affici, vt paſſiones, et immoderati labores voluptasque hos producant laedendo digeſtionem et transſpirationem impediendo aut ſupprimendo. Tandem affectus vaporoſi fiunt eo grauiores, quia imminutio transſpirationis digeſtionem alterat, et imperfectior reddita haec functio transſpirationem imperfectam eſſe efficiat. p. 198. p. 200. p. 203.

2) *Continuatio et finis diſquiſitionis diſcurſus praeliminaris* HOIMII. Reſpondere pergit Auct. ad quaeſtiones, num forceps corrigat vitioſas ſituationes? num diminuat diametrum corporis, vt extrahi poſſit? Docet forcipem extendere dimenſionem locorum, per quae fit tranſitus, et tandem perſtringit vberius ea, quae a LEVRETO de vſu forcipis ſunt tradita, et argumentis firmis defendere tentat. p. 207. p. 210.

3) BAVMII *obſeruatio de comate ſomnolento.* Belle huius morbi hiſtoriam ſuppeditauit atque animaduerſiones egregias adiecit, quae non niſi poſſunt eſſe gratiſſimae. p. 226.

4) BOUCHER *de rheumatiſmo epidemico in regionibus Flandriae autumni tempore* 1782. Praeceſſerat hunc affectum diarrhoea, quam variae rheumatiſmorum ſunt ſecutae ſpecies, videlicet rheuma, bronchus, epiphora et coryza; naturam, ſymptomata atque ſedes huius morbi accurate indagauit Noſter, et pro diuerſitate ſymptomatum diuerſas quoque vias medendi ingreſſus eſt. p. 243.

5) BONCERF *obſeruatio de obduratione inteſtini recti.* p. 254.

6) BERTHELOTI *obſeruatio de metaſtaſi quadam peculiari.* Febrim continuam admodum vehementem inſecuta metaſtaſis morboſae materiae in brachio, vbi vlcus ortum et ſanatum eſt.

p. 264. 7) SCHÜLER *de egregio vini effectu in marasmo post longam suppurationem et gangraenosa vulnera.* Vini Burgundici aegro propinabatur per omnes horas vnum cochlear, succeſſiue illa doſis aucta, vt pus et vulnera intra breue tempus naturalem reciperent colorem, pulſus fiebat fortior, gangraenoſa eſchara decidebat, appetitus et actiones animales et vitales ita augebantur, vt intra tres ſeptimanas conualeſceret, ſed tuſſis frequens et violenta acceſſit, quae quoque repreſſa eſt.

Menſis aprilis.

p. 289. 1) DE LA ROCHE *analyſis functionum ſyſtematis neruoſi, quae introductionis loco examini practico morborum neruoſorum eſſe poteſt.* Lectionibus CVLLENII Angli ſuperſtructum eſt hoc ſyſtema, et Noſter praeprimis tractat phyſiologiam neruorum.
p. 291. Omne autem neruoſum ſyſtema absque omni diſcrimine principium comprehendit vitale, omnes functiones neruorum coniunctim et ſubordinate reſpectu neceſſariae cuiusdam et perpetuae relationis, vnde diuidit illud in quatuor partes, cerebrum, neruos, extremitates neruorum ſenſiles et mobiles:
p. 295. Ordinem motus declarat Noſter, ſenſationes, et hi-
p. 302. ſtoriam organorum motus, fibrarum, et muſculo-
p. 310. rum, et de cerebro, de ſympathiis, de natura fluidi neruei et cauſa caloris animalis diſſerit.

p. 312. 2) SVMEIRE *de conuenientibus morborum biliosorum et febrium intermittentium et remittentium characteribus.* Inſtitutis in paludoſis regionibus obſeruationibus intellexit febres intermittentes et remittentes ibi eſſe endemicas ſaepiusque epidemicas ex humoribus bilioſis putridisque ortas. Itaque omnes ortus harum febrium circumſtantias, phaenomena tempore paroxyſmorum, omnesque effectus

effectus ſpontaneos animaduertit, atque iis mederi ſtuduit.

3) DE LA PLANCHE *de ratione producendi aetherem nitroſum, liquorem mineralem anodynum nitroſum, acidum nitroſum fumantem et ſpiritum nitri dulcis.* Ex multis repetitisque experientiis, quas ad modum BUCQUETI inſtituit, haec commentatio conſignata eſt litteris. p. 322.

4) DESGRANGES *de quodam genuum morbo.* p. 331.

5) PLANCHON *de febre miliari puerperarum eiusque cura.* Origine et progreſſu huius morbi deſcripto Noſter characterem, ſigna et ſymptomata, et differentias, quatuorque periodos huius febris accurate expoſuit. p. 340. p. 344.

Menſis maius.

2) BRIOUDE *de quibusdam remediis hodie admodum vſitatis in nonnullis vrbibus Francogalliae.* Hic potiſſimum de magneſia, eius chemico examine, virtutibus et vſu loquitur Auctor. p. 397.

3) SVMEIRE *de ligaturis periculi plenis in haemorrhagia narium extremitatibus applicatis.* Exemplo docet, intercepta ſanguinis periodo per extremitates inferiores et ſuperiores imminui affluxum verſus cor eiusque circulationem et actionem lentiorem effici, mortemque accelerari. p. 413.

4) *Obſeruatio* GRATELOUP *de hernia pleurae.* p. 416.

5) IAYMES *obſeruatio de effectibus noxiis nucum prunorum deglutitorum et in duodeno commorantium.* p. 424.

6) *Continuatio et finis diſſertationis* PLANCHON *de febre miliari puerperarum.* Perſequitur Noſter ſymptomata in vniuerſum benigna, circumſtantias praecedentes et conſequentes, febris miliaris maligni ſtadia et ſymptomata. Differentia febris miliaris recens puerperas infeſtantis et epidemicae, p. 432. p. 438. p. 441.

p. 444. micae, diuerſitas coloris puſtularum, et curandi ratio ſecundum ſuas periodos, colorem, ſymptomata et circumſtantias fuſius declaratur, modusque, quibus inpoſterum haec febris poſſit praecaueri.

Menſis iunius.

p. 480. 1) DUCHANOY *tentamen de arte imitandi aquas minerales.* Cognitis et diſquiſitis aquarum mineralium principiis docet, qua ratione ars iisdem proprietatibus aquas communes impraegnare poſſit.

p. 500. 2) DIEULEVEUT *obſeruatio de dyſenteria in Tregueria Britanniae inferioris et vicinarum regionum.* Coniuncta erat illa cum febri et vomitionibus, mucilaginoſa et antiputrida praeſidia egregios produxere effectus.

p. 506. 3) MAURET *de morbo dyſenterico epidemico,* qui eodem, quo ſuperior, tempore, alias non longe diſſitas inuaſit regiones, qui tamen paulo ab illa differre videtur, nam eundem ad febres bilioſas putridas et inflammatorias refert, aliaque methodo iis mederi curauit.

p. 513. 4) BAUME *obſeruatio de morte ex accedente cholera verſus finem felicis reſolutionis lacteae congeſtionis.* Honeſta quaedam femina ob matris ſuae mortem, et inde contractum moerorem liberis ſuis lactandis minime par erat, ex copia vero lactis facta eſt eius congeſtio inflammatoria cum febri hectica, quibus ſalia diuretica in decoctionibus aperitiuis, laxantia et alia his caſibus propria remedia fuere adhibita; his quidem ceſſit congeſtio, ſed febris novas vires recepit, quibus oppoſita eſt china, quam diarrhoea bilioſa lactea inſecuta eſt, verum et diarrhoea ceſſit et febris ſoluta eſt, nihilo tamen ſecius omnia in deterius ruere, et cholera mortem acceleravit.

5) MAS-

5) MASSOT *de vulnere caeſo a furca, orbitam in ſuperiori palpebra verſus oculum ſiniſtrum intrante cum laeſione cutis ſuperioris ac inferioris hanc cauitatem inueſtientis.* p. 530.

6) FOST *obſeruatio de cauendarum aperturarum ſinuum omnium et aduerſorum poſſibilitate.* Commemoratis duabus hiſtoriis planum fit, compreſſionem ſinuum eorum inciſioni quam longiſſime eſſe praeferendam. p. 535.

7) LECHARTIER DE LVCIVEL *de vaporibus per veſicatoria curatis.* Cauſam omnem ſuppreſſioni menſium et fluoris albi tribuit, quippe qui malignos humores ad neruos propulſarunt, veſicatoriis autem vapores inde orti ceſſarunt. p. 540.

Menſis iulius. T.LIV.

2) *Reſponſio in forma epiſtolae conſultationem* DESGRANGES *concernens.* p. 32.

3) *Alia reſponſio de eodem argumento ab* ESN. DELAVALLE'E. In ambabus de ſpina ventoſa diſſeritur. p. 39.

4) BAVMES *de adhibenda diuerſis temporibus venaeſectione in pleureſi.* Celeberrimorum virorum in arte medica teſtimonia et auctoritates pro venaeſectione admittenda in hoc graui diroque laudat morbo, eaque tempeſtiue inſtituta criſin fieri expectoratione facili, ſufficiente et leuante, perque plurimos dies durante. p. 42. p. 56.

5) MAVREL *de morbo verminoſo.* Dolores pleuritici a vermibus orti hunc morbum produxere, cui ſuccurrere ſtuduit Auctor duabus drachmis muſci Corſici in decocto datis cum dimidio ſacchari cochleari; altero die iterum duas muſci eiusdem drachmas, vnam rhabarbari, duas ſalis Epſomienſis et duas vncias Syrupi florum perſicorum exhibuit, quibus aſſumtis magna vermium copia p. 60.

expulſa

expulsa est, haec remedia continuata sunt interpositis purgantibus ex octo granis diagrydii, sex mercurii dulcis, et duodecim muſci Corſici in puluerem redacti.

p. 65. 6) DVPPIN *de partu laborioſiſſimo, ſectione Caeſarea terminato.* Femina triginta quinque annorum, pedum et coxarum mala conformatione in infantia ex rachitide praedita, nixibus ad partum per ſeptem et viginti horas defatigata, Caeſareae ſectioni ſubiecta fuit.

Menſis auguſtus.

p. 111. 2) GRATELOUP *compendioſa enarratio morbi Ducros-Duboſcq.* Eques ille illuſtris vſque ad annum aetatis ſexageſimum proſpera vſus valetudine, ſubito fatigatum ſeſe ſenſit, et fortiſſima febri correptus eſt cum deliriis et alteratione, venaeſectio et vomitoria incaſſum adhibita ſunt, acceſſit febris putrida, rheumatiſmus, tuſſis, ingentes dolores in renum regione, ardor in pectore et hypochondriis, dolores laterum vagi, inſomnia, difficilis reſpiratio, vomitus cruentus, tandemque exſpirauit. Cadauere aperto verſus ſpurias coſtas in conſpectum venit tumor oui magnitudinem aequans, ſteatomaque referens, fel ipſum magnum apparuit, ibi quoque tumor ſteatomatoſus fuit aequans magnitudinem oui columbini, cor ipſum paulo minus, quam corporis ſtatura exigebat, et in ventriculis polypoſae fuerunt concretiones, in aorta eiusque fibris etiam polypi haeſerunt.

p. 128. 3) *Epiſtola* CRAISME, cuius argumentum foecunditas imperiorum eſt.

p. 132. 4) ARCENS *obſeruatio de effectibus peſſimis prunorum flauorum.* Deſcriptis his, hiſtoriam ſubnectit de tribus pueris mane hos fructus comedentibus, qui ſeſe laſſos, fatigatosque ſenſerunt, atque ita obſopiti ſunt,

ſunt, vt vix excitari potuere. Noſter accerſitus illos hoc in ſtatu inuenit, cum ſpiratione ſuppreſſa, et conuulſionibus; tartarus emeticus, oleum oliuarum, ſyrupus emeticus, venaeſectio, clyſteres emollientes, ſtoechas arabica et antiſpaſmodica egregie profuerunt.

5) MARTIN *de effectibus ſemicupiorum domeſticorum in deliriis.* Quidam peripneumonia correptus, venaeſectione fruſtra adhibita, et vomitu cruento excruciatus, ſemicupio a delirio accedente liberatus eſt. p. 137.

6) ABEL *de noua methodo dentes inciſores et caninos extrahendi*; fit illa ope filorum vel ſine, vel cum lamina adhibitorum, aut ligno aureo, quod ab vna parte eſt immobile, ab altera vero cum lamina moveri poteſt, torquendo, itaque dentes hoc inſtrumento extrahuntur. p. 141.

7) *Epiſtola* MARETI, qua PAVLETVM mala fide in citando egiſſe affirmat. p. 144.

8) *Obſeruatio de electricitate medica.* p. 161.

Menſis ſeptember.

1) *Obſeruationes de magnetiſmo animali Auctore* DESLON. Tribus articulis totum opus abſoluitur, primus hiſtorias perſanatorum continet, in altero rationem reddit de ſuo procedendi modo, et in tertio MESMERI doctrina explicatur operandique modus. p. 193. p. 199.

2) SCHMALL *obſeruationes de podagra.* Chinae vſum in podagra praeprimis laudat.

3) *Obſeruationes* BAVME, *quibus declarat regulas prognoſticas in morbis acutis eſſe incertas.* In gratiam iuniorum medicorum hae obſeruationes ſunt litteris conſignatae. p. 237.

4) *Obſeruationes de quibusdam ferri praeparatis, in ſpecie de aethiope martiali Auctore* OPOIX. Recte iudicat Noſter, ferrum, ſi vſum medicum ſperamus, p. 244.

ramus, debere in minimas partes lima diuidi atque rori exponi, quae in puluerem redactae crocum
p. 247. martis aperitiuum sistunt. Diuersos deinde aethiopis martialis praeparandi modos proponit, triturationem esse admodum longam et difficilem, Croharii autem methodum palmam vtique promereri.
p. 253. 5) PLANCHON *tentamen de aquis mineralibus fontis Saulchoir.* Dissertatio praeliminaris varia huc
p. 260. spectantia tractat, deinde A. Cl. verba facit de situ fontis Saulchoir et de principiis huius aquae, atque experimenta cum iis instituta commemorat.

Mensis october.

p. 289. 1) *Continuatio obseruationum* DESLON *de magnetismo animali.* Supra iam de iis obseruationibus disseruimus.

p. 317. 2) *Obseruatio de lactea quadam chronica depositione*, quam femina quadraginta annorum in quinto puerperio passa est, quum ipsum lactare cuperet infantem. Inflammatoria conditio venaesectione et antiphlogisticis dissipata est medicaminibus, febris imminuta est, et lac copiose rediit. Menstrua per tres menses suppressa sunt restituta, sed flatulentiis et colicis saepius infestata est, quae tamen clysteribus et purgantibus sunt dissipata. Sexta demum vice parturiit, in quo primum bene se habuit, postea ventre constipata fuit et colica infestata, quae tamen clysteribus, balneis emollientibus, et ptisanis leuiter aperientibus admodum sunt leuatae. Rediit tamen malum cum ardore, dolore epigastrico, et constipatione. Diaeta mucilaginosa antiphlogistica, venaesectio in brachio, semicupia ex aqua calida, fomentationes, iniectiones in anum et vaginam, balnea vaporosa, applicatio sanguisugarum, clysteres emollientes, vsus lactis asinini praestiterunt egregios effectus.

3) MAR-

3) MARTIN *obſeruatio de peculiari luxatione cartilaginum coſtarum.* p. 328.

4) HUSARD *de catarrhali equorum morbo anni* 1776. Omnia ſymptomata accurate Noſter ſuppeditauit, atque mucilaginoſis, dulcificantibus potionibus, ſuffumigiis, kermes minerali, infuſioni plantarum aromaticarum et incidentium, kermes cum melle, pulueri Liquiritiae, omne fere tribuit. p. 333.

5) PLANCHON *continuatio tentaminis de aquis mineralibus.* Experimenta cum examine et quaeſtionibus auctoris hic ſuo ordine commemorantur. p. 338.

Menſis nouember.

1) CHAPPOT *ſyſtema naturae de pure ſcrophuloſo.* Praefaminis loco Noſter ſententias de ſcrophulis quamplurimorum medicorum ab HIPPOCRATE ad noſtra vſque tempora recenſet, atque examini ſubiicit rigoroſiori commentationes academiae regiae chirurgorum praemii obtinendi cauſa exhibitas. Ipſa autem tractatio de ſignis, quae principiorum loco eſſe poſſunt, agit, et de charactere ſanguinis ſcrophuloſi, humorum et ſpirituum, ex quibus quatuor ſignorum fiunt claſſes, illa 1) deducunt dyſcraſiam ſiue malam carnis conditionem ex ſenſilitate exceſſiua, et ſtatu oris 2) produnt ſeſe per excretiones humorum, tincturam et colorem cutis, conformationem externam, per conſeruationem ſubiecti et motus muſculares. 3) conſtituunt functiones vitales animales, tuſſis, vox et actus venereus 4) ſignum recurrens, quia ſymptomata hoc ſignum producentia ab indiuiduali mala pendent diſpoſitione, vel a cauſis proximis morborum ſcrophuloſorum, et principio mobili malarum diſpoſitionum ſcrophuloſarum. Denique tractat in ſectione quinta duobus capitibus diſpoſitiones indiuiduales, et influxum atmoſphaerae. p. 385. p. 389. p. 390. p. 394.

p. 402. 2) *Obſeruatio* ARCEI *de tympanitide hyſterica.* Examinato et cognito morbo, infuſio chamomillae, potio antihyſterica ex ſyrupo de nymphaea, aqua florum Aurantiorum, viginti guttis tincturae caſtorei et dimidiae drachmae ſpiritus mineralis anodyni cum ſex vnciis aquae florum tiliae mixtis egregie profuit.

p. 407. 3) CASAUBIEL *de morbo quodam neruoſo.* Virgo quaedam viginti quatuor annorum vſu ſaponaceorum ad diſcutiendum tumorem clauiculae ſiniſtrae, neruorum ſpaſmos ſibi contraxit cum agrypnia et vrinae frequentiori et difficili emiſſione, quae omnia relaxantibus et antiſpaſmodicis lenioribus ſublata ſunt.

p. 408. 4) *Analyſis* CAZALE *aquae mineralis putealis Covy.* Inquirit Noſter in fontes et naturam terrae, quam tranſeunt, determinat temperaturam aquae ope thermometri cum mercurio, et examinat naturam vicini aëris, ex quibus qualitatem aquae declarat.

p. 425. 5) IVYMES *obſeruatio de efficaci applicatione ſanguiſugarum in mania et epilepſia.*

p. 430. 6) FLEUR *obſeruatio de fractura humeri.*

p. 436. 7) EI. *conſultatio* ipſius coniugem concernens de tumore matricis in regione dextra oborto.

p. 441. 8) DVBB *conſultatio* de malo quodam iſchiadico.

9) CROHARE *de aethiope martiali ad* OPOIX. Varias obiectiones et dubitationes Cl. OPOIX proponit, atque vt eae ſoluantur humaniſſime petit.

Menſis december.

p. 494. 2) HOUDRY *obſeruatio de morbo chronico.* Ille morbus ad vaporoſos et ſyſtematis neruoſi eſt referendus, quem aptis remediis Noſter perſanauit.

3) PO-

3) POTHONIER *de pleureſi rheumatica* venae- p. 504.
ſectione ſublata.

4) SCHÜLER *de praeiudicio Heluetiorum, quo* p. 507.
omnes morbos inflammatorios pecudum pectoris pro pulmonum morbo venditant. Ex inſpectione cadaverum redarguit hoc praeiudicium aſſerendo ac demonſtrando hunc morbum fuiſſe peripneumoniam, atque VITETI, CLARETI, HALLERIque auctoritate et verbis ductus ſuam ſententiam vlterius confirmare ſtudet.

5) IMBERT *de ruptura matricis, qua factum eſt,* p. 534
vt infans per ventrem debuerit emitti. Hoc in caſu ſuadet ſectionem caeſaream, vt vitam retineant grauidae.

6) DESGRANGES *explicatio effectuum morbi cuiuſdam genu virginis* Berth. Lectu digna non ſolum eſt hiſtoria morbi, ſed etiam medendi ratio.

7) TAILLARDANT *obſeruatio de ranula continente calculum.* HEISTER et LOUIS operationem huius tumoris eiusque ſimul naturam ac indolem deſcripſerunt, ergo nihil de ea profert, reiicit tamen SOULIERI medendi rationem per phlegmagoga: deinde hiſtoriam ipſam morbi narrat, qui infeſtauerat pauperem feminam quadraginta trium annorum, quae vix paruum panis fruſtulum aſſumere potuit, et quam operatione inſtituta feliciter ſanauit.

XXIII.

Die Geſchichte der Kriebelkrankheit, beſonders derjenigen, welche in den Jahren 1770 *und* 1771. *in den Zelliſchen Gegenden gewüthet hat, beſchrieben von* IOHANN TAVBE. *Göttingen.* 1782. 2 ½ *Alph. in* 8. *nebſt einem Kupfer.*

i. e.

Hiſtoria morbi ſpaſmodico - conuulſiui epidemici vagi, inprimis illius, qui annis 1770 et 1771. Cellenſem regionem peruaſit. Auctore IOANNE TAVBE.

Diu exſpectatus hic deſideratusque liber, poſt varia, quae ipſe ſuſtinuit, fata, demum in lucem prodiit, lucupletiſſimam locubratiſſimamque diriſſimi huius morbi hiſtoriam continens, ita vt paucos morbos habeamus, in quibus tantum operae, quam in hoc, inſumtum ſit.

Ipſe Celeb. Auctor hunc morbum (quod et hiſtoriae libro additae probant) tam copioſe obſervauit, vt ipſe aſſeueret, e medicis noſtri temporis nullum eſſe, qui hunc morbum homines tam copioſe vehementerque inuadentem obſeruauerit, vtque ipſum hoc opus ex ſolis obſeruationibus a menſe Septembri 1770. collectis natum ſit. Id vero eo facilius euenire potuit, quum partim ſanitatis hoc morbo affectorum cura a reipublicae proceribus illi, aliisque medicis Cellenſibus Hannoueranisque, DE LEYSSER, ZIMMERMANN, THAER, MEIER, WICHMANN demandaretur, partim et omnia, quae valetudini publicae vllo modo obſtare valent, ipſius memoratorumque medicorum conſilio a plebe diligenter auerterentur.

p. 1. His praemonitis Noſter ad *morbi ſpaſmodici hiſtoriam* tranſit. Hyems a 1769 - 1770. frigidiſſima, perdurans fuit, eamque aeſtas ſequuta eſt, frequentibus caloris, frigoris pluuiarumque viciſſitudinibus. Nebulae, inprimis in ſecalis flore, frequenter inciderunt, pluuiasque ſaepius incidentes vrens calor ſubito excepit. Meſſis tempore tempeſtas conſtantior fuit, in frumenti vero ariſtis guttae ex luteo albidae, pellucidae copioſe obſeruatae

ſunt

ſunt, apesque, has guttas colligentes, omnes interierunt. Quum ex hac frumenti peſte ſecale cornutum frequenter proueniret, plures medici graues ex ſecali hoc, vbi malignum euaſiſſet, morbos praeſagierunt.

Quum iam meſſis tempore ruſtici ſecalis ſui collecti partem in farinam tritam ad panem ſtatim adhibeant, eumque panem calidum adhuc ingurgitent, hanc conſuetudinem et incolae pagi *Lutter* obſeruarunt, in quibus morbus d. 29 menſ. Auguſti primum apparuit, magis magisque poſtea epidemia ſenſim dilatata, ita vt Decembris initio et Cellenſem vrbem inuaderet.

Licet partim a proceribus rei publicae, partim a medicis, omni modo incrementis epidemiae proſpiceretur, intenſior tamen crebriorque quotidie morbus factus eſt, ſtatim vero remiſit, quum ab his, qui publicarum rerum curam gerunt, bonum ſecale maxime aegris praeberetur. Animalium morbi ex hoc nociuo ſecali nulli fuerunt, gallinis et ouibus tantum ſubinde a ſpaſmodico morbo correptis. Nec boum lues hoc anno graſſata eſt.

Nunc tabula quadam aegrorum in Cellenſi terra copia traditur, quae 600. erat, ex quibus 97. mortem oppetierunt, ita vt Septembri menſe 1770. et Februario Aprilique 1771. plurimi aegri eam obirent. p. 17.

Altera ſectione morbi ex ſcriptoribus hiſtoria traditur. Morbum et antiquiſſimis temporibus iam extitiſſe, eiusque iam in S. Codice mentionem iniici Auctor putat. p. 20.

Primum autem morbum CASPAR SCWENCKFELD deſcripſit, ann. 1587. et 1592. in Sileſia epidemice graſſantem. Prima vberior morbi ann. 1596. graſſantis deſcriptio in celebri iſto Marburgenſi conſilio proſtat. Morbi poſtea DRAWITZIVS ann. 1647. mentionem fecit, in Germania et ann.

1648. 1702. 1709. 1717. 1723. 1736. 1742. in Suecia ann. 1745. 1746. 1754. etc. graſſantis.

p. 97. Morbi quoad ſymptomata eius hiſtoria ſequitur, mox acuto, mox vero diuturno modo homines occupantis. In epidemiae initiis omnes acute laborabant, in progreſſu vero morbus longius perdurabat.

In his, qui acute laborant, *formicationis ſenſus* princeps ſymptoma eſt, quem caecitas, caduca vertigo, articulorum tremor, inanes vomendi conatus, totius corporis, inprimis muſculorum flexorum, ſpaſmi et conuulſiones excipiunt. Totum corpus, aegro maxime perturbato, frigidiſſimo ſudore obſitum, os collapſum, pallidum, horridum eſt. Spuma ſubinde, ſaepe ſanguinea, ex ore manat, et ſitis aegros excrucians vbi potu leuatur, anxietas augetur. Omnes aegri, vt contracti ipſis articuli extendantur anxie petunt, dé ineffabili dolore anxietateque querentes. Conamina ad vrinam aluumque demittendam irrita, frequentia adſunt. Pulſus paruus, lentus, interruptus eſt, et praeſentibus diriſſimis ſymptomatibus exploratoris digitum fugit.

Poſtea verae conuulſiones apparent, cum ſenſuum et vocis defectu coniunctae, mortem in propinquo eſſe demonſtrantes. Hoc acuto morbo *omnes* necati ſunt. — Cadauera hoc morbo trucidatorum celerrime putreſcunt, neque putridus foetor cadauerum inciſionem facile permiſit. Puer, quem ante meridiem morbus iugulauerat, poſt meridiem inciſus eſt. Articulos tantus ſpaſmus occupauit, vt nullo modo paene flecti poſſent. Abdominis integumenta partim ex flauo viridia, partim flaua fuerunt. Ex ore pituita peſſime olens manavit, vibicibus in dorſo pectoreque conſpicuis. Abdomine inciſo omentum molle, putridum, ventriculus inteſtinaque flaua, hepar autem durum et

ſan-

ſanguine turgidum fuit. Caeterae omnes abdominis partes colorem peſſime flaueſcentem habuerunt. In ventriculo putride inflammato aqua bilioſa, ſpumeſcens, in eaque lumbrici putridi continebantur. Fellis veſicula vehementer dilatata bilem virideſcentem aqueamque continebat, lien ſanguine turgidus, vrinae veſica maxime dilatata, pulmones, cerebri arteriae menyngesque ſanguine refertiſſimae erant. In choroideo plexu putredo adfuit.

Diuturna magis *morbi ſpecies* lente homines cum p. 105. articulorum ſtupore, appetitus defectu, cordis oppreſſione, ad ſomnum propenſione, frigoris in abdomine et dorſo ſenſatione et articulorum formicatione corripit. Poſtea ſpaſmi vagi oriuntur, ſenſim cum caeteris ſymptomatibus ingraueſcentes, ita tamen, vt ex vomitu materiae bilioſo-putridae inſigne aegris leuamen ſit. Spaſmi ſenſim intenſiores fiunt, ſitimque, acidis, quae maxime cupiunt, leuatam, inanes vomendi conatus excipiunt. Oris color varie mutatur. Aegri articulorum extenſionem anxie petunt, dolores potentiſſime lenientem. Sudor copioſus, pulſus autem tranquillus, paruus eſt. Vires deficiunt aegris, eccſtaſi quadam ingruente, quae omnia ſymptomata, vbi remittunt, inſignis ciborum cupiditas aegros inuadit, ſpaſmis, omnibusque dictis ſymptomatibus poſtea denuo ingruentibus.

Lac in mammis morbus non mutat, nec pueri p. 111. ab eo male ſe habent. Puerperarum lochia, menſtruumque fluxum morbus non mutauit. Nec gravidae vehementius aegrotarunt. — Noui ſpaſmorum inſultus a maxime moroſorum aegrorum ira inprimis concitantur.

Quae omnia ſymptomata vbi per aliquot tempus aegros exercuerunt, eorum induciae quaedam oriuntur, aegris tamen et in his ſtupidis manenti-

bus et formicationem ſentientibus. Pupilla hoc tempore maxime dilatata, velut in amauroſi affectis eſt. Duplex iis in quibusdam obiectis, in aliis vero rectus et ſolitarius viſus eſt. Articulorum tremor, vertigo, cardialgia aegros infeſtat.

p. 117. Spaſmis frequenter recurrentibus digitorum in articulis ſenſus tantopere demum minuitur, vt et candentes carbones ignemque ſine omni ſenſu ferant. In ſpaſmis tetanus, quem conuulſiones excipiunt, frequentiſſimus eſt, *veram* vero *catalepſin* Noſter in aegris non vidit. Emproſthotonus opiſthotonusque rari erant (quod valde mirum eſt, quum in omni tetano paene opiſthotonus adſit). Epilepſiam riſumque ſardonium in aegris non vidit.

p. 123. In maniam morbus ſubinde terminatur, quod peſſimum eſt; frequentiſſime autem in amentiam, ſaepius in alui profluuium, ſubinde funeſtum, pedum oedema, anaſarca, fluxus menſtrui anomalias, hyſtericum malum, furorem vterinum.

Subinde et cutanea exanthemata furunculique ex morbo oriuntur. *Elephantiaſis* ſpeciem etiam poſt morbum Noſter obſeruauit. Cruſta alba, ſplendens, foetidiſſima articulos obſidebat.

p. 133. Vermes, quorum mentionem nullus paene, qui de hoc morbo ſcripſit, iniecit, in omnibus aegris aderant, lumbrici inprimis aſcaridesque; hisque expulſis aegri conualuerunt. In anthelminthicis emetica, purgantia, mercurii dulcis, radicis valerianae et ſeminis ſantonici vſus maxime ad vermes valebant.

Oculorum morbi, inprimis cataracta, a ſpaſmis ſaepiſſime producuntur, ſubinde et lingua conuulſiuo dentium morſu tantopere laeditur, vt loquela aegris poſtea deficiat; in omnibus vero ſymptomatibus formicationis ſenſus conſtantiſſimum eſt.

His

His ſymptomatibus morbi prima periodus lente quidem, verum feliciter terminatur, nec vnquam Noſter, his praeſentibus, morbi in alteram periodum tranſitum obſeruauit. In altera autem periodo morbi ſymptomata ſequentia ſunt:

Spaſmi in capite maxime ſaeuiunt. Senſus aegrorum omnes ſtupidi ſunt. Virium languor, appetitus defectus, inanes vomendi conatus, ſitis intenſa ab eaque exſtincta anxietas intenſiſſima ſunt. Noctes ſine ſomno tranſiguntur; pulſus, cute vrente, febrilis eſt. Os collapſum eſt, aluus aegro inſcio deponitur; vrina pauca, ſaponacea demittitur, penitus ſubinde ſuppreſſa. De dolore in cerebro ineffabili queruntur. p. 146.

Lingua in morbi progreſſu ſaepiſſime laeditur, vires vero ſenſim collabuntur, tetanoque, eiusue ſpeciebus ingruentibus, aegri demum die a tetano tertio iugulantur. — Defunctorum cadauera rigida manent, nec putredinis vis in iis valde magna eſt. Incidere talia cadauera Noſtro non licuit.

In diriſſimis vero huius periodi ſymptomatibus *lenta gangraena* diriſſimum eſt; talem tamen, tamque vehementem hanc gangraenam, qualis a Medicis Pariſinis deſcribitur, Noſter non vidit. Terebinthinae inprimis oleum putredinem potentiſſime cohibuit. Vidit Noſter perfectam poſt hunc morbum cutis depoſitionem, perfecte talem, qualem in cancris fluuiatilibus obſeruare licet. Partem depoſitae tali modo cutis icon huic ex omni parte praeclaro libro additus exhibet.

Morbus difficulter ſemper ſanabilis eſt; et aſſiduum continuumque medicamentorum vſum requirit. Symptomata morbum excipientia inprimis maxime diuturna ſunt.

De *cauſis morbi* nunc agitur. Morbum neque a malo victu, inprimis annonae caritate durante, p. 157.

neque a lolio temulento, nec a raphano raphaniſtro oriri, epidemiaeque tempore neque lolium, neque raphanum raphaniſtrum in ſecali obſeruatum, copioſiſſime autem ſecali *cornutum ſecale* admixtum fuiſſe.

Cornutum ſecale iis in locis, in quibus epidemia graſſabatur, ab eo, quod in aliis locis, ab epidemia immunibus, collectum erat valde diuerſum fuit. Colorem habuit, quod in epidemicis locis creuerat, ex coeruleo et gryſeo mixtum, tenaciſſimum, difficulter friabile fuit, odorem nauſeoſum corroſivumque ſaporem habuit. In aliis vero locis ab epidemia vacuis collectum album, farinaceum et ſine ſapore fuit, quae differentia quoad origines huius morbi diligenter notanda eſt.

p. 165. Multum tamen ad morbum ipſum ſecale corruptum contulit, corruptio enim tertiam omnis in locis a contagio affectis ſecalis partem tentauerat, tali modo, vt ex coeruleo gryſeam farinam grana continerent, mucidum adorem haberent et ſaporem linguae corroſiuum inducerent. Germen granorum eroſum erat, ſuetaque ſpecifica grauitas iis deerat. Aquae fontanae frigidae ſecale corruptum aeque ac cornutum innatabat. Coctione in polentam ſecale cornutum nullo modo redigi poterat, remanensque poſt coctionem aqua nauſeam mouebat. Eadem et de ſecali corrupto valuerunt. Omnia cum hoc ſecali inſtituta experimenta docuerunt, *partem animalem* in illo penitus deſtructam eſſe, neque tale ſecale in terram proiectam progerminauit.

Morbus *eos* tantum occupauit, qui panem polentamue ex *tali* ſecali paratam deuorauerant, et quamuis morbus non omnes aequali ſaeuitie inuadebat, omnes tamen, ſi morbus familiam quandam occuparet, (quidam vero et leuiter) aegrotarunt.

Mor-

Morbum itaque a ſecali tali modo corrupto ortum eſſe certiſſimum eſt, et licet huius veneni vis et agendi modus nullo modo explicari poſſit, interest tamen, vt, vnde haec corruptio orte ſit inquiratur. Corruptio intenſior in ſecali, quod verno tempore feritur, quam in hiberno fuit, (idque ſecale plurimi ruſtici, ſimul ac collectum eſt, ad polentam, placentas, caet adhibent) magis quoque intenſa in agris humidis fuit. Quum in flore eſſet hoc ſecale, nebulae graueolentes aliquoties obſeruatae ſunt, certas tantum regiones occupantes, (humidis agris, tempeſtate humida continuo exſiſtente, talibusque agris, quibus ex luto ſolum eſt, huius corruptionis partem maximam adſcriberem. Vidi et ego morbum, ſpaſmodico-conuulſiuum vagum ſporadice graſſantem, eos tantum occupaſſe, qui panem ex ſecali recenter ex agris in tota vrbis regione maxime humidis collecto frequenter deuorauerant; vidi et plures alios morbos noſtro analogos, ſpaſmodicos, in vicis, quibus agri prae aliis humidi erant, quum aliorum vicorum incolae, qui ſecale ſuum ex agris magis ſiccis collegerant, immunes manerent).

Nunc ad *medicinas contra hunc morbum* Noſter p. 180. tranſit. Primis ſtatim aegris, quos morbus inuaſerat, emetica exhibuit, quorum effectus quum omni plane modo curantis ſpei reſponderent, ea in totius epidemiae progreſſu omnibus aegris data ſunt. Tam ſtupidus autem ventriculus in omnibus aegris fuit, vt ſueta medicinae doſis nullo modo ſufficeret, vtque ad vomitum concitandum ſubinde XL. tartari emetici cum aqua fontana ſoluti grana neceſſaria eſſent. Maxime ſolita tartari emetici in aquae libris duabus ſoluti doſis gr. XX. erat. In quibusdam emeſis nullo plane modo concitari poterat, ex alui profluuio ab eadem medicina

na in his casibus producto parum leuaminis erat.

Vt autem viscida materies eo melius certiusque expelleretur, vtque morbi insultus omni vi reprimerentur, emeticae medicinae vsus omni octiduo repetendus erat, hoc successu, vt ab ingluuie collecta materies malaque bilis expelleretur. Ipecacuanha hernioſis et grauidis data alui tarditatem produxit. Tandem omnibus, sine vllo discrimine, et sine omni noxa tartarus emeticus datus est.

Purgantium vsu sordes in intestinali tubo contentae expellebantur, in quibus *medii sales*, inprimis sal catharticum Anglicum, magna dosi, ad vncias subinde tres aut quatuor, exhibitum, prae omnibus valuerunt. Fortiora purgantia nocuerunt, de leuioribus autem, inprimis rheo, damna obseruata sunt.

Tandem, oculorum inprimis in hoc morbo affectionibus commotus, mercurium dulcem magnis dosibus, hoc successu Noster adhibuit, vt spasmorum insigne lenimen in omnibus obseruaretur, idque lenimen a vermibus hoc medicamine expulsis inprimis ortum est, hoc modo, vt in omnibus tandem, quibus haec medicina, et iteratis vicibus propinabatur, vermibus expulsis, insignis morbi in melius mutatio obseruaretur. Saliuatio, licet mercurius magna dosi saepius propinaretur, nunquam obseruata est.

Spasmi interea quum his euacuationibus non penitus sopirentur, diaphoreticae medicinae datae sunt. Maxime eum in finem conueniens medicina camphora fuit cum aceto soluta, roob iuniperi admixto. Eadem medicina et vermes expulit. Serpentariam etiam cum successu adhibuit. Valde etiam medicina successit ex calami aromatici, ari, enulae, et valerianae sylueſtris radicibus parata, verum

rum palato aegrorum valde ingrata. In cortice Peruuiano parum praeſidii fuit; necroſin tamen potenter cohibuit. Cornu cerui ſpiritus manifeſte nocuit, in diuturno vero morbo oleum animale DIPPELII ad exanthemata critica producenda eximie valuit. Moſchus conuulſiones quidem ſedauit, verum vnciae pretioſi huius medicamenti ad optatum effectum obtinendum adhibendae erant. Alchymillae herba parum iuuit; conuulſiones vero ſpiritus ſalis ammoniaci cum calce viua paratus, interne datus eximie ſedauit. Neque opium magno cum fructu adhibitum eſt. Maxima praeſidii pars in ſantonici ſemine, radicis valerianae ſylueſtris extracto cum nitri ſpiritu ſoluto, aliisque anthelminthicis medicinis ſita fuit. In deſperato caſu ſtannum Anglicum cum Ialappae radice remixtum praeſtantiſſima medicina fuit.

In externis medicinis veſicatoria vtiliſſima fue- p. 209.
runt, venaeſectio autem ſemper nociua fuit. Ex ſcarificatione vtilitas quaedam ſubinde fuit, vtiliſſimae autem hirudines fuere. Egregii etiam frictionis, et laeſionum externarum accidentium effectus fuerunt. Multum etiam leuaminis vnguenta emollientia reſoluentiaque rigidis articulis illita attulerunt. Balnea calida vtiliſſima fuerunt. Victus ratio diligenter obſeruanda, et inprimis cauendum eſt, ne fame praeternaturali affecti aegri panem ex ſecali cornuto aut corrupto paratum deuorent.

Experientiis quibusdam finis huic operis parti p. 236.
imponitur. In his adſeritur, morbum conuulſiuum cum Sancti Antonii igne vnum eundemque morbum eſſe; (quod tamen ex Gallorum medicorum obſeruationibus vix crediderim, quum hic morbus ſingularem ſpeciem ſaltim certe conſtituat) morbum, quo diutius in corpore delituerit, eo difficilius etiam expelli poſſe; ſanationem morbi difficillimam,

limam, immo nullo modo possibilem esse, si morbida materia neruos vasaque sanguinea corrodit; febrem intermittentem in omnibus morbi symptomatibus nunquam obseruatam esse; mortem veros pectoris spasmos semper sequi; electricos succussus omnibus paene hoc morbo affectis conuenire; formicationis in internis corporis partibus sensum semper prosperam valetudinem futuram indicare, nullumque aegrum hoc morbo affectum pro immuni ab eo haberi posse, stupidis adhuc digitorum extremitatibus, articulis trementibus, oculis imbecillibus exsistentibus, et formicationis in cute sensu, fameque praeternaturali praesentibus.

p. 340. Nunc morborum in nosocomio societatis oeconomicae et in nosocomio regio obseruatorum historiae exponuntur; appendicis autem loco historiae morbi conuulsiui vagi ab HÜSERO V. D. Ministro, a WEBERO, EVERS, HEVSLERO, MEYERO, conscriptae adiectae sunt. Electricitatis vsum ex exemplis in hoc morbo STEFFENS docet. Tandem et morborum a lolii temulenti vsu ortorum ab Auctore obseruatorum historia addita est, in qua adseritur, ex modico lolii vsu vomitus, variosque neruorum morbos oriri, hos vero morbos copiose assumto lolio et in veram maniam degenerare. (Nos, quum anno 1779. mulieri post lolii temulenti copiosum cum farina vsum vena incideretur, modica sanguinis quantitate educta, asphyxiam perfectam, per dimidiam horae partem perdurantem, obseruauimus. Eam copiosissimus assumtorum vomitus excepit.)

XXIV.

De liquoribus ſalinis officinarum, eorumque medicis virtutibus. Specimen, quod pro ſummis in medicina honoribus defendit CHRISTIANVS GOTTHOLD ESCHENBACH, Art. Lib. Mag. Medic. Baccal. et Societ. oecon. Lipſienſ. Sodal. Lipſiae, CIↃIↃCCLXXXIII. pagg. 28. in forma quarta.

Qui HOFFMANNI nuper et LVDWIGII auctoritate inter officinalia, quae dici ſolent, medicamenta relati ſunt ſalini liquores, ii profecto, quod virtutibus medicis admodum inſignes fuerint reperti, peculiari illuſtratione et repetita commendatione iam pridem digni eſſe videbantur. Neque tamen quisquam hactenus, quantum nos quidem ſcimus, huic argumento explicando incubuit, nec vllus vel diſcrimen, quod inter hoffmannianum et ludwigianum liquorem intercedit, vel peculiares cuiusuis virtutes deſcripſit. Quare hanc ipſam ſibi materiem in hoc inaugurali ſpecimine illuſtrandam ESCHENBACHIVS ſumſit, eamque ita pertractauit, vt, quae ſit vtriusque liquoris indoles atque natura, et quibus vterque viribus medicatis gaudeat, cognitum fieret atque perſpectum. Et primum qui- p. 8.
dem agit Auctor de illo ſalino medicamento, quod ab HOFFMANNO cognomen habet, illudque ex quatuor diuerſis ſalibus, deſtillatis quibusdam aquis, et caſcarillae cortice digeſtione in noſtris officinis parari monet. Etenim aquam ſuper cardui benedicti herba abſtractam cum anatica portione aquae florum chamomillae vulgaris pharmacopoei commiſcent, lenique deinceps calore in miſcelae huius libris tribus ſalis alcali fixi vegetabilis, nitri depurati, tartari vitriolati ſingulorum vncias duas et ſa-

lis

lis ammoniaci vnciam vnam ſoluunt, liquorem hoc modo paratum ſuperfundunt corticis caſcarillae vnciae vni, ac, digeſtione peracta, a remanente terreſtri materie eum tandem ſeparant, et in vitro bene clauſo aſſeruant. Varia itaque neutrius generis ſalia in hoc liquore ineſſe, neque tamen eum alcalinis partibus prorſus deprehendi deſtitutum patet; nam vtriusque lixiui ſalis aliqua portio in liquore ſoluta haeret, quae acidis prorſus ſaturata haud eſt. Hinc, addit ESCHENBACHIVS, ſiſtit hoc medicamentum veluti medium ſal, quod ex fixo et volatili alcali, nitroſoque, vitriolico et muriatico acido compoſitum, neque tamen ſufficienti ratione ſaturatum, eſt, ac praeterea gummoſam et reſinoſam caſcarillae corticis ſubſtantiam immixtam habet. Tametſi vero Noſter non dubitat, liquorem hunc cum ipſo eius auctore, aliisque celebribus medicis inter vtiliſſima medicamenta referre, arbitratur tamen, praeparandi eius rationem, qua vti pharmacopoeos diximus, non omnino abſolutam, perfectamque eſſe; namque cum volatilis alcali nullis acidis, aut aliis corporibus, quibus inuolui ſatis poſſit, nupti ea indoles ſit, vt lubenter in auram abeat, niſi atmoſphaerico aëri ad ipſum acceſſus fuerit denegatus, non poteſt, inquit Auctor, ſecus euenire, quin magna vrinoſi huius ſalis vis ex hoffmanniano liquore, in quo quippe ſaturatum acidis illud non ſit, ſenſim diſcedat, isque adeo minus efficax euadat; atque ita iacturam inſignem medicamentum pati manifeſtum eſt, quae tamen, auctore Noſtro, euitari poterit, ſi ammoniacale ſal, illudque in ſimplici deſtillata aqua ſolutum, tum demum reliquorum ſalium, et reſinoſo gummoſarum caſcarillae partium ſolutioni admiſcetur, quando a medicis fuerit hoffmannianus liquor praeſcriptus; etenim hanc optimam rationem eſſe cenſet, qua

p. 13.

p. 14.

effici

effici poſſit, vt euolutum volatile alcali omne cum reliquis liquoris partibus coniunctum maneat, ipſeque proinde liquor virtutibus ab eo repetendis non deſtitutus ſit. Ceterum videtur ESCHENBACHIO nitri et vitriolati tartari, quae in liquore ineſt, copia nimis exigua eſſe, quam vt, niſi magna liquoris ipſius portio pro vna doſi praeſcribatur, ſatis conſpicuis effectibus in humano corpore producendis ille par ſit. Hinc melius hac medicina aegrotis proſpici iudicat, ſi ea ſalinis partibus magis eſſet referta, ita vt in tribus aquae libris nitri ad minimum quatuor et vitriolati tartari tres vnciae continerentur. Neque vero mediorum tantum ſalium ad aquam rationem eſſe augendam, ſed caſcarillae etiam corticis, cuius in liquore illo ſpecifica virtus admodum fracta eſt atque debilitata, ad quamuis aquae libram vnciam vnam ſumendam arbitratur, quo medicamentum efficacibus partibus magis refertum, illudque adeo valitudini reſtituendae aptius poſſit obtineri. Sunt autem medicae vires, quibus hic liquor potiſſimum inſignis eſt, cum diluentes ac reſoluentes, tum neruinae, roborantes atque irritantes, easque partim a diſſolutis ſalibus, partim a reſinoſo-gummoſa caſcarillae corticis ſubſtantia habet. Quare profecto dubitandum non eſt, eum multis aliis, cum ſimplicibus, tum compoſitis medicamentis praeſtare, morbisque variis ſanandis, aut eorundem ſymptomatibus mitigandis, egregie conuenire.

p. 15.

p. 17.

Quanquam autem ex hac, quam de hoffmanniano liquore dedimus, relatione conſpicuum eſt, ipſum inter ſaluberrimas medicinas eſſe referendum, alter tamen ſalinus liquor, de quo Noſter in hoc libello egit, illo vtique efficacior exiſtimari debet; etenim eſt ille, qui nomen a LVDWIGIO fert, ſalinis partibus, quae cum humani corporis humo-

ribus coniunctionem lubenter ineunt, magis, quam Hoffmannianus, refertus, habetque praeterea medii ammoniacalis ſalis, illiusque vel ad ſubtiliſſima vaſa mox progredientis, quicquam admixtum, nec vergit ad alcalinam naturam, cet. hinc multis aegrotis, quibus hoffmannianus omnino non conuenit, alter
p. 24. ſane aptiſſimus eſt. Sequuntur autem pharmacopoei in hoc ludwigiano liquore praeparando rationem hanc, vt primum tartari tartariſati libram, et ſalis ammoniaci vnciam in tribus aquae ſimplicis libris ſoluant, hunc deinde liquorem vnciae vni fructuum aurantiorum immaturorum, eorumque quodammodo contuſorum, ſuperfundant, et in calidum locum reponant, vt, quicquid ſolubilis materiei his fructibus inſit, liquor in ſe recipere queat. Digeſtione rite peracta, a remanentibus faecibus tandem leni decantatione liquor ſeparatur, et ad medicos vſus in officinis ſeruatur. Partes ergo eiusdem ſunt neutrius omnino indolis, atque ex duobus acidis, tartari nimirum eſſentiali et muriatico, totidemque alcalinis ſalibus, fixo vegetabili et vrinoſo, ita mixtae, vt nec acidi cuiusdam, nec lixivi ſalis vlla portio veluti emineat. Praeterea reſinoſa, gummoſaque fructuum aurantiorum materies liquori huic ſimul ineſt, eaque cum ſalinis partibus arcte mixta deprehenditur, ita vt fere ſaponaceae indolis medicamentum inde prodeat, quod pituitae et ſtagnanti tenaci materiae reſoluendae, obſtructionibus canalium maiorum aut minorum reſerandis, ſolidis roborandis, peruerſis neruorum conſtrictionibus corrigendis, cet. aptum eſt atque idoneum. Morbos, quibus ſanandis potiſſimum hic liquor conuenire videtur, Noſter fortaſſis alio tempore deſcripturus eſt, ſimulque vtriusque huius ab ipſo commendatae medicinae cum aliis medicamentis coniungendae praecepta quaedam et exempla dabit.

XXVI.

XXVI.

De hydrophobia eiusque ſpecifico, meloe maiali et proſcarabaeo, praeſide IO. CHRISTL. KEMME, pro gradu doctoris publice diſputavit auctor CAROLVS TRAVGOTT SCHWARTS. Halae. Proſtat Lipſiae in bibliopolio I. G. Müllerіano, 1783. in 8. cum tabula aenea.

In plurimis contra aquae metum laudatis ſpecificis medicinis meloe maialis quum emineat, ipſaque haec medicina a probatiſſimis medicis ad auertendum hunc morbum valde commendetur, laudabili omni modo propoſito Noſter, hydrophobiae breui deſcriptione praemiſſa, non ſolum omnia paene, quae de hac medicina a probatiſſimis medicis dicta ſunt, collegit et in concinnum ordinem diſpoſuit, verum etiam proprias obſeruationes vtiliſſimas addidit, ſpecificam huius medicinae vim ad hunc morbum praecauendum praeclare confirmantes.

Primum de aquae metu a rabidi animalis morſu producto agitur. Periculum et *modum* morbi morſus diuerſitati varie reſpondere, veneni autem commorſis communicati vim eam eſſe, vt in diſpoſitis tantum aquae metum accendat. Caſus hydrophobiae poſt decimum, vigeſimum aut quadrageſimum, poſt morſum, annum valde dubios quidem eſſe, venenum tamen vtplurimum per aliquod tempus in corpore deliteſcere.

Quibus praemiſſis, de his, quae medico in canis rabidi morſu laeſis incumbant, agitur. Is eo adniti debet, vt ingreſſum veneni in corpus impediat, iam ingreſſum autem venenum quantocyus aut expellat, aut infringat, et ſtricturae neruorum medeatur.

In medicinis ad aquae metum laudatis PALMARII puluerem, in leuioribus casibus, aliquid valuisse, improbabile non est, idemque de Tunquinensi puluere valet, vtilia vero tantum haec remedia esse possunt, si morbi primordiis opponuntur. Belladonna eam ob caussam ad aquae metum valet, quod sudorem pellat, simulque cutaneos spasmos, e veneno inductos sopiat. Mercuriales medicinae non semper hydrophobiae futurae accessum impediunt. (nos XV homines a rabidis canibus commorsos, nulla saepe vulneris plane cura habita, solo vnguenti mercurialis vsu integerrimos ab hoc morbo praeseruauimus, neque vnquam haec medicina spem nostram fefellit) Commodius per vrinae vias venenum expellitur, ipseque meloe maialis vrinam potenter ciet. Specifica ad rabidi canis venenum medicina non datur; omnes hoc modo agunt, vt certas excretiones augeant.

Maialis meloe iam ex longo tempore a ruricolis in Silesia pro specifica ad rabidi canis morsum medicina habitus est, compositionemque ad hunc morbum auertendum efficacem Fridericus, Borussorum rex, anno 1777 a ruricola Silesio redemit redemtamque diuulgari iussit, quam maialis meloe et proscarabaeus potissimum ingrediuntur.

p. 25. Quamuis autem plura a Cll. viris prolata sint, quibus vis antihydrophoba huius insecti dubia redditur, quotidiana tamen experientia in Silesia effectus illius salutares comprobauit. Demorsi in patria hac Nostri terra a rabido cane non multum sibi a casu isto timent, sed vacui paene ab omni angore, tranquillo animo opiliones, qui meloen colligunt, adeunt, omnesque adhibita ista medicina sanantur.

p. 27. Nunc morborum historiae sequuntur, efficaciam meloes maialis probantes. Ipse Noster decimo

cimo aetatis anno miſere a rabido cane dilaniatus hac ſola medicina integerrime praeſeruatus eſt. Effectus medicinae, quos in ipſo corpore ſuo obſeruauit, valde notabiles ſunt. Vix horae ſpatio a ſumto remedio elapſo ſenſit primum dolorem obtuſum in lumbis, quem paulo poſt vix tolerabilis ſtranguria ſequebatur, ita vt lotium ſpiſſum, quaſi mucilaginem gummi alicuius, vel oleum referens, guttatim fere, per totius diei longitudinem, continuo, cum doloris acerbiſſimo ſenſu deſtillaret; ſanguinis vero ne vllum quidem veſtigium obſeruari potuit; natarunt potius inter multas aerumnas excretae exiguae guttulae in matula diſcretae, de quo ſymptomate, feliciſſimum morbi exitum praeſagiente, omnes Noſtro gratulati ſunt.

Puella morſu laeſa hac medicina ſanata eſt, p. 32.
ſymptomatibus hydrophobiam proxime antecedentibus iam praeſentibus. Aliae obſeruationes plures eundem remedii effectum feliciſſimum probantes recenſentur.

Et in iumentis morſu laeſis, vaccis inprimis, medicina efficaciſſima fuit.

Medicamentum adhibendi modus varius eſt. p. 50.
Opiliones in Sileſia meloen proſcarabaeum vernali tempore colligunt, capite truncant, melli immergunt, ſicque enectos vermes in vſum ſeruant. Exhibent vermes minutim cum melle tritos cum theriaca, ſcorpionum oleo, aut meloes oleo per infuſionem parato. Quidam et radicis valerianae phu, agrimoniae, pimpinellae albae, viſci querni etc. puluerem electuario adiiciunt. Princeps tamen medicinae virtus a meloe pendet.

Tabula aenea ad finem operis addita eſt, coloribus eleganter diſtincta, eaque delineatos ſiſtit meloes *maialem* et *proſcarabaeum*.

XXVII.

Noua phyſico-medica.

Auſpiciis Auguſtae CATHARINAE II, ſcientiarum atque artium promotricis maximae, Academia ſcientiarum *Petropolitana*, dirigente Illuſtriſſima Principe DASCHKAW, ab intimis Auguſtae cubiculis et ordinis S. Catharinae equite, in conuentu publico, die 10 octobris MDCCLXXXIII habito praemium quaeſtioni aſtronomicae *) *de motu diurno telluris* etc. propoſitum ſic diſtribuit, vt idem partiretur atque duobus commentariis tribueretur. Dimidiam partem accepit Cl. IOANNES FRIDERICVS HENNERT, Profeſſor Matheſeos Vltraiectinus, auctor diſſertationis, cuius ſymbolum erat: *Felix qui potuit rerum cognoſcere cauſſas.* Altera praemii pars tractatui, cum ſymbolo: *Dies et menſis, et annus, ſeculaque, et poſitae ſpatiis aequalibus horae:* concernebatur, eiusdem auctor eſt M. PAVL FRISI, Profeſſor Matheſeos Milani.

Deinde problema ſequens in annum MDCCLXXXV propoſuit, atque de eo ſequentia ſcripſit: Geographiae phyſicae ſtudium noſtris quidem temporibus, in omnibus fere Europae regionibus, magni aeſtimatur eaque ſolertia colitur, vt nec alpium glacies perpetua, rupiumue aſperitas, nec vulcanorum antra igniuoma et profundiſſimarum fodinarum tenebrae naturae ſcrutatoribus obicem ponant, quin ſumma montium iuga aeque ac viſcera terrae oculis ſuis luſtrent, vbiuis noua et miratu digna naturae phaenomena obſeruantes, quae artificioſam machinae terreſtris fabricam, vi omnipotentis adornatam, praeclare demonſtrant et illuſtrant. Mutationum praeterea, quas globus terraqueus per tot ſaecula ſubiit, veſtigia, in montibus expreſſa depre-

*) vid. comm. noſtr. Vol. hui. P. I. p. 161.

deprehenduntur, quae libri ſcripti vices gerunt, in quo, tacente omnium temporum hiſtoria, praecipuae naturae epochae literis quaſi conſignatae legantur. Ipſa nimirum ſaxa non omnia eiusdem ſunt vetuſtatis. Dantur recentiora; dantur etiam, quae antiquioris originis certa praebent indicia, cum alia forſan mundo coaeua cenſenda ſint. Si geneſin eorum ſpectas, non minorem ea intercedere differentiam inuenies; cum alii lapides ope ignis, alii via humida prodierint, nonnulli quoque alternas Neptuni et Vulcani vires experti ſint. Harum rerum notitia, ſi vel ſolus fructus eiuſmodi inueſtigationum eſſet, magni ſane haberi et digna cenſeri oportet, quae ab homine, ratione praedito, vt opera Creatoris admiretur, aſſidue quaeratur. Iam vero inſigni quoque vtilitate hoc ſtudium ſeſe commendat, et noſtris commodis vario modo inſeruit. Nimis amplus nobis daretur campus excurrendi, ſi praeſtantiam atque vſum eiusdem, ab omni verſu, vt aiunt, conſiderare et hic exponere vellemus. Miſſis igitur reliquis omnibus argumentis, quae ad propoſitum noſtrum non pertinent, id ſolum attuliſſe ſufficiat, quod venarum metallicarum exploratio et effoſſio, lucri quid foeneratura, tota quanta a recta et vera cognitione montium pendet, quam Geographia phyſica tradit. Illa metallicolis ſane filum Ariadneum praebet, vel ſaltem praebere debet, cuius ductu felici ſucceſſu laborem inſtituant, quo autem neglecto terrae gremium empirice perfodiant et metallicis diuitiis, ibi deliteſcentibus, non niſi caſu quodam fortuito potiantur, nautis ſimiles, qui, pyxide magnetica carentes, ventis vela dare et quoquouerſum mare ſulcando portum quaerere tentarent. Obſeruatum eſt (vt vnico exemplo res illuſtretur) nonnulla ſaxorum genera, prae reliquis, huic vel illi metallo

magis fauere; ſunt quoque prognoſes, ab indole petrae, cui minera metallica inhaeret, depromtae, quae maiorem vel minorem eius copiam pollicentur. Maxime igitur e re eſt, vt ſaxa probe cognoſcantur. Fateri autem cogimur, hanc partem mineralogiae nondum plane elaboratam et omni numero abſolutam eſſe; tot enim exſiſtunt lapides ſic dicti aggregati, tam varia particularum diuerſarum in his commixtio et proportio, vt facile inter ſe aut confundantur, aut abſque ratione diſtinguantur; vnde diſſenſus auctorum et obſeruationum haud raro oritur mere verbalis, cum vnum idemque ſaxum diuerſis nominibus ſalutatur, vel vice verſa, quae maxime differunt, pro congeneribus ſumuntur. His et aliis rationibus mota, Academia Imperialis ſcientiarum rem et phyſicis et metallurgis gratam vtilemque ſe facturam ſperat, dum publico eruditorum omnium gentium examini et ſcrutinio (ſolis exceptis Academiae Imperialis ſociis, Petropoli habitantibus, quibus nunquam palma Academiae tribuitur) argumentum arduum quidem, ſed magni ponderis, proponit, quod ſi quis rite enodauerit, quantum hodierna fert ſcientiae conditio, ideoque Academiae deſiderio, caeteris concurrentibus plenius ſatisfecerit, praemium centum nummorum aureorum, quos vulgo Ducatos vocant, accipiet. Problema vero eſt:

„*Accuratam ac naturalem methodum ſaxorum,*
„*quae corticem telluris conſtituunt, ſecundum gene-*
„*ra, ſpecies et varietates diſpoſitam, ita elaborare,*
„*vt ſinguli lapides aggregati vel mechanice mixti*
„*in montibus et ſtratis terrae obuii, non modo cri-*
„*teriis certis, tam externis quam chemicis, et ne-*
„*minibus fixis (absque inutili tamen receptorum*
„*nominum innouatione, quae confuſionem commu-*

„*nter*

„*niter parit*) *tutius ac facilius, quam antea licuit,*
„*a ſe inuicem diſtinguantur; verum etiam ratione*
„*originis ſuae et vetuſtatis diuerſae; prout hac*
„*vel illa naturae operatione, ſub variis geocoſmi*
„*mutationibus, ſerius otius producti ſint, in claſſes*
„*diſtribuantur, ſimulque annotetur, cui metallo*
„*haec vel illa petra inprimis ſe matricem praebeat;*
„*adiectis obſeruationibus mineralogicis fide dignis,*
„*quae diuiſionem et reliqua aſſerta probant atque*
„*confirmant.*„

Rogantur omnes, qui cogitata et obſeruata ſua Academiae iudicio ſubmittere velint, vt diſſertationes ſuas literis diſtinctis, idiomate Roſſico, Latino, Germanico vel Gallico conſcriptas, ante Calend. Iulii anni MDCCLXXXV ad Acad. Imp. Scient. Secretarium IOANNEM ALBERTVM EVLER, transmittant; quae enim ſcripta praeterlapſo hoc tempore aduenerint, praemio ornari nequeunt. Nomina ſua auctores non ipſis diſſertationibus adſcribant; ſymbolo aut ſententia quadam potius diſcernendis. Adiungatur vero ſchedula obſignata, extus eodem ſymbolo, intus nomine Auctoris notata; quo facto a Secretario Academiae Syngraphan cum numeri, ſub quo diſſertatio fuerit repoſita, ſignificatione, accipiet auctor quilibet, dummodo locum, ad quem ea dirigenda ſit, indicauerit. Iudicium Academiae in primo poſt terminum praefixum conuentu publico enunciabitur.

Regia *Gottingenſis* ſcientiarum ſocietas in ſolemni conuentu, die 29 nouembris 1783 habito, praeter alia, de quaeſtionibus praemio expoſitis haec retulit. Quaeſtio primaria, *rem metallicam veterum* concernens *), nondum quidem omnino

*) vid. comm. noſtr. Vol. XXIV. p. 169.

reſoluta et diſcuſſa eſt ab auctoribus miſſarum diſſertationum. Interim ex quinque, quos receperat ſocietas, tractatibus duo eidem digni viſi ſunt, qui praemii dimidia parte ſinguli coronarentur. Altera cum ſymbolo: *Mein Wiſſen iſt Stückwerk*, ſtudioſe conquiſitas de ratione, qua veteres in fodiendis et tractandis metallis vſi ſunt, relationes cum inſigni rerum montanarum peritia tradit, atque iuxta experimenta recentiorum oſtendit, quoad ex iis aliquid ad rem noſtram metallicam vtiliter adhiberi poſſit. Auctor eiusdem, aperta ſchedula cognoſcebatur, Cl. DE FLORENCOURT, ſocietati litterarum commercio iunctus. Altera cum epigrapho: *In rebus antiquis;* diligenter et docte relationes veteres collectas, chronologico ordine diſpoſuit, atque ſic hiſtoriam monticulturae per plures periodos tradidit. Huius auctor eſt Cl. D. REITEMEIER. Societas ambas has diſſertiones, vti et reliquas tres dignas cenſet, quae publici iuris reddantur.

Caeterum de commentariis, qui ſuper propoſita quaeſtione *de remediis efficaciſſimis contra inſecta lignum deſtruentia, e. g. Dermeſtem typographum, piniperdam, et ſimiles*, ad Eam miſſi ſunt, iudicium in alium conuentum diſtulit: ac quaeſtionem *de natura alcali mineralis et lixiuioſi*, in novembr. anni 1784 propoſitam, repetiit. Deinde in nouembrem anni 1785 hanc propoſuit mathematico-phyſicam quaeſtionem: *Ex legibus, quibus denſitas aëris et mercurii a calore regitur, praecepta condere, et demonſtrare, altitudinibus barometro menſurandis idonea.*

Praemium eſt 50 numorum aureorum. Commentarii ante ſeptembris vltimum diem ad Societatem mittendi ſunt. Quaeſtiones oeconomicas omittimus.

Aca-

Academia Regia ſcientiarum *Pariſina*, quamquam ad quaeſtionem, quae analyſin ſalis marini attinebat *), plures tractatus recepiſſet, tamen nulli eorum praemium decernendum eſſe iudicavit. Etenim in aliis tentamina propoſita ſunt imperfecta, neque completam ſalis marini decompoſitionem aſſequuntur, alia, quae maxime votis academiae reſpondent, nihil habent, niſi quae iam ſcriptis Germanicis publici iuris facta, et in ſalinis Londinenſibus iam in vſum ducta ſunt. Quapropter idem argumentum et praemium 2400 librarum Gallicarum in annum 1785 proponit Academia. Auctores, qui iam tractatus ad eam miſerunt, noua tentamina ſupplementorum inſtar ſuppetere poterunt. Commentarii mittantur ante feſtum Paſchatos cognitis et ſupra **) propoſitis legibus ad Academiae Secretarium.

Eadem Academia cum ad quaeſtionem *de vaſis lymphaticis* ***) vnum tantum receperit tractatum, qui votis Academiae plane non ſatis fecit, huius quaeſtionis ſperatam reſolutionem nunc mittit, et quaeſtionibus ſequentibus praemia propoſuit. Primum praemium deſtinatum eſt *optimae deſcriptioni nerui intercoſtalis in homine.* Optat Academia, vt exacte naturae reſpondeat deſcriptio, vt neque ramificationes imaginarias addant, neque ramulos nerui quosdam negligant Auctores. Non opus eſt icones addere, ſi modo deſcriptio clara fuerit ac perſpicua; etſi maius pretium illae ipſae conciliabunt exactae deſcriptioni. Alterum praemium proponitur *optimae deſcriptioni nerui intercoſtalis in animalibus*, praeſertim in *ſimiae* quadam ſpecie, in cane, oue, gallopauone, rana et cyprino.

Aeque

*) vid. comm. noſtr. Vol. hui. Part. I. p. 165.
**) vid. ibid.
***) vid. ibid. Vol. XXIV. p. 360.

Aeque tamen, ſi vel *ſimiae* anatomica deſcriptio defuerit, ſi modo reliquorum nerui curate fuerint deſcripti, praemio participes fiant tractatus. Poterunt etiam addere Auctores aliorum animalium quoad neruum hunc deſcriptiones, atque ex arbitrio Auctorum pendebit, vtrum icones addere, vel omittere velint.

Commentarii ad vtramque quaeſtionem mittantur ante vndecimum diem nouembris, anni 1785, ad Academiae Secretarium. Praemium, quorum ſingulum eſt 1500 libr. Gallicarum in conſeſſu paſchali 1786 diſtribuetur.

Societas medica *Pariſina* in annum 1785 ſequentem quaeſtionem propoſuit: *Quaenam eſt natura et cauſſa morborum, quibus ii operarii expoſiti ſunt, qui ſtannum tenuiſſime cuſum et amalgamiſatum vitro ſpeculari inferunt? Quaenam optima eſt methodus, eosdem ab his morbis defendendi, fiat hoc, vel phyſicis, vel mechanicis remediis?* Commentarii ante calendas ianuarii 1785 mittantur ad Cl^um^ VICQ D'AZYR, Secretarium ſocietatis.

Academia ſcientiarum, artium et humaniorum litterarum *Diuionenſis* in annum 1785 ſequentem propoſuit quaeſtionem: determinentur ſigna, quibus, poſt apparitionem febris continuae aut intermittentis, cognoſci queat, vtrum ea futura ſit maligna, illaque, quae in decurſu harum febrium indicabunt momentum temporis, quo malignae febris indolem nanciſcuntur (*Déterminer les ſignes auxquels, dès le début d'une fiévre continue ou intermittente, on reconnoitra ſi elle ſera maligne, & ceux, qui dans ſon cours indiqueront le moment où elle ſera ſur le point de prendre un caractere de malignité.*)

Praemium optimae diſſertationi propoſitum eſt moneta aurea 300 librarum gallicarum. Commentarii

tarii mittantur, legibus consuetis, ad Cl^um MARET, Med. Doct. qui continuo est a secretis Academiae. Caeterum praemium duplex reseruat eadem Academia *optimae theoriae ventorum* adiudicabitque optimae dissertationi, quae quocunque tempore ad Academiam missa fuerit. Solutionem quaestionis *super saponibus acidis* *) prolongatam vsque ad diem 13 nouembris anni 1784 assumet. Si autem tum spe frustrata fuerit, huic quaestioni non amplius inhaerebit, sed praemio huic aliam quaestionem destinabit.

Academia *Rothomagiensis* regia scientiarum, humaniorum litterarum, et artium in consessu publico, mense augusti 1783 habito, praemium commentario, super vi medica magnetismi et electricitatis ad quaestionem anno 1782 propositam **) scripto illi, cuius symbolum erat: *Est modus in rebus, sunt certi denique fines* etc. decreuit. Etsi enim, quoad magnetismum, quaestionem non magis, quam in aliis tractatubus, in eo resolutam inueniret; tamen electricitatis effecta, et morbos, in quibus vel ea adhibenda, vel cauenda sit, ex voto descripta animaduertit. Doluit itaque, Auctorem in schedula adiecta, praeter primam nominis litteram M. nihil de se cognitum feciſſe: vt ergo Academia praemium retinere coacta sit, donec Auctor iusto modo nomen suum Academiae indicauerit.

Quaestionem, quam super signis characteristicis terrarum argillosae, aluminosae, siliceae et aliarum alio tempore proposuit, cum vnus tantum tractatus, qui tamen non omnino votis Academiae satis fecerit, attentione dignus fuerit, in annum 1784 repetiit, Auctoremque dicti tractatus cum symbolo:

*) vid. ibid. Vol. lui. p. 342.
**) vid. ib. Vol. XXIV. p. 718.

lo: *Viſcera eius extrahimus* etc. hortatur, vt, quae deſint ſuo tractatui, ſupplementorum inſtar ad Academiam mittat. Eſt autem quaeſtio ipſa haec: Definiantur characteres diſtinguentes terras argilloſam, aluminoſam, ſiliceam, et alias, quae a chemicis hactenus terrae vitreſcentes dictae ſunt: ita vt ex his diſtinctionibus phyſicis et chemicis vtilitas redundet ad agriculturam, aliasque artes, fullonicam, figilem vaſa porcellanea fingentem, et vitrariam. (*Etablir le mieux les caracteres diſtinctifs entre les diverſes terres, argilleuſe, alumineuſe, quarzeuſe & autres, que les Chymiſtes ont juſqu' à préſent confondu ſous le nom de terres vitrifiables; enſorte que de ces diſtinctions phyſiques & chymiques bien établies, reſultent des connoiſſances utiles à l' Agriculture & à differents arts, telle que la Foulerie, la Poterie, la Fayencerie, la Porcelaine, la Verrerie &c. dont pluſieurs ſont cultivés avec ſuccès à Rouen & font une partie du commerce de cette ville.*) Aliud praemium expoſitum eſt tractatui, in quo *hiſtoria naturalis, phyſica et medica Normandiae* optime deſcripta fuerit.

Tractatus, qui has quaeſtiones concernunt, mittantur ad academiam ante calendas iunii anni 1784 ſolutis vectigalibus ad Cl. HAILLET DE COURONNE, qui ſocietati eſt a litteris.

Nouum eſt vtique inuentum, vel ſaltem noua eſt theoriae cognitae applicatio, qua nuper fratres DE MONTGOLFIER inclaruerunt, vel aëre vaporibus rarefacto, vel aëre inflammabili globos ſericos, *machinas aëroſtaticas* dicunt, implere, qui tum ſponte aëra adſcendant, tranent, atque magna etiam ſatis pondera ſecum tollant. Tantam admirationem, tantumque applauſum nactum eſt ipſum hoc inventum, vt per omnem fere Europam tentamina aëroſtatica inſtituerentur, atque vt quidam ex Gallis,

lis, nempe Clariſſimi ROZIER, D' ARLANDES, CHARLES et ROBERT ſe ipſos his machinis attolli auderent, atque ſatis longum et altum ſpatium per atmoſphaeram felici cum ſucceſſu tranarent. Hiſtoriam huius inuenti optime tradidit Cl. FAUJAS DE ST. FOND, in libro, cuius titulum ſubiungimus *). Primum atque praecipuum, quo hae machinae etiamnum carent, eſt remedium aliquod has machinas ex arbitrio dirigendi. Quapropter Academia ſcientiarum, humaniorum litterarum et artium *Lyonenſis* praemium 1200 librarum Gall. cuius diſtributio eidem a perill. DE FLESSELLES et DE SAINT-VINCENT tradita eſt, decreuit commentario, in quo methodus tutiſſima, atque facillima, efficaciſſimaque indicabitur, machinas aëroſtaticas iuxta voluntatem dirigendi; (*Indiquer la manière la plus ſûre, la moins diſpendieuſe & la plus efficace, de diriger, à volonté, les machines aéroſtatiques.*)

Optat Academia, vt Auctores non ſolum dogmata exponant, ſed etiam ipſa adminicula indicent, et vel ſchemate, vel imagine illuſtrent, ipſaque experimenta referant, quo repeti poſſint. Si Auctores experimenta ipſi inſtituere velint, in praeſentia Commiſſariorum Academicorum hoc fiat. Caeteras cognitas conditiones mittimus. Tractatus mittantur ante calendas ſeptembris anni 1784, ſolutis vectigalibus, vel ad perill. DE FLESSELLES, vel ad Cll^os DE LA TOURRETTE et DE BORY, qui Aca-

*) Deſcription de la machine aëroſtatique de M. M. MONGOLFIER & de celles aux quelles cette decouverte a donné lieu, par M. FAUJAS DE SAINT FOND, à Paris. 8. av. fig. Breuior relatio et expoſitio factorum traditur in libro, cui titulus: *Montgolfierſche Luftkörper oder aëroſtatiſche Maſchinen, eine Abhandlung, worinn die Kunſt ſie zu verfertigen und die Geſchichte der bisher damit angeſtellten Verſuche beſchrieben werden von* FR. L. EHRMANN, *Strasb.* 8.

Academiae ſunt a litteris, vel ad *Aimé de la Rothe*, typographum Academiae. Diſtribuetur praemium menſe decembris anni 1784.

Academia ſcientiarum et humaniorum litterarum *Montalbanenſis*, in conſeſſu die 25 auguſti 1783 praemium, quod quaeſtioni phyſico-oeconomicae *de conſeruatione frumenti atque defenſione ab inſectis, praeſertim curculione granario*, deſtinaverat, diſſertationi tribuit, cuius ſymbolum erat: *Vis vnita fortior.* Auctor eius eſt Cl. BERTHOLON DE SAINT LAZARE, membrum plurium Academiarum, et Profeſſor phyſices experimentalis ſtatuum Languedociae, qui non ſolum quaeſtionem diligenter diſcuſſit, et remedia iam propoſita examinauit, eorumque impotentiam demonſtrauit; verum etiam noua tuta et facilia ſuaſit, quibus non ſolum inſecta in frumento praeſentia deſtruantur, ſed, quo minus ad granaria accedant, etiam impediantur.

Praemium acceſſorium (*l'acceſſit*) commentario cum ſymbolo: *populatque ingentem farris acervum curculio:* datum eſt.

Societas Belgica ſcientiarum *Harlemenſis* in conſeſſu, maio 1783 habito, quaeſtionem, *de natura exhalationum marinarum* *) propoſitam, cum vnam tantum, neque quaeſtioni ſatis conuenientem, acceperit reſponſionem, reclamauit. Poſtea autem, duobus ſuper quaeſtione *de gradatione corporum naturalium* ad eam miſſis commentariis ad examen reuocatis, nondum autem omnino votis ſocietatis reſpondentibus, hanc quaeſtionem repetiit, vt ante annum 1786 ad eam reſponſiones ſocietati transmittantur: ſimulque indicat ſocietas, ſe nullas metaphyſicas diſcuſſiones optare, ſed velle, vt ex hiſtoria

*) vid. comm. noſtr. Vol. XXIII. p. 525.

ſtoria naturali quaeſtio dilucidetur. Quae quidem quaeſtio ipſa haec eſt: Quodnam eſt iudicium ferendum de gradatione, quam plures philoſophi, cum veteres, tum recentes, inter corpora naturalia ſtatuerunt, et ad quemnam certitudinis gradum vera praeſentia huius gradationis atque ordinis, quem natura in eadem obſeruat, cognitio noſtra adduci poteſt? (*Que doit on penſer de la gradation, que pluſieurs philoſophes, tant anciens que modernes ont admiſe entre les êtres naturels, & juſqu' à quel point pouvons nous parvenir à nous aſſurer de la réalité de cette gradation & de l' ordre, que la nature y obſerve?*)

Praeterea ſocietas has quaeſtiones prima vice propoſuit, ad quas ante annum 1786 reſponſiones exſpectat. 1) Quoad CRAWFORDI theoria de igne et calore experimentis confirmari, vel refelli poteſt? atque, ſi experientia vel omnino, vel ex parte, veritatem huius theoriae probat, quid confert illa ad naturam ignis declarandam, meliusque intelligendam? (*Juſqu' où peut-on adopter ou rejetter par des experiences la theorie du Docteur* CRAWFORD, *touchant le feu & la chaleur & ſi l' experience prouve en totalité ou en partie la verité de cette theorie, quels progrès nous fait-elle faire dans la phyſique du feu?*)

Optat ſocietas expoſitionem perſpicuam, experimentis illuſtratam: atque, ſi inſtrumentis admodum perfectis ad experimenta haec inſtituenda opus eſt, de modo, quo his inſtrumentis potiri, eademque experimenta repetere queat, relationem.

2) Quanam ratione condenſator, a Cl° VOLTA inuentus, atque neceſſarius apparatus, conſtruendus et adhibendus eſt, ad electricitatem atmoſphaerae methodo tutiſſima et facillima explorandam: et quinam optimus eſt electrometer, quo gradus electricitatis obſeruari poſſit: ſic vt quotidianis

meteorologicis obſeruationibus mutationes quotidianae electricitatis atmoſphaerae, praeſertim in Belgio, adiungi queant? (*De quelle façon le Condenſateur inventé par Mr.* VOLTA *& l' autre appareil requis doit être conſtruit & employé pour eſſayer l' Electricité de l' atmoſphère de la manière la plus ſûre & la plus aiſée, & quel eſt le meilleur Electromètre, par le quel on puiſſe obſerver le degré de l' Electricité; afin que l' on ſoit en état d' ajouter aux obſervations-météorologiques journalières, les changemens journaliers de l' Electricité de l' atmoſphère, ſurtout dans les Pays-bas?*)

Ad hanc quaeſtionem commentarii mittantur ante calendas ianuarii 1785.

3) Quaenam ſunt obiecta ex hiſtoria naturali Belgii, e quorum diſquiſitione diligentiore vtilitas ad Belgium et ſocietatem humanam aliqua redundet? (*Quels ſont les objets de l' hiſtoire naturelle des Provinces-unies, au ſujet des quels on a lieu de ſe flatter, que des recherches plus exactes pourront procurer quelque utilité à notre patrie & à la ſociété humaine?*)

Non ſolam nomenclaturam corporum naturalium, ſed etiam expoſitionem cauſarum, cur haec corpora vtilia futura ſint, optat ſocietas. Commentarii ante anni 1785 initium mittantur.

Ex legato Cl^i KOPS proponit has quaeſtiones: 1) deſcribatur apparatus inſtituendis experimentis ſuper aëre condenſato maxime idoneus: (*Une deſcription de l' appareil le plus propre à faire des expériences ſur l' air condenſé, de la façon la plus commode & la plus aſſurée.*) 2) Inquiratur cum hoc apparatu in actionem aëris condenſati diuerſis in caſibus, habita praeſertim ratione vitae animalis, incrementi plantarum, et inflammabilitatis variarum aëris ſpecierum: (*de rechercher avec cet appareil*

reil l' action de l' air condenſé dans des cas différens, de s' occuper entr' autres de la vie animale, de l' accroiſſement des plantes, & de l' inflammabilité des differentes eſpèces d' air.)

Quaeſtio denique praemio a ſocietate Batauiae congregata oblato propoſita, ad quam ante anni 1788 initium reſponſiones exſpectantur, haec eſt: Quibusnam diaeteticis praeceptis, theoria fundatis, et experientia confirmatis, poteſt ſanitas eorum conſeruari, qui, Indias orientales iter facientes, noxios effectus mutationis climatis et vitae generis experiuntur? Poſſuntne, praeter regulas generales, indicari ſpeciales, diuerſis claſſibus individuorum, quibus applicandae ſunt, adaptatae? (*Par quelles règles de conduite, fondées ſur la theorie, & confirmées par l' experience, pourroit-on conſerver la ſanté de ceux qui, faiſant le voyage des Grandes-Indes, éprouvent les effets pernicieux d' un changement extréme de Climat & de façon de vivre? Indépendamment des règles générales, pourroit-on en indiquer de particuliéres, qui varieroient ſuivant les différentes claſſes des individus, auxquels on devroit les appliquer?*)

Commentarii, Belgice, Latine aut Gallice ſcripti, mittantur, legibus conſuetis, ſolutisque litterariis ſumtibus, ad Cl^um^ VAN DER AA, ſocietatis Secretarium. Praemium eſt moneta aurea, cogniti valoris.

Argentorati in locum b. SPIELMANNI ſucceſſit Cl. et Exper. HERRMANN, Profeſſor Chemiae, Botanices, et Materiae medicae ordinarius creatus eſt. Exper. LOBSTEIN, cum propter morbidam corporis naturam anatomico theatro amplius praeeſſe non poſſet, Pathologiae docendae munus ſuſcepit, atque Excell^o^. ROEDERER Profeſſio Anatomiae et Chirurgiae ordinaria tradita eſt.

Cl. MOHRENHEIM, Med. Doctor, ab Augusta Russorum Imperatrice Consiliarius aulicus et Professor Chirurgiae practicae et artis obstetriciae, cum salario 2000 imperial. Russicorum quotannis, nominatus est.

Cl. FRANK, Archiater episcopi Bruchsalensis, Gottingam vocatus, illic Professor medicinae factus est.

Cl. WITTWER, Med. D. praxin Norimbergae exercens, tertium in facultate medica Altdorfina locum nactus, atque illic Professor medicinae dictus est.

Experientissimus COTHENIVS, Consil. intim. et Archiater regius, Director Collegii superioris medici Berolinensis, et Exp. ROLOFF, Archiater Reginae, Decanus eiusdem collegii nominatus est.

Cl. CHRISTOPH. KNAPE, Med. D. Berolini nominatus est Professor Anatomiae in Collegio medico chirurgico.

Cll[i] HELLFELDT et FVCHS, Medicinae Doctores, in vniuersitate Ienensi Professorio munere extraordinario ornati sunt.

Experientissimus et Cl. WEICKARD, Archiater Fuldensis, a Russorum Imperatrice Augusta *Petropolin* vocatus et Eiusdem Archiater denominatus isthuc profectus est.

Ill. et Celeb. GRVNERVM, Consiliarium aulicum, Med. Doctorem et Professorem Ienensem, societas scientiarum Vliessingensis socium sibi adiunxit.

Iussu Regis Borussorum FRIDERICI II. Cl. LAVRENTIVS CRELL, a Consiliis montanisticis et Professor Helmstadiensis, in numerum membrorum exterorum regiae *Berolinensis* Academiae receptus est.

Excell. LEONH. FRID. MÖNNICH, Professor Matheseos et Physices Francofurti ad Viadrum, a Rege Borus-

Boruſſorum Berolinum vocatus atque Conſiliarius ſuperior rerum montaniſticarum (*Oberbergrath*) nominatus eſt, et ſalario 800 thalerorum quotannis remunerabitur. In eius locum ſucceſſit Cl. CHRIST. ERN. WÜNSCH, Med. Doctor Lipſienſis, variis ſcriptis mathematico-phyſicis commendatus.

Experientiſſ. LENTIN, artem medicam *Clausthali* exercens, in locum demortui SCHAEFERI, M.D. Lüneburgum vocatus, atque ibidem Poliatri munus ſuſcepit.

Cl. D. VOLTELEN Profeſſoris Chemiae in academia Lugdunenſi munus adiit.

Mortui ſunt:

Sub finem anni 1782, Vratislauiae, MICHAELIS MORGENBESSER, Med. D. Collegii medici Vratislauienſis Senior et Decanus, clarus ſcriptis ſolidis et de patria vrbe praxi felici bene meritus.

Die 10 auguſti, anni 1783 Gieſſae Cattorum, IO. PHILIPPVS BERCHELMANN, Medicinae Doctor et Conſiliarius aulicus, qui variorum medicorum libellorum auctor eſt.

Die 14 octobris, anni 1783, Lutetiis Pariſiorum, Exp. SANCHEZ, Med. D. natus anno 1699, variis inuentis et ſcriptis medicis clarus, relicta opera manuſcripta Cl. ANDRY publici iuris reddet.

Die 18 nouembris, anni 1783, Lipſiae, D. ANTON RIDIGER, Profeſſor Chemiae ordinarius, anno aetatis LXIII.

Die 13 decembr. anni 1783, PETR. WARGENTIN, Eques de ſtella boreali, et Academiae ſcientiarum Holmienſis Secretarius primus, anno aetatis 66.

Die 31 decembris, anni 1783, Lugduni Batauorum Cl. VAN DOEVEREN, Profeſſor Medicinae et artis obſtetriciae.

Menſe ianuarii, anni 1784, Witebergae, Cl. ZEIHER, Med. D. et Profeſſor Aſtronomiae.

Die 3 februarii, anni 1784, Cl. CHRISTIAN LVDWIG, Philoſophiae et Medicinae Doctor, ſocietatis oeconomicae Lipſienſis ſodalis, atque collegii minorum principum collega. Natus erat anno 1749, d. 12 maii, atque in phyſica docenda praeſertim multum ſtudii poſuit. Scripſit anno 1773 diſſertationem *de aethere varie moto, cauſa diuerſitatis luminum*, in 4. et diſſ. *de hydrope cerebri puerorum*, 1774. 4. Praeterea in linguam Germanicam tranſtulit PRIESTLEYI tentamina et obſeruationes ſuper variis aëris generibus.

Die 18 februarii, anni 1784, D. PET. IO. MACQUER, Profeſſor quondam Facultatis medicae, Cenſor regius, Profeſſor Chemiae, membrum Academiae reg. Pariſinae et Societatis regiae medicae etc. variis et doctis chemicis ſuis operibus praeclarus.

Die 27 martii, 1784 Lipſiae, D. ANTON GVILIELMVS PLAZ, Profeſſor Therapiae ordinarius, Facultatis medicae Decanus, Academiae et nationis Saxonicae Senior, Collega collegii maiorum principum, atque Academiae Decemuir. Natus erat Lipſiae, anno 1708. Scripta botanica et medica, praeſertim diſſertationes et orationes, concinno latino ſermone ſunt celebrata.

XXVII.

Continuatio indicis ſcriptorum phyſico-medicorum, quae anno 1778 prodierunt.

I. I. REICHARDI flora Moeno-Francofurtana enumerans ſtirpes circa Francofurtum ad Moenum ſponte creſcentes, P. II. Francof. 8.

Abhandlung vom Blitze und Donner, von HEINR. REIMARVS, *Hamburg.* 8.

Vorſchriften zur Anlegung einer Blitzableitung an allerley Gebäuden, von I. A. H. REIMARVS. *Hamb.* 8.

Kurzer

Kurzer Unterricht für die Hebammen und Wöchnerinnen in Städten und auf dem Lande, von TH. REINDEL, *Eiſenach.* 8.

M. F. REITEMEIER diſſ. de cautelis circa remediorum, praecipue euacuantium vſum, in morbis vel ſub initio morborum, Gotting. 4.

Obſervations intereſſantes en faveur de la ſection de la ſymphyſe du pubis ouvrage dont le but eſt, de repondre à un Memoire des Medecins & Chirurgiens d'Arcos, intitulé Examen des faits relatifs à cette operation &c. qui a été diſtribué le 23 mai & de ſervir de ſuite aux recherches hiſtoriques & pratiques ſur la même matière de Mr. LEROY par Mr. RETZ, à Paris. 8.

Obſervations philoſophiques ſur le ſyſtême de NEWTON, le mouvement de la terre & la pluralité des mondes; dialogues des morts ſur le ſejour des vivans, avec une diſſertation ſur les tremblemens de terre, les epidemies, les orages &c. par FLESCIER DE REVAL, à Paris. 12.

G. F. REÜLING caſus nonnulli de vlceribus pedum et eximia nitri in iisdem ſanandis efficacia, Gieſſ. 4.

C. F. REVSS de ſale ſedatiuo Hombergii, Tubing. 4.

Hiſtoire naturelle, civile & politique des Tonquin, par Mr. l'abbé RICHARD, à Paris, II. Vol. 12.

RICHTER opuſcula medica (*v. comm. noſtr. Vol. XXIV. p.* 533.)

A. G. RICHTER diſſ. de agarico quaedam exhibens, Gotting. 4.

EIVSD. *chirurgiſche Bibliothek, 4ter Band, 3tes und 4tes Stück, ib.* 8.

IO. RIEMS *phyſikaliſch ökonomiſche Bienenbibliothek, 3ter Theil, Breslau.* 8.

EIVSD. *geprüfte Grundſätze der Schleſiſchen Bienenpflege, ib.* 8.

IO. ANDR. RINDER de linguae inuolucris, Strasb. 4.

Herrn DARACH DE LA RIVIERE *wohlgegründeter Urinſpiegel. Aus dem Franzöſiſchen, Augsburg.* 8.

Traité de la ſphere, avec l'expoſition des differens ſyſtémes du monde. Par Mr. ROBERT, à Paris. 12.

CARL LE ROI *von den Vorherſagungszeichen in ſchmerzhaften Krankheiten. Aus dem Franzöſiſchen, Leipz.* 8.

E. ROSENBLAD diſſ. de paragloſſo exſertorio cum ptyaliſmo. Reſp. *Io. Cronholm*, Lond. Gothor. 4.

EIVSD. *mediciniſche Abhandlung von den Wirkungen des Kohls. Aus dem Lateiniſchen. Altenburg.* 8.

ROSENSTEIN *von Kinderblattern etc.* v. TISSOT.

Anweiſung für Anfänger, Pflanzen zum Nutzen und Vergnügen zu ſammeln, und nach dem Linneiſchen Syſtem zu beſtimmen, von A. W. ROTH, *2 Theile, Halle.* 8.

D. RAULINS *Anweiſung zur Hebammenkunſt, zum Nutzen der Hebammen. Aus dem Franzöſiſchen mit Zuſätzen von* M. F. ALIX, *Leipz.* 8.

F. E. ROUCYERS *Entwurf der Naturlehre zum Gebrauche des königlichen Joachimsthaliſchen Gymnaſiums, Berlin.* 8.

Diſſertation ſur les lavemens en général & particuliérement ſur une methode nouvelle de traiter par ce moyen les maladies vénériennes. Par Mr. ROYER, à Paris. 8.

Journal de medecine chirurgie cet. Par Mr. ROUX, Tom. 49 et 50. (*v. ſupra*).

Traité complet d'anatomique ou deſcription de toutes les parties du corps humain. Par SABATIER. Amſterd. & Leipzig. 12.

Expériences propres à faire connoître que l'Alkali volatil fluor eſt le remede le plus efficace dans les Aſphixies. Par Mr. SAGE, Paris. 8.

* * SAGE *Erfahrungen, daſs der flüſsige Salmiakgeiſt das*

das wirkſamſte Mittel ſey Erſtickte wieder zu erwecken. Aus dem Franzöſiſchen, Strasb. 8.

Recherches ſur les Volcans éteints du Vivarais & du Velais, avec un diſcours ſur les Volcans brulans &c. par Mr. FAUJAS DE SAINT-FOND, à Grenoble & à Paris. fol.

SANDIFORT theſaurus diſſertationum cet. Vol. III. (*v. comm. noſtr. Vol. XXIII. p.* 514.)

EIVSD. Obſeruationes anatomico - pathologicae Lib. II. (*v. ib. p.* 506.)

Guériſon de la paralyſie par l'électricité, par Mr. l'abbé SANS, à Paris. 12.

SANTORINI tabulae XVII. anatomicae per GIRARDI (*v. ib. Vol. XXII. p.* 645.)

Précis d'hiſtoire naturelle, extrait des meilleurs auteurs françois & étrangers, par Mr. l'abbé SAURI, T. 1. 2. 3. 8.

Herrn SAURI *natürliche Geſchichte des Erdbodens. Aus dem Franzöſiſchen, 2 Theile, Nürnb.* 8.

SAM. SCHAARSCHMIDT *Anweiſung zu dem* Studio medico chirurgico, *welche die Pathologie, Chirurgie und Praxis in ſich hält, 3ter Theil, Berlin und Stralſund.* 8.

I. C. SCHAEFFERS *Einleitung in die Inſektenkenntniß, neue Auflage. Regensb.* 4. *m. K.*

EIVSD. *fünf Inſektengeſchlechter zur Einleitung in die Inſektenkenntniß, ib.* 4. *m. K.*

EIVSD. *Abbildung und Beſchreibung des Mayenwurmkäfers wider den tollen Hundsbiß.* (v. comm. noſtr. Vol. XXIII. p. 492.)

EIVSD. *ſämmtliche Verſuche mit dem beſtändigen Elektricitätträger. Vier Abhandlungen, Regensb.* 4.

EIVSD. *Abbildung und Beſchreibung der elektriſchen Piſtole* (v. comm. noſtr. Vol. XXIV. p. 358.)

SCHILLING de lepra (*v. ib. Vol. XXIII. p.* 424.)

Diſſert. phyſica de aëre eius ſpeciebus, praecipue de aëre fixo lapidis calcarei. Auctore SCHINZ, Turici. 8.

CASP. CHPH. SCHMIDEL *Vorſtellung einiger merkwürdigen Verſteinerungen etc. 1ſtes Heft. Nürnb.* 4.

L. E. SCHNEIDERS *chirurgiſche Geſchichte mit theoretiſchen und praktiſchen Anmerkungen, 8ter Theil. Chemnitz.* 8.

Epitome operum omnium ANT. DE HAEN in vſum iuniorum practicorum ſtudentiumque accommodata per D. IO. MICH. SCHOSVLAN, Vienn. 8.

I. C. D. SCHREBERS *Säugthiere in Abbildungen nach der Natur, nebſt einer kurzgefaßten Geſchichte derſelben, 3ter Theil, Erlangen.* 4.

EIVSD. *Beſchreibung und Abbildung der Gräſer, Leipzig. fol.* (Primum volumen v. comm. noſtr. Vol. XVI. p. 216. Alterum Vol. XXI. p. 717.)

FR. IOS. WILH. SCHROEDERS *mediciniſch praktiſche Abhandlungen. Aus dem Lateiniſchen von* IO. CONRAD WENDELSTAEDT, *Rothenburg an der Fulda.* 8.

PH. GEORG. SCHROEDERI opuſcula medica (*vid. comm. noſtr. Vol. XXIII. p.* 622.)

I. S. SCHROETERS *vollſtändige Einleitung in die Kenntniß der Steine und Verſteinerungen, Altenb.* 4. *m. K.*

G. SCHVSTERS *vermiſchte Schriften als eine Fortſetzung des mediciniſchen Journals, 5ter Theil, Chemnitz.* 8.

EIVSD. *ſyſtematiſches Haus- und Reiſe-Apothekchen, welches auf alle Nothfälle der Krankheiten eingerichtet iſt, ib.* 8.

D. I. F. SCHÜTZENS *Geſchichte einer ſehr merkwürdigen zwölfmonatlichen Schwangerſchaft, Coburg.* 8.

F. SCHWEDIAUERS *Anfangsgründe des Ackerbaues und*

und Wachsthums der Pflanzen, nach dem Engliſchen des Herrn FORDYCE, *Wien.* 8.

IO. ANT. SCOPOLI principia mineralogiae ſyſtematicae et practicae, Venet. 8.

SENEBIER vid. SPALLANZANI.

C. G. SELLE *Einleitung in das Studium der Natur- und Arzneywiſſenſchaft, Berlin.* 8.

ANDR. ADAM SENFT experimenta phyſico-medica de electricitate et calore animali, Wirceburg. 8.

CAR. CASPAR SIEBOLD hiſtor. lithotomiae in eodem homine bis factae cum eius reſtitutione, Herbipol. 4. c. figg.

SIEGWART de foetus per peluim tranſitu ſub partu naturali accuratius deſcripto, Tubing. 4.

C. C. R. SIEMERLING diſſ. de colica eiusque ſpeciebus, Gotting. 4.

Diſcours ſur les avantages de la ſection de ſimphiſe, par JEAN RENE' SIGAULT, à Paris. 8.

Hiſtorical and practical Enquiries on the ſection of the ſymphyſis of the Pubes, as a ſubſtitute for the caeſarian operation performed, by Mr. SIGAULT, Lond. 8.

Diſcours ſur la meilleure methode de pourſuivre les recherches en medecine; prononcé devant la ſocieté médicale de Londres, à ſon aſſemblée annuelle, le mardi 18 janvier 1774, & publié à ſa demande, par Mr. JAMES SIMS. Traduit de l'anglois par Mr. TAVBERT, à Avignon. 8. (*Journ. de med. jouill.* 1779.)

Obſervations ſur les maladies épidemiques avec des rémarques ſur les fiévres nerueuſes & malignes, ouvrage traduit de l'anglois du même par le même, ibid.

LEONH. SINGER diſſ. de ſecretione bilis. Argentor. 4.

MART. SLABBERS *phyſikaliſche Beluſtigungen oder mikro-*

mikroſcopiſche Wahrnehmungen in- und ausländiſcher Waſſer- und Landthierchen. Aus dem Holländiſchen, Nürnb. 4. *m. K.*

GVIL. SMELLI theſaurus diſputationum in Academia Edinburgenſi ad rem medicam pertinentium ſelectus, Tomm. II, Edinb. 8.

Abhandlung von den Hämorrhoiden, verfaſſet von DAN. SÖDERBERG, *Altenb.* 8.

SOEMMERING diſſ. de baſi encephali et originibus neruorum cet. (*v. comm. noſtr. Vol. XXIV. p.* 75.)

* SPALLANZANI opuſcules de phyſique animale & végétale, traduit de l'ital. par Mr. SENEBIER.

BALTH. SPRENGER *vollſtändige Abhandlung des geſammten Weinbaues und anderer daraus entſtehenden Produkte etc. Stutgard.* 8.

EIVSD. *Praxis des Weinbaues überhaupt, beſonders aber in Schwaben am Necker. ib.* 8.

I. C. STARKE de tetano eiusque ſpeciebus, praecipuis cauſis et ratione ſanandi, e veteribus et recentioribus ſcriptis cet. Pars prior complectitur hiſtoriam. Ien. 8.

ROB. STEAVENSON de electricitate et operatione eius in morbis curandis, Edinb. 8.

I. G. STEGMANNS *Beſchreibung eines Luftmeſſers der geſunden und ungeſunden Luft, Caſſel.* 8. *m. K.*

R. I. STEIDELE *Sammlung verſchiedener in der chirurgiſch praktiſchen Lehrſchule gemachten Beobachtungen, Wien.* 8. *2ter Band.*

Syſtema naturae in ſex regna diuiſum, auctore LARS STOCKENSTRAND, Holm. 8.

MAXIM. STOLL pars ſecunda rationis medendi in noſocomio practico Vindobonenſi, Vienn. Auſtriae. 8.

ANT. STOERKS *Abhandlung von dem Nutzen des Brennkrautes und des weißen Diptams, Nürnb.* 8. *m. K.*

ANT.

ANT. STOERCK. praecepta medico practica in vſum chirurgorum caſtrenſium et ruralium ditionum Auſtriacarum e lingua Germanica in Latinam verſa, per I. M. SCHOSVLAN, Tom. I, Vienn. 8.

G. K. C. STORR *Entwurf einer Folge von Unterhaltungen zur Einleitung in die Naturgeſchichte, 1ſten Bandes 1ſter und 2ter Theil, Ulm.* 8.

KARL STRACKS *Beantwortung der Preisfrage, die die mediciniſche Fakultät zu Paris aufwarf* ein Mittel anzugeben, das Blatterngift unwirkſam zu machen, *und welche nach dem Urtheile der nämlichen Fakultät das Acceſſit erhielt. Aus dem Lateiniſchen überſezt, Frkf. am Mayn.* 8.

De' monti colonnari e d'altri fenomeni vulcanici dello ſtato Veneto, memoria di S. E. il Sign. Caval. GIOV. STRANGE, Milano. 4.

G. A. SUCKOWS *ökonomiſche Botanik zum Gebrauche der Vorleſungen auf der hohen Kameralſchule zu Lautern, Manheim.* 8.

G. VAN SWIETEN *Erläuterung der Boerhaaviſchen Lehrſätze von Erkenntniß und Heilung der Krankheiten, 1ſter Theil, Wien.* 4.

Obſervation ſur le froid rigoureux du mois de Janvier 1776, par Mr. I. H. VAN SWINDEN, à Amſterd. 8.

IO. TEMPLE diſſ. de dyſpepſia, Edinb. 4.

Avis aux Meſſins ſur leur ſanté, ou mémoire ſur l'état habituel de l'atmoſphere à Metz, & ſes effets ſur les habitans de cette ville, par Mr. MICHEL DU TENNETAR, à Nanci. 12.

I. E. A. THEDENS *Unterricht für Unterwundärzte der Armeen, 2 Theile, Berlin.* 8. (v. comm. noſtr. Vol. XXI. p. 719.)

FRANC. THIERY *Erfahrung in der Arzneywiſſenſchaft. Aus dem Franzöſiſchen überſezt. Leipz.* 8.

THOMSON'S *mediciniſche Rathpflege. Aus dem Engliſchen mit Anmerkungen, Leipzig.* 8.

Herrn

Herrn TISSOT *und* ROSENSTEIN *Abhandlungen von der Natur und Kur der Kinderblattern etc. von* E. G. BALDINGER, *Leipzig.* 8.

EORVND. *Abhandlungen über die Einpfropfung der Blattern, von* BALDINGER, *ib.* 8.

* TISSOTS *ſämmtliche Werke, mit Anmerkungen von D.* KERSTENS, *erſter Theil, Schwerin.* 8. (Hic liber poſtea hic Lipſiae prodiit. v. comm. noſtr. Vol. XXIV. p. 161. et 637.)

EIVSD. inoculation juſtifiée, Basle. 12. edit. 2. (*eadem cum* 1773.)

I. C. TODENS *mediciniſch chirurgiſche Bibliothek, 5ten Bandes 3tes Stück, und 6ten Bandes 1ſtes und 2tes Stück, Kopenhagen.* 8.

ERN. GOTFR. BALDINGER *beantwortet von* IO. CLEM. TODE, *ib.* 8.

Scienza della natura generale e particolare. Del Padre D. GIOV. MARIA DELLA TORRE, Parte III, con eſtampi, Napoli in 4.

BALTH. LVDWIG TRALLES *deutliche und überzeugende Vorſtellung, daß der für das Daſeyn und die Immaterialität der menſchlichen Seele aus der Veränderlichkeit aller feſten Theile des menſchlichen Körpers, ohne Ausnahme hergenommene Beweis, höchſt richtig und gültig ſey, Breslau.* 8.

EIVSD. *gründliche Erläuterung und Vertheidigung ſeiner lateiniſchen Abhandlung von dem Gebrauch der ſpaniſchen Fliegenpflaſter in Fiebern, ib.* 8. (Latinum tractatum v. in comm. noſtr. Vol. XXIII. p. 306.)

IO. EHRH. TRAMPEL *Beſchreibung der Meinberger Mineralquellen in der Grafſchaft Lippe, nebſt einem Sendſchreiben des Herrn* ZÜCKERT *vom Meinberger Mineralwaſſer zum innerlichen Gebrauch, 3te und vermehrte Auflage, Lemgo.* 8. (Antecedentem editionem v. in comm. noſtr. Vol. XXI. p. 674.)

* TRE-

TRECOURT *Betrachtung über verſchiedene Gegenſtände der Arzneykunſt. Aus dem Franzöſiſchen überſezt von* EYRREL, *Leipzig.* 8.

DAN. GVIL. TRILLER diſſ. medica de oleis. Reſp. et Auctore *Godofr. Ehrh. Dippold*, Witteberg. 4.

TRNKA vid. KRZOWITZ.

L. TROTVLAE curandarum aegritudinum muliebrium ante et poſt partum libellus, e recenſione ALDI emendationibus atque animaduerſionibus illuſtratus; accedunt HENR. KORNMANNI quaeſtiones de virginum ſtatu ac iure obſeruationibus auctae, Lipſ. 8.

De la tranſplantation, de la naturaliſation & du perfectionnement de végétaux, à Londres. (Paris) 8.

Voyage fait par Ordre du roi en 1771 et 72 etc. par Meſſieurs DE VERDUN DE LA CRENNE, DE BORDO, et PINGRE', 2 Voll. 4.

K. F. UDENS *Entwurf eines Syſtems der Geſchäffte eines Land-Kreis- und Stadtphyſicus in königlichen preußiſchen Landen, Berlin.* 8.

DAN. ANT. DE ULLOA *phyſikaliſch hiſtoriſche Nachrichten vom ſüdlichen und nordöſtlichen Amerika, mit Anmerkungen von* I. A. DIEZEN, *Leipz.* 8.

I. A. UNZER *über die Anſteckung, beſonders der Pocken, in einer Beurtheilung der Hofmanniſchen Pockentheorie, ib.* 8.

I. VAUGHAN's caſes and obſervations on the hydrophobia cet. Edit. 2da, Lond. 8.

EIVSD. two Caſes of the hydrophobia, with obſervations on that diſeaſe, with an account of the Ceſarian ſection lately performed, ibid. 8.

Supplement au Dictionaire raiſonné univerſel d'hiſtoire naturelle de Mr. V. DE BOMARE par Mr. VICAT, à Lauſanne, 8.

Reliqua proxime.

Con-

Contenta in hac parte.

I. Kongl. Svenſka Vetenſk. Acad. Handl. Vol. XXXIX p. 387
II. D. JOH. DAV. SCHOEPFF *von der Wirkung des Mohnſaftes in der Luſtſeuche* 402
III. CONR. MOENCHS *Bemerkungen über einige Arzneymittel* 405
IV. JOH. FLOYER *von der Engbrüſtigkeit etc.* 406
V. GIOV. BORTOLAZZI ſopra una cieca nata guarita 408
VI. GEORG. CHANDLER'S treatiſe on the diſeaſes on the Eye 411
VII. Syſtematic Elements of the Theory and Practice of Surgery by JOHN AITKEN 416
VIII. EIVSD. elements of Phyſic and Surgery Vol. I. II. 418
IX. Modern improvements in the practice of Surgery by HENRY MANNING 419
X. JUSTAMOND of the methods purſued in the treatment of cancerous and ſcirrhous diſorders 420
XI. Obſervations ſur une maladie d'os, connue ſous le nom de necroſe par Mr. DAVID 422
XII. ANDR. BONN commentatio de humero luxato 422
XIII. LEONH. LVD. FINKE de morbis biliofis anomalis 425
XIV. CHRIST. LVDW. HOFFMANN *vom Scharbock etc.* 432
XV. JOS. MAR. OESTERREICHER analyſes aquarum Budenſium 438
XVI. *Allgemeine Naturgeſchichte der Schildkröten von* IOH. GOTTL. SCHNEIDER 448
XVII. IO. HERRMANNI tabula affinitatum animalium 456
XVIII. *Materialien etc. Iſter Band* 472
XIX. *Neues Magazin für Aerzte von* ERNST GOTFR. BALDINGER, *I—Vter Band* 474
XX. IOH. VLR. BILGUERS *Verſuche und Erfahrungen über die Faulfieber und Ruhren* 495
XXI. BERNH. RAMAZZINI'S *Abhandlung von den Krankheiten der Künſtler und Handwerker von* I. C. G. ACKERMANN 500
XXII. Journal de médécine etc. T. LIII. et LIV. 518
XXIII. *Die Geſchichte der Kriebelkrankheit von* IOH. TAUBE 531
XXIV. CHRIST. GOTTH. ESCHENBACH diſſ. de liquoribus ſalinis officinarum 543
XXV. CAR. TRAVG. SCHWARTS diſſ. de hydrophobia 547
XXVI. Noua phyſico-medica 550
XXVII. Continuatio indicis ſcriptorum phyſico-medicorum, anni 1778 566

COMMENTARII
DE REBVS
IN
SCIENTIA NATVRALI
ET
MEDICINA
GESTIS.

VOLVMINIS XXV. PARS IV.

LIPSIAE, MDCCLXXXIIII.
APVD IOH. FRIDERICVM GLEDITSCH.
Venduntur etiam
Londini apud Fr. Elmsly, Edinburgi apud Io. Balfour, Lugd. Bat. apud Fratres Luchtmann, Parisiis apud Barroi senior. Venetiis apud Io. Bapt. Pasquali, Milano apud Ios. Galeazzi, Augustae Taurinor. apud Laurent. Giraud, Holmiae apud Magnum Swederum.


Jos: Banks

I.

Kongl. Vetenſkaps Academiens Handlingar för 1779. Vol. L. Stockholm, trykt I. Ge. Langr. 8. pagg. 336. tabb. aen. 11.

i. e.

Acta Academ. Reg. Scient. Suecicae anni 1779.

Trimeſtre primum.

Io. GOTTSCHALK WALLERIVS obſeruationes ad agriculturam pertinentes edit; inde ab anno 1747 ad 1777; tempora ſationis et meſſis, prouentus itidem, tum pro ſeminis terrae commiſſi quantitate, tum pro agrorum menſura, indicat. Vnde varia colligit, vt: non effoetam fieri cultura tellurem, minorum, quibus laborem coloni frugum copia reuneratur ager, copiam, non minorem eſſe, imo maiorem illorum numero, vbi de laboris et impenſarum iactura queritur agricola, cet. p. 3.

II. A Cl° PETRO SIM. PALLAS deſcribitur *Anas glocitans*, non niſi in Orientalis Sibiriae partibus repetenda, ad orientem lacus Baikal; nomen a ſono, quem edit, gallinae glocitanti ſimili: ſpecificam differentiam repetit a capite, albo nigroque faſciato, area vtrinque falcata viridi ſericea, nuchaque viridicea. Additur icon. p. 26.

III. *De aegro, cui impedita erat deglutitio*, refert ADOLPH. MVRRAY. Creſcente paullatim malo, ſolida nulla deglutire poterat, quae cum magna quantitate muci redibant, vix fluida tenuia deſcendebant. Vocatur Cl. MVRRAY, vnguenta mercurialia adhibuit, quae initio malum ita diminuerunt, vt etiam ſolida deſcenderent. Mox vero, omnibus in peius mutatis, deceſſit aeger: cuius in cadauere, praeter alia non naturalia, reperta: ventriculi tu- p. 35. p. 40.

nicae omnes craſſiores et tumentes, vt exiguum ipſi cauum ſupereſſet; facies anterior lobo hepatis ſiniſtro cartilagine iuncta, idem ventriculus, ſcirrhis adhaerens diaphragmati, ſcirrhorum durorum ſeries, ad oeſophagum, cardiam, integrum minorem ventriculi arcum, omentum minus in maſſam ſcirrhoſam mutatum, oeſophagi ſuperficies anterior a pure adroſa, ventriculi tunicae interiores ab abſceſſu hepatis, qui intrauerat, fere deſtructae ſcirrhorum plures digiti magnitudine aucti in ventriculo eminentes, tunicae ventriculi neruea et villoſa tumentes et ſcirrhoſae, ſcirrhi tres aucti ad baſin cohaerentes ante cardiam, vbi oeſophagus diaphragma penetrat. Ventriculus pure fetente plenus, hepatis ſubſtantia eo in loco in putrilaginem mutata. Hunc caſum cum aliis ab auctoribus relatis comparat et varia eo pertinentia addit.

p. 50. IIII. CAR. WILH. SCHEELE inueſtigat, *quantum aëris puri in atmoſphaerico contineatur*, principi nixus, quod purus aër, ſiue igni nutriendo aptus phlogiſto vnitus veluti euaneſcat. Itaque mixturam ex vna ſulphuris contriti parte et duabus maturae martis, paullulum madefactam, phiala vitreae incluſit, donec elapſis circiter 12 horis vnta eſſent ſulphur et limatura martis. Eius aliquid immiſit vaſculo ſupra columnam eleuato, et deſper inuerſum poſuit vitrum cylindricum, cuius rat capacitatem; omnia haec autem collocata erant in vaſe amplo, non nimium alto, aqua pleno. Idum aër purus cylindro incluſus vniebatur phlogiſto, et adeo velut diſparebat, aqua externo aëpreſſa, adſcendit in cylindrum: Quantam vero cylindri partem occuparet, ſcala exterius cylindro aglutinata oſtendebat. Ex obſeruationibus toanno 1778 continuatis colligit Noſter, leui ſalti quantitatis mutatione, ineſſe aëri atmoſphaeri

ſemp

semper fere $\frac{2}{33}$ puri. Quod tam exiguum esse Ipse miratur, cum igni alendo perpetuo tanta aëris puri copia consumatur, aut in acidum aëreum abeat cet.

V. IAC. TVRDEJÄLL, de *parochia Lapponica montana Juckasjerri* refert, quot nati, mortui, matrimonio iuncti sint, vixerint, inde a 1725 ad 1774. p. 55.

VI. *Sectiones conicas* in plano considerare pergit I. MELDERCREVZ. p. 63.

VII ANDR. SPARRMANN describit animal, quod Batauis in capite bonae spei habitantibus *Gnu* vocatur. Id ad Antilopas refert. p. 75.

VIII. Ab EODEM describitur *Bos Caffer*, noua *Bubali* species. p. 79.

IX. IO. L. ODHELIVS *cataractam membranaceam* sustulit. Viro, qui in rupe pulueris pyrii ope findenda laborauerat, dissiliens massa, vtrumque oculum vehementer laeserat, visu statim ademto, tumore, inflammatione cet. accedentibus. Dextri oculi corneae adhaerebat granulum pulueris, pupilla aliquantum contracta, superius versus nasum immobilis, sed ad externum oculi angulum inferius parum mobilis, tota tecta membrana grisea. Haec cataracta cum valde plana esset et adnata vueae, aeger vero hoc oculo lucem a tenebris discerneret, cataractam membranaceam suspicatus ODHELIVS, aperta cornea pupillam artificialem fecit sub naturali, cochleari spatium post cataractam examinauit, cataractam reperit esse membranam tenuem nihil ad lentem crystallinam pertinentem, itaque rupit segmentum circuli iridis, quod ambas pupillas disiungebat, ampliata pupilla naturali, recessit membrana cataractae, et versus incisionem corneae pendens decidit, quam exemit. Omnino similis erat tenuis cuticulae oui diametri 3 linearum. Cum vueae versus nasum adhaesisset, non sine dolore extrahebatur, guttulae quaedam sanguinis in p. 85.

camera anteriore collectae, per incisionem educe bantur, cum nulla haemorrhagia sequerètur, sed pu pilla clarescèret, oculus consueto modo obtegeba tur. Operatio tarde procedebat, quod oculus fa cile irritaretur; id semper contingere obseruaui Noster, oculis vi externa laesis, sed caute tracta quietiores fiunt. Aegri visus statim melior redd tus, elapsis sex septimanis, adhibitis remediis, qua conuenirent, laetus domum abiit, ipsos litterarum characteres impressos maiores legit, lente fo duorum digitorum adhibita. Pupilla irregular paululum, non tamen nimium deformis. Sinist oculi operationem distulit, donec constaret, an len crystallina eius oculi obscurata esset.

Trimestre secundum.

p. 89. I. IO. HAARTMAN agit *de optimo serendi tem pore autumnali* in districtu Aboensi, nixus obseru tionibus XI annorum, inde a 1767.

p. 122. II. Dissertationem *de sectionibus conicis* cont nuat I. MELDERCREVZ.

p. 134. III. ANDR. LAVR. SANTHESSON enarrat, qua egerit ad curandum morbum epidemicum in distri ctu Calmariensi Aug. et Sept. 1778. Erat is am phemerina et tritaeus biliosus: Febris biliosa se remittens exercituum *). Febris biliosa Auctorum Eo loco natus inprimis a transpiratione, frigore v spertino impedita, vnde morbus praecipue adortu est rusticos, qui labore diurno ad sudorem vsqu incaluerant, item eos, qui calentes, frigidam pot verant. In sanando morbo optimorum auctorum praecepta ita sequutus est, vt ex 221 aegris, quo
p. 143. obseruauit, nullus obiret. Vomitoriorum vsu insignem reperit, non solum vt praeueniretur v mitui symptomatico, sed etiam vt cruda euacuare tu

*) V. PRINGLE sur les maladies des armées.

tur. Iuueni 24 annorum veritus eſt vomitum ciere, tum ob pectoris debilitatem, tum quod ab illis remediis aeger omnino abhorreret. Is autem meteoriſmo, contra quem nil faciebant laxantia, clyſmata, cataplaſmata cet. decima die euomuit pomum integrum indigeſtum, quod eodem die deglutiuerat, quo in morbum inciderat. Statim ceſſauit meteoriſmus, et valetudo continuo melior facta. Huic igitur plurimum profuiſſet vomitorium initio datum. Caſcarillam cum fructu adhibuit ad febrim leuandam, cum euacuationes debitae praeceſſerant, p. 144. et vrina ſedimentum depoſuerat. Apud ruſticos, vltimum phaenomenon, quod carerent vaſe vitreo, rarius obſeruari poterat, itaque hic ad linguae puritatem reſpexit. Antequam cruda eſſent euacuata, data caſcarilla, carus ſequebatur, aut tympanites, aut, horrore febrili ceſſante, capitis dolor et ipſa febris augebantur. Iis caſibus, quibus locus erat caſcarillae, ſi dabatur quantitate nimis exigua, ceſſabat febris quidem cum ſymptomatibus, ſed ſudor nocturnus debilitabat, qui tamen etiam cedebat vlteriori medicamenti vſui. Tranſpirationem ab hoc medicamento augeri non vidit, ſed aluum laxari, item ventriculum roborari. Cortici peruuiano additam caſcarillam minoris efficaciae reperit.

IIII. ANDR. SPARRMAN deſcribit animal Capenſe, *Dorcas*, ad Gazellas ſ. Antilopas pertinens, LINNEO *Capra dorcas* vocatum. Batauis caput colentibus *Hartebeeſt* vocari dicit, eoque nomine in lingua vulgari appellat. (*Hartebeeſt* Batauorum idiomate animal indicat, cui cum ceruo quidpiam commune ſit. Id nomen commune eſſe pluribus animalibus, teſtatur BOSMAN *Nawkerige Beſchryving van de Guineſe Goud-Tand-en Slavekuſt*, II. Deel p. 29. vbi fere viginti ſpecies animalium eſſe dicit, quae hoc nomine veniant.) p. 151.

p. 155. V. IDEM deſcribit *Gazellam Capenſem*, quae Batauis *Eland* vocatur.

p. 158. VI. CAR. WILH. SCHEELE *de ſalibus neutris ope calicis viuae et ferri decomponendis.* Laminam puram ferream ſolutioni ſaturae ſalis culinaris immiſit, extractam in cauea humida ſuſpendit. Elapſis 14 diebus reperit adhaerens laminae alcali minerale. Apparebant etiam guttulae flauae, quas ferrum continere apparuit, cum id ex illis praecipitaretur, addito pauxillo alcali vicini. Similia oſtenderunt laminae ferreae madefactae ſolutioni ſalis
p. 160. mirabilis et in cauea ſuſpenſae cet. His igitur limitatur adſertum, maiorem alcalium fixorum attractionem ad acida eſſe, quam ferri et calcis. Rem ita explicat: Cum acido certa aquae quantitas ineſt, fortiorem ad illa eſſe attractionem alcali, cum autem aqua maximam partem in vapores abiit, fieri poſſe, vt fortius agat terra quaedam aut metallum, inprimis cum alcali, quo momento ab acido ſeparatur, debilius acidum offendat, cui vniri poſſit, vt acidum aëreum in caueis abundans.

p. 164. VII. CLAVD. BIERKANDER pergit enumerare *inſecta, quorum laruae radicibus cerealium infeſta ſunt.* Primum de iis egit 1777, Trimeſtri I.*) Eorundem inſectorum obſeruatione edoctus eſt aliquid pertinens ad originem erroris, ſecale in lolium mutari cet. Phalaena ſecalis, muſca ſecalis, muſca calamitoſa, culmos ſecalis deſtruunt, intactos relinquunt lolii culmos, quod itaque, ſeminibus eius inter ſecalis ſemina electis, laete creſcit, peremto ſecali.

p. 165. VIII. *Pan Boum* a PETRO HOLMBERGER, Ph. M. Recenſet gramina et plantas, quae a bouibus comedantur, aut vitentur.

Trimeſtre tertium.

p. 169. I. IO. IAC. HAARTMAN abſoluit *obſeruationes de optimo ſerendi tempore autumnali* in diſtrictu Aboenſi.

II. 10.

*) vid. comm. noſtr. Vol. XXV. p. 196.

II. IO. MELDERCREVZ pergit *de ſectionibus co-* p. 177.
nicis ad tangentes deſcribendis.

III. LAVR. MONTIN deſcribit *Lophium barba-* p. 187.
tum, nouam ſpeciem, illis, quas LINNEVS habet, addendam. Animalis figura exhibetur.

IIII. SVEN RINMAN deſcribit varia tentamina, p. 199.
quibus inueſtigentur *maſſae vaſis in coquina adhibendis inducendae*, ne ab illis alimenta, quibus praeparandis deſtinata ſunt, inquinentur. Deſiderantur igitur materiae, quae vitri ad modum igne fuſae poſſint vaſorum ſuperficiei adhaerere, ipſae vero ab acidis non ſoluantur, neque nimium fragiles ſint. Poſſunt ad illud genus vitrorum reduci, quo cruſta quadam ſuperficies metallorum tegitur, *Email* appellant. Separatim enarrat, quae cum cupro, quae cum ferro tentauerit. Praecipue adhibuit mixturam ex fluore minerali ſpatoſo, gypſo, vitro fuſibili, lithargyro, nitro, magneſio (*Braunſtein*) et ſimilibus. Coloris gratioris obtinendi cauſſa pauxillum cobalti addidit.

V. CAR. PET. THVNBERG deſcribit *nouum gra-* p. 216.
minis genus, quod ipſi dicitur *Ehrharta capenſis*, ab EHRHARTO Bernate, botanico, iam Hannouerae degente. Quibus differat a congeneribus, oſtendet pars deſcriptionis, quae ſequitur: *Corolla* duplex *exterior* biualuis, valuulae oblongae complicatae carinatae retuſae tranſuerſe rugoſae, calyce triplo longiore, baſi extus villoſae, interior paulo breuior, carinata, laeuis. *Nectarium* patheriforme, hinc truncatum, inde lacerum, album breuiſſimum. *Stam: filamenta* ſex, breuia capillaria alba, *Antherae* lineares erectae emarginatae, corolla breuiores. *Piſt: Germen* ſuperum, *ſtylus* ſimplex compreſſus villoſus, ſtaminibus breuior. *Stigma* ſimplex villoſum. Naſcitur in capite bonae ſpei.

VI. IO. L. ODHELIVS caſus aliquot narrat, qui- p. 218.
bus expertus eſt *inſignes vires Ledi paluſtris aduer-*

ſus lepram, inprimis in iuuene 15 annorum, vbi morbus hoc medicamento omnino ceſſit. Infuſum ledi interne adhibitum eſt, externe vlceribus applicatum et naſo obſtructo iniectum. Ceterum morbum, in Suecia, Norwegia, Islandia, endemium, de quo in actis 1774 egit, nutrimentis et vitae generi adſcribit, ad quae igitur in ſanando illo reſpici debeat. Etiam in eruptione grauiore cutanea cum fructu ledum adhibuit.

p. 224. VII. TORB. BERGMAN *de materiis, quae componunt Turmalinos fuſcos.* Examinauit Ceylonicos et
p. 235. Tyrolenſes. In vtriſque dominatur argilla, ad quam quantitate proxime accedit ſilex, minus calcis ineſt, et minimum ferri. Methodum, qua haec ingredientia ſeparat via humida, explicat. Negat ad gem-
p. 236. mas referri poſſe Turmalinos, licet gemmae, excepto adamante, iiſdem ingredientibus conſtent. Differunt autem tum duritie, tum habitu ad menſtrua; Rubinus enim, Smaragdus et Topaſius cum alcali Sodae igni expoſiti etiam vehementiori, non funduntur, vt Turmalinus. A Zeolitho differunt Turmalini, quod minus ſilicei contineant, et partes illorum ſolubiles non, niſi ope alcali praeparatae, ab acidis ſuſcipiantur.

p. 238. VIII. CAR. WILH. SCHEELE examinauit *Plumbaginem* ſ. *Molybdaenam vulgarem*, quae eſt CRONSTEDII: *Molybdaena textura mixta et granulata.*
p. 243. Habet illam pro genere ſulphuris aut carbonis mineralis, cuius partes componentes ſint acidum aëreum magnae phlogiſti quantitati vnitum. Pauxillum ferri, quod interdum continet, mechanice ſaltim et fortuito admixtum videtur. Ita, quae Molybdaena toſta ſulphur olet, pyritae aliquid admixtum habet. Quod reſiduum manet, ferro fuſo crudo
p. 244. Suec. *Tackjärn* in acido vitrioli ſoluto, etiam Molybdaenam reperit, ſed minus phlogiſti continentem.

IX. CL.

IX. CL. BJERKANDER *obſeruationes tonitruum* p. 245.
continuat (v. ann. 1775)*). Inprimis memorabile ipſi videtur ex obſeruatione 25 annorum, certis menſium diebus ſaepius tonuiſſe, aliis omnino; etſi eius ordinis cauſſa nulla appareat.

Trimeſtre quartum.

I. PETR. VARGENTIN *ſtellam variabilem in* p. 249.
collo Ceti octobri 1779, maiorem, quam vnquam, vidit, vt ad Oculum Tauri, et Martem, fulgore accederet. Qua occaſione hiſtoriam ſtellae recenſet.

II. AD. AFZELIVS ARVIDSSON *de copia homi-* p. 259.
num in paſtoratu Larf, Gothiae Occidentalis, varia notatu digna edit.

III. ANDR. SPARRMANN deſcribit et depingit p. 282.
Ekebergiam capenſem, nouum plantae genus ad decimam claſſem LINN. pertinens.

IIII. CLAVD. BJERKANDER deſcribit *laruam* p. 284.
elateris alicuius, quae culmos frumentorum deſtruit, eoque magis nocet, quod diutius laruae habitu vivat. Noſter enim laruas quinque annis nutriuit, antequam transformarentur. Deſcribit vero et pupam et elaterem, quem *ſegetis* vocat. Icones etiam naturali magnitudine, et microſcopio auctas addit.

V. Diſſertationem longiorem *de ſectionibus co-* p. 288.
nicis abſoluit I. MELDERCREVZ.

VI. TORB. BERGMANN *aluearia apum* ſaepius p. 300.
ponderauit ope ſtaterae, quam deſcribit et delineat. Ita incrementa et decrementa ponderis obſeruauit, vnde varia ad culturam apum pertinentia colligit. Examina iuniora per hyemem ſeruat, rempublicam, quae illa dimiſit, ſulphure ſuffocat, quod nutriri omnis apum multitudo non poſſit, et hoc modo puriſſimum mel et minima opera obtineatur.

VII. *De vermibus, quibus inteſtina adhaerent*, p. 329.
OTTO FR. MÜLLER. Faſces, quos vermibus adhaerentes

*) vid. comm. noſtr. Vol. XXIV. p. 588.

rentes obſeruarunt ODHELIVS et BLOM in Act. Ac. 1776.*) inteſtina eſſe confirmat. Vidiſſe ſe ex pluribus vermibus inteſtina exire. *Holothuria elegans* (Zool. Dan. Tab. 3.) per aperturam in extremo ſuo anguſtiori pro lubitu partem emittit aut retrahit, aliis vermibus per vulnera, quae pro lubitu fecerat, exierunt. Ceterum plurima nobis adhuc incognita eſſe, de ipſis vermibus in homine habitantibus. Ad quae accuratius euoluenda vt incitet naturae ſcrutatores, addit, ex obſeruationibus ſuis circa Taeniam, conſectaria, quae certa ſint,
P. 334. vtcunque aliorum placitis aduerſa: Taeniam animal eſſe, non zoophytum, vnicum animal, per inteſtina protenſum, non catenam animalium, caput ipſi eſſe et organa, os in extremo anteriore. Quae in ſegmentis habita ſunt oſcula, aperturas eſſe ouis emittendis, ramoſa, quae obſeruantur, ſeries ouorum. Taenias diuerſarum ſpecierum eſſe in mammalibus, auibus, piſcibus. Propagari per oua, vix viuis foetibus, aut ſegmentis. In longitudinem creſcere, accedentibus ad ſegmenta capiti proxima nouis. Vnicum vermem (*le Solitaire*) nec in homine, nec in animalibus viuere. Veroſimiliter in omnibus animalium ſpeciebus reperiri vermium hactenus nondum cognitorum indiuidua. Illa in corpus humanum non intrare cum aqua pota, aut piſcibus; vix cum nutrimento ex auibus, aut mammalibus, aut ex aëre. Vix dolorem creare animalibus, quae victu nullo artificio praeparato vtuntur.
P. 335. VIII. P. VARGENTIN *addit quaedam* ad obſervationes *circa ſtellam variabilem Ceti.*

---

*) vid. comm. noſtr. Vol. XXV. p. 75.

II.

Hiſtoire des Animaux d' Ariſtote, avec la Traduction françoiſe, par Mr. CAMUS, Avocat au Parlement, Cenſeur Royal etc. A Paris chez la Veuve Deſaint, Libraire. MDCCLXXXIII. Tome I. Notes ſur l'hiſtoire des Animaux d'Ariſtote, par Mr. CAMUS. T. II. ibid. eod. in forma quadrata.

i. e.

Hiſtoria animalium Ariſtotelis, cum verſione Gallica, auctore Cl. CAMUS.

Cum recentiores Plinii verſiones magno cum ſtudio et applauſu a ciuibus ſuis acceptas eſſe videret Editor, non ſine ratione ſperabat, vernaculam magni Philoſophi verſionem iisdem gratam atque acceptam fore, eo quidem magis, quod ex Ariſtotelis hiſtoria animalium non Plinius ſolum, ſed plerique etiam vetuſtiores hiſtoriae naturalis ſcriptores tanquam ex fonte perpetuo notitias animalium hauſtas poſteritati non ſatis vbique integras prodiderunt. Praeterea multo maior eſt Ariſtotelis in enarranda animalium natura auctoritas atque fides, quam reliquorum, inprimis ſeriorum ſcriptorum, quam inter recentiores Gallos primus illuſtris BVFFONVS multique exterarum gentium ſcriptores innumeris exemplis et certiſſimis rerum documentis confirmarunt. Atque in dies videmus, quo magis Aſiae vaſtae atque immenſae regiones virorum doctorum itineribus aperiuntur et innoteſcunt quoque magis Graeciae antiquae contiguarumque regionum notitia peregrinatorum eruditorum ſtudiis inclareſcit, eo magis magisque Ariſtotelis auctoritatem et fidem ipſo naturae teſtimonio gliſcere. Ne quis autem putet, ſuperuacuam eſſe eam operam, quae

quae hodieque in vertenda et commentanda Aristotelis historia animalium ponitur, omnesque inde expetendos fructus iam olim studiis virorum doctorum, Bellonii, Gyllii, Rondeletii, Conr. Gesneri aliorumque praeceptos atque exhaustos esse, monendus est, textum graecum Aristotelis historiae animalium innumeris in locis adhuc mendosum paucisque intellectum fuisse. Itaque cum, praeter Conr. Gesnerum, nemo fere virorum doctorum magnum critices vsum ad interpretandum Aristotelem attulisset, factum est, vt ipso Bellonii, Rondeletii aliorumque in Aristotelem studio interpretandique concertatione sensus Aristotelicae historiae magis obscuraretur et peruerteretur. Accedebat Theodori Gazae versio latina ex graeco Codice olim facta, et plurimis in locis immane quantum a lectione vulgata graeca discrepans, adeoque a sensu verborum graecorum et veritate naturae aberrans. Quam cum plurimi hodie historiae naturalis scriptores sequantur ducem, quoniam recentior et accuratior non exstat, non mirum est, multos Aristoteli imputari errores falsasque animalium notitias, quarum in textu graeco nullum vestigium deprehenditur. Multos etiam, qui graecum textum adhibuerunt in consilium, concisa Aristotelis breuiloquentia aut verborum deprauatio in errorem induxit; quod Plinio inprimis accidisse omnes hodie confitentur. Optime igitur meritus est de fama Aristotelis et de omni rerum naturalium studio Gallus, qui textum verborum graecorum ad Codicum scriptorum fidem emendatum recensere, interpretari atque illustrare instituit. Quam quidem operam quam feliciter quibusque adiutus subsidiis administrauerit, copiosius nunc explicabimus.

Prius Volumen continet textum graecum, satis nitide, quamuis non vbique diligenter excusum, atque

que hinc inde ex Codicum lectione emendatum, ſed haud raro etiam ſtudio emendandi corruptum. In aduerſa pagina verſio gallica appoſita eſt, oratione ſatis graui et breui, in qua Buffoni imitatorem, agnoſcas. Sub finem voluminis adiecta eſt collectio variarum lectionum ex Codicibus manuſcriptis, verſionibus duabus antiquis et recentiore Gazae excerptarum, interſertis paucis et breuibus Editoris animaduerſionibus et iudiciis. Alterum volumen inchoatur a Tabula nominum graecorum animalium omnium, quorum in Ariſtotelis hiſtoria fit mentio, ex ordine litterarum concinnata, iuxta appoſitis quadruplici columna nominibus latinis, quibus vetus Interpres anonymus, Gaza, et Scaliger vſi ſunt, denique gallicis vocabulis, quibus noua verſio graeca reddit. Qua tamen in tabula non ſolum aliquot nomina graeca, ſed vocabula etiam latina, quibus Scotus in verſione ex arabico facta vſus eſt, omiſſa dolemus; multo enim facilius poterant lectores carere nomenclatura Scaligeriana, quae in hiſtoria naturali nullam plane auctoritatem conſecuta eſt, ſimilem verſioni a Th. Gaza ex codice ſcripto factae. Multa enim Scotus vocabula arabica poſuit, quae deinde Albertus Magnus arrepta retinuit et ſaepenumero ita deprauauit, vt a nemine hodie agnoſci poſſint. Sequitur deinceps Commentarius ſecundum animalium nomina graeca, vbi verſio graecis vocabulis adhaeret, aut gallica deſcriptus ita, vt ſub indicio cuiusque vocabuli pleraque omnia Ariſtotelicae hiſtoriae loca, aut ſingularia et praecipua repetantur, aut in compendium redigantur. Qua quidem in opera certam aliquam regulam ab Editore obſeruari non meminimus, niſi quod anatomicae obſeruationes, quae vniuerſum aliquod animalium genus ſpectant, aut ſingularum ſpecierum ſtructuram internam illuſtrant, plerumque

que omittuntur. Comparantur ipſa animalia eorumque vocabula cum illis, quae ſcriptores recentiores vel iisdem vocabulis ſignarunt, vel ipſa natura cum notis ab Ariſtotele traditis conuenire cenſuerunt. Verum ſtatim hic apparet, Editorem, in hiſtoria naturali plane peregrinum, niſi ſcriptores vernaculos non adhibuiſſe, exterorum vero aut nullam plane aut obſcuram notitiam habuiſſe. Vnde factum eſt, vt quae ab auctoribus hiſtoriae naturalis Germanicis, Italicis, aliisque ad illuſtrandum atque emendandum Ariſtotelem bene tradita ſunt, plane ignoraret et vbique fere in tenebris micaret. Verum hoc noſtrum iudicium, poſtea quam de ſubſidiis criticis, quibus Gallus in textu graeco emendando vſus eſt, tradiderimus, multis rerum argumentis confirmabimus.

In recenſendis Prolegomenis priori Volumini praepoſitis omittemus, quae longinqua virorum doctorum obſeruatione et conſenſu trita et peruulgata ſunt; contra vero accuratius perſcrutabimur ea, quae Gallus ex ſua obſeruatione tradidit, aut quae ab illo reliquisque eius cenſoribus et criticis male omiſſa vidimus. Vbi de fontibus hiſtoriae Ariſtotelicae traditur §. XIII. breuiter nominantur ex Indice Sylburgiano auctores, quos ipſe Ariſtoteles hinc inde, plerumque tamen cum reprehenſione aliqua, nominauit. In his eſt etiam Alcmaeon, Herodorus et Diogenes; de quorum ſcriptis operae pretium erat plura tradere, et loca exinde excerpta, quae paſſim in ſcriptoribus reliquis graecis ſeruata exſtant, inter ſe comparare, vt certius illorum ingenium ſcribendique conſilium et rationem cognoſceremus. Praeterea male omittitur mentio metamorphoſeon, quas pluribus locis Ariſtoteles vel nominat vel reſpicit. Ferebantur ſcilicet olim carmina quaedam ſub Boei, Phemonoës, aliorumque poëta-

poëtarum nominibus, quae transmutationes hominum in varia animalium genera referebant, quorum similitudo cum moribus humanis illustribus notis aliquot declarabatur. De natura horum carminum iudicare licet ex fragmentis, quae Antoninus Liberalis ex Boei, Nicandri, Simmiae aliorumque poetarum libris excerpta posuit. Quantum vero hodieque ad illustrandam veterum historiam naturalem haec Antonini Liberalis excerpta mythica habeant, postea exemplis aliquot docebimus. Cum fors litterarum tulisset, vt scripta Aristotelis logica et metaphysica ab Arabibus diligentius legerentur et in eorum linguam transferrentur, eaque deinde consuetudo cum litterarum restauratione in Europam, inprimis Hispaniam et Italiam, introducta esset, vt, qui viri docti et esse et haberi vellent, in logicis rationibus et metaphysicis exercerent se et excellere contenderent: factum inde est, vt historia animalium cum reliquis Aristotelis scriptis physicis negligeretur et raro a librariis describeretur. Hinc tam rara hodie in praecipuis etiam Europae Bibliothecis scripta historiae animalium exemplaria sunt, cum pleraeque omnes logicis eius et metaphysicis scriptis abundent. Vulgo tamen ferebatur et legebatur duplex historiae versio latina; quarum altera seculo 13 facta incertum habet auctorem, alterius vero ex Arabico factae, qua vsus etiam est Albertus Magnus, perhibetur auctor Michael Scotus. Posterioris versionis exemplaria scripta haud ita rara in Bibliothecis exstant, quam prioris, quae graecum textum verbotenus sequitur, adeoque codicis graeci scripti vice fungitur. Scotus vero saepe longius a graeco textu abit et a sensu verborum aberrat. Vtramque versionem manuscriptam adhibuit Gallus, earumque lectionem cum codicum graecorum varietate annotauit;

verum noſtrae quidem exſpectationi ea comparatio non ſatis fecit, atque optamus, vt vtraque tandem verſio in publicum proferatur, et diligenter vbique cum graeco textu et Alberto Magno contendatur. Ante Theodorum Gazaeum, qui vulgo Theodorus Gaza audit, Georgius Trapezuntius ab Angelo Politiano dicitur hiſtoriam Ariſtotelis in ſermonem latinum transtuliſſe, cuius opera Theodorum Gazaeum tacitum abuſum eſſe queritur Politianus. Verum haec Georgii verſio fruſtra a Fabricio aliisque quaeſita magnam de eius fide atque aetate dubitationem mouet. Theodori Gazaei verſio ab anno 1476 publicam vidit lucem; ſed ignoratur hodie codex graecus, quem in interpretando ſecutus eſt. Editionem hiſtoriae animalium graecam, eamque primam, Aldinam nempe annorum 1495, 1497 et 1498, Florentinam anni 1527, Baſileenſium trium poſtremam, anni 1550, Venetam Camotii, anni 1553, Sylburgianam anni 1587, reliquasque recentiores editiones comparavit Editor, earumque non omnes, vt diligenti et continuata comparatione nobis conſtitit, ſed praecipuas tantum varietates, quae quidem Gallo memoratu dignae videbantur, annotauit. Codicum ſcriptorum graecorum quatuor lectionem Editor non ſuis, ſed alienis oculis et manibus cum lectione vulgata comparatam appoſuit. Principem locum tuetur codex Mediceus, quem vtpote antiquiſſimum ex quatuor codicibus, quos Bibliotheca Medicea Florentiae aſſeruat, delectum perluſtrauit, eiusque varietatem excerpſit Bandini. Ex quinque codicibus Vaticanae Bibliothecae vnum eumque integerrimum, cum reliqui manci et mutili eſſent, comparauit Foggini. Ambroſiani ſeu Mediolanenſis codicis varietatem a quopiam exſcriptam Gallo ſubmiſit Branca. Regium Pariſienſemm codicem, omnium

omnium minime vetuſtum, ex codice peioris notae deſcriptum, et ſubinde ex Theodori verſione latina interpolatum, ipſe cum vulgato textu contendit Gallus. Praeterea reperit in Bibliotheca regia Pariſienſi exemplar editionis Iuntinae; cuius marginibus adſcriptae leguntur manu Bernardi Caniſiani Atſoli filii variae lectiones, ſine dubio ex codice aliquo ſcripto excerptae, quas cum reliquorum codicum varietate ſimul annotauit Gallus. Nobis vero olim contigit inſpicere codicem graecum, qui fuerat Beati Rhenani, et priores libros ſex ex hiſtoria animalium continebat. Eum diligenter cum lectione vulgata contendimus, nunc vero in plerisque omnibus lectionibus, quae quidem approbari merentur, cum codice Mediceo et Caniſiani conſentire deprehendimus. Eſt tamen, vbi ſolus integram et veram Ariſtotelis ſcripturam ſervaſſe videtur; nec raro nobis, cum eius lectionem cum varietate ex codice Mediceo annotata compararemus, incidit ſuſpicio, male et negligenter in opera comparandi codicis Medicei verſatum eſſe, quisquis demum eam ſuſceperat.

Alterum Volumen initio continuat Prolegomena, vbi ſtatus hiſtoriae naturalis poſt Ariſtotelem cum nominibus celeberrimorum ſcriptorum declaratur. Verum vbique apparet, Gallum turbulentiſſimos quosque riuulos ſectatum fontes ipſos non adiiſſe; igitur niſi vulgaria non tradit levitate transſultatoria. Oppiani Ixeutica temporum iniuria abolita fuiſſe, nec hodie exſtare putat. Nemeſiani nihil praeter Poëma de venatione ſupereſſe tradit. Athenaeum denique inepte inter auctores hiſtoriae naturalis recenſet, qui niſi aliena non tradidit, appoſitis vbique auctorum nominibus. Ab Athenaeo ſubito tranſit ad Carolum Magnum, et deinceps ſeculi noni ſcriptores recenſet.

verum noſtrae quidem exſpectationi ea comparatio non ſatis fecit, atque optamus, vt vtraque tandem verſio in publicum proferatur, et diligenter vbique cum graeco textu et Alberto Magno contendatur. Ante Theodorum Gazaeum, qui vulgo Theodorus Gaza audit, Georgius Trapezuntius ab Angelo Politiano dicitur hiſtoriam Ariſtotelis in ſermonem latinum transtuliſſe, cuius opera Theodorum Gazaeum tacitum abuſum eſſe queritur Politianus. Verum haec Georgii verſio fruſtra a Fabricio aliisque quaeſita magnam de eius fide atque aetate dubitationem mouet. Theodori Gazaei verſio ab anno 1476 publicam vidit lucem; ſed ignoratur hodie codex graecus, quem in interpretando ſecutus eſt. Editionem hiſtoriae animalium graecam, eamque primam, Aldinam nempe annorum 1495, 1497 et 1498, Florentinam anni 1527, Baſileenſium trium poſtremam, anni 1550, Venetam Camotii, anni 1553, Sylburgianam anni 1587, reliquasque recentiores editiones comparavit Editor, earumque non omnes, vt diligenti et continuata comparatione nobis conſtitit, ſed praecipuas tantum varietates, quae quidem Gallo memoratu dignae videbantur, annotauit. Codicum ſcriptorum graecorum quatuor lectionem Editor non ſuis, ſed alienis oculis et manibus cum lectione vulgata comparatam appoſuit. Principem locum tuetur codex Mediceus, quem vtpote antiquiſſimum ex quatuor codicibus, quos Bibliotheca Medicea Florentiae aſſeruat, delectum perluſtrauit, eiusque varietatem excerpſit Bandini. Ex quinque codicibus Vaticanae Bibliothecae vnum eumque integerrimum, cum reliqui manci et mutili eſſent, comparauit Foggini. Ambroſiani ſeu Mediolanenſis codicis varietatem a quopiam exſcriptam Gallo ſubmiſit Branca. Regium Pariſienſemm codicem,

omnium

omnium minime vetuſtum, ex codice peioris notae deſcriptum, et ſubinde ex Theodori verſione latina interpolatum, ipſe cum vulgato textu contendit Gallus. Praeterea reperit in Bibliotheca regia Pariſienſi exemplar editionis Iuntinae; cuius marginibus adſcriptae leguntur manu Bernardi Caniſiani Atſoli filii variae lectiones, ſine dubio ex codice aliquo ſcripto excerptae, quas cum reliquorum codicum varietate ſimul annotauit Gallus. Nobis vero olim contigit inſpicere codicem graecum, qui fuerat Beati Rhenani, et priores libros ſex ex hiſtoria animalium continebat. Eum diligenter cum lectione vulgata contendimus, nunc vero in plerisque omnibus lectionibus, quae quidem approbari merentur, cum codice Mediceo et Caniſiani conſentire deprehendimus. Eſt tamen, vbi ſolus integram et veram Ariſtotelis ſcripturam ſervaſſe videtur; nec raro nobis, cum eius lectionem cum varietate ex codice Mediceo annotata compararemus, incidit ſuſpicio, male et negligenter in opera comparandi codicis Medicei verſatum eſſe, quisquis demum eam ſuſceperat.

Alterum Volumen initio continuat Prolegomena, vbi ſtatus hiſtoriae naturalis poſt Ariſtotelem cum nominibus celeberrimorum ſcriptorum declaratur. Verum vbique apparet, Gallum turbulentiſſimos quosque riuulos ſectatum fontes ipſos non adiiſſe; igitur niſi vulgaria non tradit levitate transſultatoria. Oppiani Ixeutica temporum iniuria abolita fuiſſe, nec hodie exſtare putat. Nemeſiani nihil praeter Poëma de venatione ſupereſſe tradit. Athenaeum denique inepte inter auctores hiſtoriae naturalis recenſet, qui niſi aliena non tradidit, appoſitis vbique auctorum nominibus. Ab Athenaeo ſubito tranſit ad Carolum Magnum, et deinceps ſeculi noni ſcriptores recenſet.

Poſt Manuelem Philen et Georgium Piſidem nominatur ſtatim Petrus Creſcentinus, Hildegardus Pinguenſis, Vincentius Bellouacenſis, ſimilisque auctorum farrago. Iſidori vero Hiſpalenſis, Marbodaei aliorumque ſcriptorum, qui Plinium aliorumque vetuſtiorum ſcripta compilarunt, ita tamen, vt ex moribus atque ingenio temporum ſuorum quaedam admiſcerent, nulla plane fit mentio. Nec magis nominatur Friderici ſecundi, Imperatoris, de Arte venandi cum auibus liber egregius, Auguſtae Vindelicorum editus, qui de anatomia, natura, ingenio et moribus auium omnium vel antiquiſſimorum auctorum optime diſputauit. In vetuſtioribus ſcriptoribus fruſtra quaeſiuimus mentionem Apollonii, Antigoni Caryſtii, deinde Baſilii, Euſtathii ſimiliumque ſcriptorum, qui Mirabilium libros ex Ariſtotelis ſcriptis collegerunt, aut dum Hexaëmeri opera illuſtrabant, materiem vndique a quibuscunque hiſtoriae naturalis ſcriptoribus corrogabant. Cupidiſſime vero perlegimus illam partem, quae veterum et recentiorum Commentatorum hiſtoriae Ariſtotelicae notitiam tradit. Verum ſtatim ab initio profitetur Gallus, ſe pauciſſimorum tantum ſcripta pertractaſſe, ex quo conii-cere licet, quam leue eius ſit iudicium de eorundem auctoritate. Albertum Magnum tanquam interpretem Ariſtotelicae hiſtoriae non multum hiſtoriae naturalis ſtudium adiuuiſſe fatemur; ſed multa ex ſua alienaque obſeruatione de natura animalium prodidit, quae recentiorum temporum experientia confirmauit. Optandum igitur eſſet, vt vir aliquis doctus ſcientia naturali bene inſtructus et hiſtoriae litterariae bene gnarus, ſcriptorum illorum, quorum nomina et verba ſaepe laudat Albertus Magnus, aetatem et ſcripta diligentius inueſtigaret, atque hiſtoriam litterariam ſcientiae naturalis,

turalis, quae Alberti Magni aetate iam aliquo procedere vltra vulgares ineptias coeperat, magis magisque illuſtraret. Poſt Albertum nominatur Aug. Niphus, qui verſionem Gazae repetiit, adiectis interdum opinionibus ſuis de hodiernis animalium Ariſtotelicorum nominibus. Verum cum ſaepiuſcule etiam Niphus de varietate codicum graecorum moneat, operae pretium erat diſpicere, vnde codicum graecorum notitiam ille habuerit. Nobis quidem nondum contigit Alberti Magni librum aut Aug. Niphi commentarium inſpicere. Ex hac vero noſtra narratione facile lectores iudicabunt de eruditione noui Editoris, de numero et praeſtantia ſubſidiorum, quibus vſus eſt, et denique de natura atque vtilitate nouae verſionis eique additorum commentariorum. Sed ne quis iudicium noſtrum, quod ſubinde iam indicauimus, leuitati aut inuidiae tribuat, age, ponamus ex ſingulis Ariſtotelicae hiſtoriae libris ſpecimina quaedam, quibus et iudicium noſtrum confirmemus, et ſimul teſſeram noſtram ad illuſtrandum atque emendandum egregium opus conferamus.

L. I. c. 9. de ſignificatione ſuperciliorum, quae, inquit, ad tempora inflectuntur, indicium μώμυ καὶ εἴρωνος habent. Rectius hic codices Ambroſianus, Vaticanus et Mediceus μώκυ habent, quod ſubſannatorem ſignificat, cum μῶμος irriſionem ipſam denotet. Igitur μώκυ recipi debuiſſet. Ibidem de ſignificatione canthorum oculi eſt: οἱ ἂν μὲν ὦσι μακροὶ, κακοήθυς σημεῖον. ἂν δ' οἷον οἱ κτένες κρεῶδες ἔχωσι οἱ πρὸς τῶν μυκτῆρι, πονηρίας. Primum ex codice Vat. Ambr. Medic. Caniſ. annotatur varietas κακοηθείας, deinde de ſignificatione vocis κτένες dubitatio Scaligeri refertur. Sed codices ſcripti nihil adiuuant, niſi quod in Caniſiani codice exſtabat καὶ ἰκτῖνες ſcriptum. Le-

Tom. I. p. 24.

ctionem eandem posuit etiam Galenus, qui hunc locum excerpsit, et paulo quidem integriorem; T. V. p. 453 ed. Charterii, vbi legitur: κακοηθείας σημεῖον. οἷς δὲ βραχεῖς, ἦθος βελτίονος. ὧν δὲ οἱ κτένες οἷον κρεῶδες ἔχοντες πρὸς τῷ μυκτῆρι. Commodius igitur οἷον ante κρεῶδες ponetur, et κτένες significabunt aut furcam seu fissuram canthi seu angulum; aut referenda huc est notio ὄζος, quam in arboribus adhibuit Theophrastus. In sequenti etiam capite Galenus alium locum integriorem seruauit, quod editor non vidit. De auricularum significatione morali: καὶ ἢ μεγάλα, inquit, ἢ μικρὰ, ἢ μέσα, ἢ ἐπανεστηκότα σφόδρα, ἢ ἀθὲν, ἢ μέσον, τὰ δὲ μέσα βελτίστου ἤθους σημεῖον. rectius Galenus l. c. τούτων τὰ μὲν μικρὰ κακοήθους σημεῖον, τὰ δὲ μέσα βελτίστου ἤθους.

p. 32. Cap. 15. mentio fit λυγνίων ἐπταπλεύρων. Gazam in suo codice reperisse λίγυων, cum Plinio XI. 37 Turdulos interpretatum, iam olim docuit Sylburgius, et post eum Reinesius Var. Lect. p. 74. Codd. Reg. Vatic. Ambr. λιγνύων, Mediceus et Canis. rectum λιγύων exhibent. Gallus vero noster, qui plus, quam reliqui Interpretes sapere sibi videbatur, λυχνίων rescripsit: les Lychniens, interpretatus, nulla edita ratione. Sed in commentario p. 590 monet, se a Danvillio commemoratam Macedoniae vrbem Λυχνιδοῦς nomine reperisse, eiusque incolas esse fortasse Λυχνίους illos, quos Duval importune in Aristotelis locum inuexit. Mirum est, hominem ingenio suo adeo indulsisse, vt contra Plinii, Stephani Byzantini, Codicum et Gazae auctoritatem, denique contra analogiam grammaticam, nouam induceret lectionem, quae nihil aliud nisi Duvalii negligentiam et noui Editoris inscitiam significat. Quid? quod Eustathius ad Dionysii Periegesin versu 76 ipsam lectionem λιγύων aperte

aperte ex hoc loco refert. In eodem capite alius etiam est locus, quem idem ille Eustathius paulo aliter lectum in commentarium suum retulit. De talis pedis humani sermo est: λέγει δὲ καὶ ὅτι τῶν σφυρῶν ἑκάτερον ἐκ πλαγίᾳ τῶν δεξιτερῶν καὶ ἀριστερῶν κάμπτεται. Hodie vero locus Aristotelis ita legitur: τῶν δὲ σφυρῶν ἑκάτερον κατὰ τὸ ἓσ. ἐκ δὲ τῶν πλαγίων τῶν δεξιῶν καὶ τῶν ἀριστερῶν οἱ βραχίονες τὴν κάμψιν ἔχοντες εἰς τὸ ἐντός. Gallus ex codd. Reg. Ambr. Vat. rescripsit ἢ τὸ ἓς. in reliquis codices nihil variant.

II. cap. 1. Animal hippardium dictum in codice Mediceo, vti et in nostro et editione Aldina, pardion scribitur. Gallus noster vulgatam lectionem Cheval-pard reddit, et suspicatur intelligi Cervum Tarandum Linnei, la Renne, animal plane septentrionale, quod longo tempore post Romanis demum innotuit. Longe vero rectius Cel. Pallas hippardium Aristotelis camelopardalin interpretatur in Spicileg. Zoolog. I. p. 4. Porro Cap. XI. vbi in chamaeleontis descriptione pardalia nominantur, Gallus in commentario p. 60. hoc nomen putat esse genericum, quod pantheram, pardalin, tigrin, lyncem et thoëm comprehendat. Sed de hac re iudicium est difficile. p. 58. p. 76.

III. 2. ex Syennesi de venarum ortu infit: ἐκ τῦ ὀφθαλμῦ παρὰ τὴν ὀφρῦν διὰ τῦ νώτυ et cet. In codice Mediceo legitur ὀμφαλῦ περὶ τὴν ὀφρῦν; quam lectionem reddidit vetus Interpres. Verum ea cum voce ὀφρῦν nulla ratione potest conciliari, vt monuit etiam Gallus. Merito igitur suspicamur, eum, qui codicis Medicei varietatem exscripsit, non satis oculi aciem intendisse. In nostro enim codice, qui olim Beati Rhenani fuit, exstat scriptum: ὀμφαλῦ περὶ τὴν ὀσφῦν. qua lectione omnis plane difficultas tollitur. Idem sentimus p. 116.

p. 120. de alio loco in fine capitis, vbi vulgo legitur: ἂς ἀποσχῶσιν ὅταν τι ὑπὸ τὸ δέρμα λυπῇ. ἂν δέ τι περὶ τὴν κοιλίαν, τὴν ἡπατῖτιν. Ex codice Mediceo affertur varietas haec: ἂς ἀποσχίζσιν αἱ καὶ παρέχσιν ὅταν ὑποδράμῃ λύπη· αἱ δ' ἔτι καὶ περὶ. Verum monet excerptorum auctor, posse etiam ita legi: ἂς ὑποσχίζσιν αἱ ὑπερέχσαι ὅταν ὑποδράμῃ λύπη. ἂν δέ τι καὶ περὶ. Ex quo iterum suspicamur Mediceum magis cum nostro conuenire, quam ab eius exscriptore annotatum est. Cap. 3 in ver-

p. 122. bis Polybi codex Mediceus cum Canis. et versione Scoti habent ἀρχὸν, anum, pro ὄρχιν. Eadem vox ab Aristotele II. c. 17 adhibetur ea notione. Ibidem post locum Homericum legitur vulgo de

p. 126. vena: τείνσι παρά τε τὴν πλευρὰν ἑκάστην φλεβία καὶ πρὸς ἕκαστον τὸν σφόνδυλον σχίζεται διχῆ. In Gazae versione est: finditur etiam bipartito haec eadem vena iuxta vertebram, quae supra renes posita est. Gallus nullum codicum varietatem annotauit; verum noster codex in margine veluti vulgatiorem, vt solet alibi etiam, habet eam lectionem, quam Gaza reddidit: κατὰ δὲ τὸν ὑπὲρ τῶν νε-

p. 132. φρῶν σφόνδυλον et cet. — Cap. 5. venae dicuntur totius corporis figuram, veluti in pictis καναβοις, ita exprimere, vt in hominibus macilentis tota corpora mgles plena venarum appareat. Gaza eumque secutus Scaliger καναβσς depictos canales interpretatur, impulsi vterque auctoritate Philoponi, qui locum de Generatione II. 6. ἐκ δὲ τῆς καρδίας αἱ φλέβες διατεταμέναι, καθάπερ οἱ τὰς καναβσς γράφοντες ἐν τοῖς τοίχοις. τὰ γὰρ μέρη περὶ ταύτας ἐσὶν, ἅτε γινόμενα ἐκ τούτων. de cisterna ineptissime explicat. In codice Mediceo et Canisiano scriptum est καραβοις, quam vocem tenuit vetus Interpres. Cum nullibi veram huius loci et verbi κάναβοι interpretationem traditam legissemus, vehementer sumus mirati Gallum nostrum hic

hic acutius vidiſſe et loci difficilis ſenſum interpretatione ſua apertiſſimum feciſſe. Poſuit enim: La diſpoſition des veines reſſemble à celle de ces lignes que les Peintres tracent avant de former une figure; elles ſuivent tellement tout le contours du corps, que dans les ſujets fort maigres on ne croiroit ne voir que des veines. Veram eſſe hanc Galli interpretationem paucis docebimus. Primum igitur Heſychius: κάναβοι, inquit, dicuntur ligna, quocirca fictores ceram primum ponunt. Vnde etiam homines macilenti et graciles canabi appellantur. Idem deinceps καναβιος κηρὸς, cera canabina, qua vtuntur ſtatuarii ad fingendum. Pollux VII. 164. et X. 189. eadem tradit, et praeterea docet, non ſolum lignum illud, cui cera circumpoſita in figuram effingitur hominis, ſed formam etiam illam, circa quam figuli dolia vinaria fingunt, κάναβον atque inde etiam lutum canabinum dici. A plaſtica igitur arte translatum eſt vocabulum hoc ad picturam, vbi lineamenta illa, quibus figura hominis vel animalis pingendi primum circumſcribitur et deſignatur, canabi nomine intelliguntur, vt ex hoc Ariſtotelis loco clariſſime apparet. Quales vero fuerint figurae illae hominum vel animalium in parietibus lineamentis circumſcriptae ſolum, quas Ariſtoteles comparat, difficile eſt iudicare. Hoc vero planum eſt, ex ratione pictorum, non vero ex plaſtica, vt voluit Heſychius, eſſe arceſſendam originem notionis, qua homines macilenti et graciles καναβινοι dicuntur; vnde etiam σῶμα τὸ καννάβινον in Epigrammate Anthologiae, de quo Huetius in Animad. p. 17 et 19. Male igitur Heinſius ad locum priorem Heſychii τὰς γεγραμμένας καναβας interpretatur picturas macilentorum hominum. Gallum noſtrum ad veram notionem direxiſſe videtur lingua vernacula, quae vocem *cannevas* eodem fere ſenſu adhibet.

p. 144. III. Cap. 11. de cauſis canitiei, manifeſtum eſt, inquit, ὅτι ἐκ αὐότης. Ita ſcilicet Gallus reſcripſit auctore codice Regio, in quo tamen rectius ἐκ ἀυότης ſcriptum exſtabat, quod ille non intellexit, cur ſpiritus aſper additus eſſet. Vulgo ἐ χαυότης legebatur. Sed eandem emendationem ingenio conſecutus iam olim tradidit Septalius in commentario ad Problemat. T. II. p. 104.

p. 146. Ibidem ἧττον δὲ γίνονται φαλακροὶ οἱ διγένειοι. Gaza interpretatur, qui ſunt mento bipartito, calui rarius fiunt. Gallus vero: dont le menton n'eſt pas fourchu. In Codice nempe Ambr. et Regio reperit: οἱ μὰ δυγένειοι, ſed in margine adſcriptam vulgarem lectionem; in Mediceo ὁ μαδηγένειοι. Vetus interpres, quem Scotum eſſe perhibent, habet: *euulſus vero barbam non erit caluus niſi modicum.* Miramur, Gallum hac lectionis varietate commotum non vlterius inquiſiuiſſe, cum vulgaris omni fere ſenſu careat, nec vllam veri ſpeciem praeferat. In noſtro codice μὴ διγένειοι ſcriptum exſtat; in margine vero recentiore manu additum eſt οἱ μαδυγέναοι. Ex quo apparet veram lectionem eſſe οἱ μαδαγένειοι vel μαδηγένειοι, i. e. laeui mento, ſeu imberbi, quam Scoti verſio expreſſit. Photius in Lexico habet: μαδαγένειον τὸν μαδαρὸν ἔχοντα γένειον. Pollux l. 88. μαδηγένειος ſcriptum habet. — III. cap. 21. legebatur vulgo ſine ſenſu, in Epiro, γίνεται δὲ ζῶα ἃ καὶ τἆλλα μεγάλα τετράποδα, fieri animalia grandia, quemadmodum reliqua quadrupeda. Sed Gallus recte auctore codice Mediceo, conſentientibus tribus verſionibus ex graeco factis: γίνεται δὲ ἔξω ὄνϑ καὶ τἆλλα et cet. i. e. praeter aſinum etiam reliqui quadrupedes in Epiro inſignes magnitudine creſcunt.

p. 164.

p. 172. IV. 1. de Molluſcorum corpore: tertia, inquit, pars, alueus, κύτος, dicta, ὃ περιέχει πᾶν τὸ σῶμα.

Le

Le tronc, qui couvre le reſte de leur corps. · Vix poterat ineptius Gallus. Manifeſtum eſt, lectionem, quam codex Mediceus cum editione Camotii praefert, τὰ ἐντὸς, i. e. interiora, vnice veram eſſe. Quomodo enim alueus, i. e. extrema totius corporis pars in molluſcis, licet maxima, poteſt tegere totum corpus, cui ab anteriore parte caput et pedes additi ſunt? Ibidem πόδας δικοτύλους, i. e. duplici acetabulorum ordine inſtructos, vt recte Gaza, male Gallus reddit: ils ont à ces pieds une double cellule. Similiter proboſcidum τραχύτητα δικότυλον inepte reddit; une aſperité qui a double cellule. Ita vero omnis differentia inter polypum et osmylum tollitur! Ibidem, vbi Ariſtoteles ſitum p. 174. mytidos ab atramenti veſicula diuerſum aperte tradit, Gallus tamen in verſione omnia perturbauit, cum verba μύτιν καὶ ἐπὶ ταύτῃ θολὸν ita interpretatur, quaſi ἐν ταύτῃ ſcriptum eſſet: La mytis où eſt contenue l'encre — Le reſervoir de l'encre (μύτις) eſt ſituée au deſſous de la bouche, et l'oeſophage la traverſe. Denique verba: ἡ δὲ τὸ ἕτερον ἀνατείνει, κάτωθεν ὁ θολὸς, omnium peſſime ita vertit: Le canal qui vient du reſervoir de l'encre, tend en bas vers le même lieu que l'inteſtin. Quanto rectius Gaza, quem ſequi debebat: at vero atramentum infra continetur, qua inteſtinum petere incipit ſuperiora!

Ibidem locum vexatiſſimum de nautilo, qui p. 178. vulgo ita legitur: ὅτε καλώμενος ὑπό τινων ναυτίλος καὶ ὁ ναυτικὸς, ὑπ' ἐνίων δὲ ὠὸν πολύποδος, ita olim Salvianus p. 162 a. Hiſtor. Aquatil. ex impreſſo quidem codice, ſed ad antiqui Mti cenſuram caſtigato, emendabat: ὅτε καλώμενος ὑπό τινων ναυτίλος, καὶ ὁ ποντίλος ὑπο τινων. ἔστι δὲ οἷον πολύπους. Plinii etiam pompilum mutabat in pontilum. Gallus ex codice Mediceo eandem fere in textu poſuit lectionem:

ctionem: καὶ ναυτικὸς ὑπ' ἐνίων. ἔστι δὲ οἷον πολύπους. Monet tamen, in ipso codice pro ναυτικὸς legi πονπῖλος, cum qua lectione Plinii pompilus conuenit. Difficile est iudicare, vtra lectio in posteriore membro sit praeferenda, ἔστι δὲ οἷον πολύπους, i. e. polypo fere similis est, an ὑπ' ἐνίων δ' ὠὸν πολύποδος, i. e. ab aliis ouum polypi appellatur. Videtur tamen vix credibile, Plinium ouum polypi legisse hic; Athenaei vero locum VII. p. 317. in patrocinium alterius lectionis (οἷον πολύπους) trahere nollemus. — In eodem loco vulgari lectioni: ἀλλ' ἔστιν ὥσπερ κοχλίας substituit Gallus scripturam Vaticani et Ambr. cod. ἀλλ' ἔνεστιν, quae parumper in sensu loci immutat. Obiter etiam monemus, lectiones codicis Vaticani a Gallo allatas h. l. differre ab illa lectionis discrepantia, quam ex alio Vaticanae bibliothecae libro scripto attulit Saluianus l. c. cuius librum Gallus nunquam inspexisse videtur.

p. 178. L. IV. 2. In historia crustaceorum enarranda tam diligenter versatus est Aristoteles, vt non externas solum, sed etiam internas corporis partes sigillatim omnes nominaret et describeret; quarum quidem vocabula pleraque ab iis diuersa sunt, quibus hodie easdem partes indigitamus, vt lector non satis attentus parum aut nihil in tota hac tam accurata tractatione intelligat. Itaque etiam hic omnium maxime primum interpretis officium in Gallo nostro desiderauimus. Is enim nihil aliud nisi verba graeca gallicis commutauit; de sensu ipse nunquam cogitauit ipse, nec alios docere aggressus est. In quo quidem magis laudandus esse videtur, quam culpandus. Nemo enim alios docere potest, quae ipse nunquam diligenti corporum naturalium inspectione et contemplatione didicit. Igitur bene sibi consuluit Gallus, cum illam interpretandi rationem ingrederetur, vt loca hinc

inde

inde, vtcunque lubuerat, excerpta in commentarios sic dictos referret, difficilia quaeque sedulo omitteret, ne toties ignorantiam profiteri cogeretur. In enarranda quidem crustaceorum historia, quam in plura membra discerpsit, vbi plurimarum partium vocabula interpretis officium desiderabant, nisi ad colli nomen non adhaesit Gallus. Etsi vero Gaza, Scaliger et Gesner recte collum astacorum et cancrorum caudam interpretati sunt, noster tamen Gallus tam plana in re caecutiuit, et corpus ipsum intelligi putauit. Vide Commentarii p. 291. Apparet igitur multo minus eum intellexisse, quae Aristoteli πτερύγια, i. e. pinnulae, dicantur. καὶ τὰ πτερύγια τὰ μὲν ἐν τῷ ὑπτίῳ ἡ μὲν θήλεια μέγαλα ἔχει καὶ ἐπ᾽ ἔλαττον τὰ πρὸς τῷ τραχήλῳ· ὁ δ᾽ ἄρρην ἐλάττω καὶ οὐκ ἐπ᾽ ἐλάττονα. p. 180. Satis quidem cautus fuit in eo, cum verba graeca gallicis mutaret iisdem, sed pessime fecit, cum optimam et vnice veram lectionem ἐπαλλάττοντα in ἐπ᾽ ἐλάττονα bis in eodem loco deprauaret, codicis Regii, Ambrosiani atque editionis Aldinae auctoritatem, quae fere nulla est, secutus, etsi totus hic locus recte in codice Mediceo, omnium optimo, scriptus exstabat. Verba ἐπ᾽ ἔλαττον interpretatur: les nagoires vont en diminuant du coté du col. Sed clarum est, pinnulas intelligi appendices illas caudae, quibus feminae oua affixa gerunt, in maribus quinas in vtroque latere, in femina vero quaternas. Situm earum exprimit verbum ἐπαλλάττοντα, quod latius explicare hoc loco nolumus. Easdem vult appendices Aristoteles paulo post, vbi ait: Collum ipsum seu cauda exterius quinquefariam diuisum est, sexta pars postrema et plana in quinque tabellas finditur. Interius quatuor pilosae partes positae sunt, in quae feminae partum deponunt. Caudam igitur astacorum senis articulis distinguit Aristoteles

ſtoteles, quorum vltimus latus, in quinque tabulas fingitur. Quicunque vel aſtacum fluuiatilem vnquam inſpexit, hanc caudae ſtructuram agnoſcat, neceſſe eſt. Quod vero caudae femininae appendices tantum quatuor piloſas commemorat, id ita interpretandum eſt, quaſi τέτταρα latine quaternae vtrinque dicantur, aut quatuor duplici ordine poſitae. Gallus iterum male: Les parties voiſines
p. 184. de ce qu'on nomme le col. Deinceps vbi inteſtini recti exitum definit, ipſe Ariſtoteles ἠρὰν nominat; contra in cancris exitum inteſtini in medio ἐπιπτύγματι collocat, quod Gallus male *opercule* interpretatur. Videtur enim potius ἐπίπτυγμα cancrorum caudam ſub ventrem attractam et reflexam ſignificare: Quod ex eo fit manifeſtum, quod cancri feminae ἐπίπτυγμα, quemadmodum carabi feminae, maius et piloſius dicitur eſſe in fine capitis 3. Reliquam internarum partium deſcriptionem, obſcuram ſane, extricare non adeo difficile erat, adhibitis in conſilium anatomicis Williſii, Portii, Redi, Liſteri et Roeſelii aliorumque deſcriptionibus cancrorum et aſtacorum. Sed haec altioris indaginis, aliusque loci, non huius, ſunt. De turbinatis cap. 4. traditur, omnia ea cum operculo naſci ſtatim:
p. 192. τὸ ἐπίπτυγμα πάντ' ἔχει ἐκ γενετῆς. Gallus peſſime: Tous les teſtacées naiſſent avec leur enveloppe. Putabat nempe ipſam teſtam intelligi; ſed haec Ariſtoteli ὄστρακον dicitur. Oeſophagum turbinatorum duplicem vſque ad papauer pertinentem facit lectio vulgaris ibidem; ſed recte codex Mediceus et Caniſiani ἁπλᾶς praeferunt, i. e ſimplex, pro διπλᾶς, i. e. duplex, quam quidem ſcripturam recipere debebat Gallus, ſi quidem hiſtoriam Ariſtotelis a ciuibus ſuis recte emendatam legi omnemque Philoſophi doctrinam recte ab iis cognoſci volebat.

Κύλλαρον

κύλλαξον Cap. 4. ita enim codex Medic. Canis. et noster scriptum habent, non inepte interpretatur *le petit-boiteux*, a κυλλὸς, claudus, mutilus. Eo vero grauius impegit in alio eiusdem capitis loco de neritis. Adhaerent, inquit, petris, ὅταν ἀποκλίνωσι τὸ ἐπικάλυμμα illud enim videtur operculi vicem gerere. Gallus vero: Ils s' attachent aux rochers, et inclinent sur eux leur coquille, qui leur sert alors comme de couvercle. Sed ἐπικάλυμμα est operculum, pars turbinatis plerisque omnibus aquatilibus communis, qua apertura testae clauditur. Eo vero reclinato animal et corpore exserto petris adhaeret. Praeterea Gallus in eo errauit, quod ἀποκλίνωσι versione sua in ἐπικλίνωσι mutauit.

IV. 8. de oculis talpae: sunt, inquit, duo canales p. 210.
neruosi et validi a cerebro, ea parte, vbi neruus connectitur, iuxta basin oculorum extensi, qui desinunt in dentes superiores exsertos. Recte hoc loco codex Mediceus, Canis. et noster cum antiqua versione praeferunt lectionem ἢ συνάπτει τῷ μυελῷ, i. e. ea parte, vbi cerebrum cum medulla oblongata connectitur, quam recipere debebat Gallus, cum vulgaris plane absurda sit. Docere volebat Aristoteles, quod recentiorum experimentis comprobatum est, oculis talpae nullum cum cerebro per neruos commercium esse. De duobus vero neruis, qui basin oculorum praetereunt, et ad dentes superioris maxillae exsertos tendunt, nullibi traditum meminimus; nec tempus, quo haec scribimus, talpam incisam inspicere permittit. — Cap. 8. de odoratu animalium, ponit exemplum in- p. 216.
sectorum: apes, inquit, et οἱ κνῖπες mel ex longinquo odorantur. Gaza muliones culices dictos ex Plinio huc transtulit; cautius Gallus noster vocem graecam retinuit. Sed in commentario p. 217.

fluctuat

fluctuat inter vocem *coufin* et *moucheron*, quarum neutra ſenſum vocabuli graeci exprimit. Κνίψ enim genus formicae minutum ſignificat, cuius guloſitatem patres familiae nimis ſaepe in promtuariis mellis experiuntur. Locus manifeſtus eſt Ariſtotelis de ſenſu cap. 5. paruarum formicarum genus, inquit, quod quidam ſcnipes appellant. Sed in Theophraſti Hiſtoria Plantarum IV cap. 17. σκνῖπας Plinius IX ſect. 37. § 7 culices vertit. Male! Iterum Ariſtoteles H. A. IX. 9 ſcnipes et vermes commemorat, quos pici pulſandis arborum
p. 218. truncis euocatos deuorant. — Ibidem de ſolenum ſenſu, traduntur, inquit, etiam ſolenes ad ſtrepitum fugere et profundius recedere, cum ferrum appropinquare ſenſerint. Semper enim pars aliqua eorum ſuperexſtat; reliquum vero corpus quaſi in cellula latet incluſum. Recte etiam Gaza verba: ὑπερέχει γὰρ αὐτῶν μικρὸν reddit: exiguo namque exſtant. Contra Gallus peſſime: les Solenes paroiſſent ſ' enfoncer quand on fait du bruit: ils ſe retirent en fuyant ſous le ſable, lorsqu'ils ſentent approcher le fer. on ne voit plus alors qu'une petite partie de leur coquille, le reſte étant comme rentré dans ſa rétraite. Scilicet ſolenes, (Couteliers Pictonibus dicti) parte carnea exſtante veluti piſtillo in arenam penetrant ad perpendiculum; parte vero ſuperiori emittunt ſiphunculos duos reſpiratorios, ad quos veſtigia foraminum in arena relicta ducunt. Hos igitur ſiphunculos cum ferramentum tangit, retrahit ſe animal. Piſcatores vero gallici ſparſo in foraminibus arenae ſale eliciunt foras. Vide diſputationem Reaumurii in *Mémoires de*
p. 223. *Academie* 1722. p. 118. — Cap. 9. Vocem rana-narum marium vbi Ariſtoteles explicat, bene Gallus in commentario adhibuit obſeruationes Swammerdammii, oblitus tamen loci Pliniani, quem egre-

gio commentario nuper illuſtrauit Camper. Verba: δοκοῦσι δὲ διαλαμπρυσμῶν τῶν σιαγόνων ἐκ τῆς ἐπιτάσεως ὥσπερ λύχνοι φαίνεσθαι οἱ ὀφθαλμοί rectę Gallus ſuſpicatur referri ad ſinus ſeu veſicas ad latera capitis marium ranarum ſitas, quae inflatae vocem cum lingua ſingularem efformant. Hunc verborum Ariſtotelicorum ſenſum licet obſcuriorem praeter morem clariſſime, ſed fortaſſis ex alieno auctore, indicauit Plinius, dum *extenti*, inquit, *buccarum ſinus perlucent, oculi flagrant, labore perpulſi.* Hos ſinus eorumque ſitum et nexum cum lingua accuratius deſcriptum delineauit Camper. Cap. XI. p. 231. ἐπιτραγίας piſces apte interpretatur Gallus *bréhans*. Pro cyprino et barino Gaza carinum et balagrum nominat. Carinum appellant Codd. Ambr. et Regius; contra Medic. Caniſ. cum noſtro et duabus verſionibus antiquis balagrum. Difficile eſt de veritate ſcripturae pronunciare; videtur tamen omnium antiquiſſima lectio βαρῖνος eſſe; exſtat enim Heſychii gloſſa a Conr. Geſnero non omiſſa: βαρισίκται οἱ μὴ γεννῶντες. quam vir doctus in Paralipom. p. 1291. emendat: βαρῖνοι ἰχθῦς οἱ μὴ γεννῶντες. Alibi nomen hoc nondum fuit inuentum; igitur qualis eo cenſeatur piſcis, dubium eſt. Ex piſcium genere iſto, quod Gallus *bréhans* dixit, maxime celebratur in Gallia ſpecies cyprini, *carpeau* dicta, propter inſignem carnis ſaporem, quam nuper accurate deſcripſit Gallus de la Tourrette in Rozierii Obſeruat. Phyſicis Tom. VI. p. 271.

L. V. cap. 5. Ex teſtudinum genere (τούτων δὲ ἡ θήλεια et cet.) femina vnum eundemque vrinae excrementorumque habet canalem, licet veſica inſtructa. Sed de femina loqui non poterat Ariſtoteles; ea enim, quod ad veſicam attinet, a mare non differt. Igitur putamus pro θήλεια legendum eſſe θαλασσία; nominat enim teſtudinem mari- p. 245.

nam, vt ab aquatili diſtinguat, quae ab Ariſtotele
p. 246. veſica carere dicitur. — V. 6. de genitali polypi brachiis innato, quale piſcatores vulgo perhibebant: εἶναι δὲ τὸ τοιῦτον, ὥσπερ νευρῶδες, μέχρι εἰς μέσην τὴν πλεκ]άνην προσπεφυκὸς, ὃ πᾶν ἐμπιφρᾶναι εἰς τὸν μυκ]ῆρα τῆς θηλείας. Hoc loco vulgo legebatur προσπεφυκὸς ἅπαν εἰς τὸν μυκ]ῆρα. Ex codice Mediceo, vbi eſt ἅπαν ἦν ἐμπιφράναι, emendauit lectionem Gallus; non inepte! Reliqui codices cum noſtro conſpirant in vulgari lectione. Ceterum μυκ]ῆρα, i. e. nares, Gallus interpretatur *la trompe*, φυσητῆρα vero paulo poſt in eodem loco *l' event*, cum tamen vtrumque vocabulum eandem partem ſignificet. In commentario p. 511. primum erronee toti molluſcorum generi octoni pedes aſſignantur; deinde additur: *Les calmars et les ſeches ont deux de ces bras beaucoup plus grands que les autres: Ariſtote leur donne le noms de trompes.*

p. 274. V. 15. de ſtellis marinis: φασὶ δὲ καὶ σίνος μέγιστον εἶναι τῦτο ἐν τῷ Εὐρίπῳ τῶν Πυῤῥαίων, τὴν δὲ μορφὴν ὁμοίαν τοῖς γραφομένοις. Haec lectionis varietas nulla ſub auctoritate annotatur; ſed debetur ſine dubio codici Mediceo, cum quo codex noſter plerumque conſpirat, qui eandem lectionem habet, ſed praeterea τῷ τῶν Πυῤῥαίων. Editor ſuſpicatur pro σίνος, i. e. noxa, legi debere γένος; ſed haec ipſa erat olim Conr. Geſneri ſuſpicio p. 1107. qui emendationem ſuam: φασὶ δὲ γένος τι τῦτων μέγιστον εἶναι. i. e. aiunt genus earum eſſe aliquod maximum: verſione Alberti Magni confirmabat, quam ille ex Scoti verſione in librum ſuum traduxit. Scotus vero, in mari, inquit, eſt modus huius animalis magnus. In fine de cancello legitur vulgo: ὅταν δὲ εἰσδύῃ, συμπεριφέρει τῦτο. In Codice Mediceo dicitur legi: εἰς δύο ἢ. ſed ſine dubio ibi vt in noſtro Codice ſcriptum eſt εἰσδύσῃ. Etiam hoc exemplo

exemplo negligentia exſcriptoris codicis Medicei conſtat. — V. 19. de aureliis papilionum: περὶ ἐχόντων δὲ πόρους ἀραχνώδεσιν, ἔτε δὲ σῶμα ἔχουσιν, ἔτε ἄλλο τῶν μορίων διάδηλον ἐν θέν. Les chryſalides ſont enfermées dans des cavités faites d'une matiere qui reſſemble aux fils d'araignées. Nimis ſeruiliter haec ex Gaza expreſſa ſunt, cuius verſio ſic habet: meatibus araneoſis obductae. Primum ex codice noſtro legimus προσέχονται, et totum locum conſentiente rerum natura ipſa interpretamur: dependent vero ex filis telae aranearum tenuitate, nec oris nec alius membri expreſſa imagine. Πόρος enim non ſolum canales, meatus, ſed etiam fila ſolida, nec caua, ſignificare patet exemplo capreolorum illorum, quos canicularum et raiarum ouis quadratis ad angulos additos Ariſtoteles itidem πόρος vocauit. Paulo poſt: χρόνος δὲ ὁ πολλῶ διελθόντος recte Gallus ex Codice Mediceo reſtituit, cum vulgo negatio deeſſet, vti etiam in noſtro Codice. Breue eſt omnino tempus, quod inter transmutationem erucae in papilionem intercedit braſſicae, de quo Ariſtoteles hoc loco praecipue loqui putandus eſt. Naturam erucae et papilionis braſſicae recte nouit et explicuit Gallus in commentario p. 108. ſed nimis argutatur in refutando Ariſtotelis errore duplice. Alterum quidem ex ignorantia graeci ſermonis ortum atque Ariſtoteli iniuria imputatum iam refutauimus; alter ex praua itidem Codicis lectione ortus facile tolletur, ſi ex Codice noſtro legeris αἱ δὲ κάμπαι γίνονται ἐπὶ τῶν φύλλων τῶν χλωρῶν, cum vulgo habetur ἐκ τῶν φύλλων. Plinius vero totum hunc locum non interpretatus eſt, ſed aliam ſecutus narrationem plane corrupit, vt recte etiam aduertit Gallus noſter. p. 286.

Ibidem generationem ἐμπίδων ex vermibus dictis recte refert Gallus ad culicem, p. 291.

cuius metamorphoſin Swammerdam explicuit Bibl. Natur. p. 348. Addimus Derrhami Phyſicotheolog. p. 950. et Liſteri Goedartum p. 336. Praeterea acute vidit, locum Ariſtotelis I. cap. 1. vbi ἐκ τῶν ἐν τοῖς ποταμοῖς ἐμπίδων ὁ οἶστρος generari dicitur, eſſe ab aliena manu corruptum. Hoc enim ipſo loco Philoſophus ait: ἐκ δὲ τῶν ἐν τοῖς ποταμοῖς πλατέων ζωδαρίων τῶν ἐπιθεόντων οἱ οἶστροι. Ita enim recte codex Mediceus, Caniſ. et noſter legunt, vbi vulgo γίνεται loco οἱ οἶστροι eſt. Atque hanc emendationem confirmat teſtimonium Soſtrati apud Scholiaſten Apollonii ad Argonaut. I. 1269. et III. 276. vbi tamen ἐπιπλεόντων legitur. Ipſum vero oeſtrum interpretatur Gallus non
p. 291. inepte de aſilo Swammerdamii p. 649 ſeqq. — Ibidem κρότωνες ex gramine oriri dicuntur. Gallus in commentario ait: lorſqu' il a dit, de la tique, qu' elle venoit du gramen, je penſe qu' il a parlé de celle qui ſe nourrit des vegetaux. Mais ſon obſervation n' eſt pas exacte — Mais il paroit qu' on n' a pas encore ſuffiſamment étudié cette partie. Verum acarus ſeu ricinus nullus prorſus vegetabili victu vtitur. Originem opinionis falſae ex conſuetudine acarorum graminum culmos vere adſcendendi, quo facilius corpora praetereuntium animalium inſultent, repetendam eſſe putamus. De eo acarorum more optime tradidit Pallas in Spicilegiis Zoologicis. — Ὀρσοδάκνας interpretatur mordelles ex latina Gazae verſione. Mirum vero, quid comminiſcatur in explicanda hac voce commentar. p. 516. Exſtitit nuper vir doctus, qui tinearum genus interpretaretur; nobis vero videntur chryſomelae ſaltatoriae intelligi, quae cotyledones, tenera folia, et cauliculos plantarum exedunt. In fine capitis ἐφήμερον dicitur τετράπτερον. vbi recte monuit Gallus, auctore Reaumurio, eos, qui Ariſtoteli de ephe-

ephemero narrauerant, pedes priores ante caput plerumque protenſos antennarum loco habuiſſe, ideoque quatuor pedes inſecto tribuiſſe, quod reapſe ſex habet.

Cap. 22. βλίτ]εται δὲ τὰ σμήνη, ὅταν ἐρίνεον σῦκον φάγῃ. Monet Gallus in Mediceo et Caniſiani codice eſſe φανῇ, quod miramur ab Editore non eſſe receptum. Etiam noſter Codex eandem praefert lectionem; vulgaris ſenſum non habet. Paulo ante, vbi eſt, ὅσα ἔχει ἐν κάλυκι ἄνθη, monet Editor Mediceum omittere ἔχει; ſed addere debebat, quod ex noſtri Codicis ſcriptura ſuſpicamur, eundem legere ἐν κάλυκι ἀνθεῖ. Senſus tamen eodem redit. — Cap. 28. ἀκρίδες Gallus vbique interpretatur *Criquets*, κάραβον vero, quem plerique ſcarabaeum interpretantur, *ſauterelles;* magis tamen eo inclinat, vt carabi nomine ſingularem aliquam locuſtae ſpeciem intelligi putet. Rationem, cur a vulgari interpretatione vocis κάραβος receſſerit, hanc affert, plane nugacem: Mais ce meme mot carabos, lorſqu' Ariſtote l'emploie pour deſigner un animal qui vit dans la mer, eſt conſtamment traduit par le mot locuſta; pourquoi donc ne pas employer la même expreſſion latine pour traduire le carabos d' Ariſtote, lorſqu'il deſigne un inſecte terreſtre? Et ſi le mot locuſta eſt toujours la traduction de carabos, il faut donc toujours auſſi rendre le mot carabos par celui de ſauterelle. On le peut avec d'autant plus de raiſon, qu' Ariſtote ne dit rien du carabos qui ne ſoit vrai de la ſauterelle; car tout ce, qu'il en dit, c'eſt qu'il a à la tête de petites cornes comme les papillons. L. IV. chap. 7. c'eſt à dire des antennes. Or cela eſt vrai de la ſauterelle. Multo etiam ineptiorem his addit notam p. 259. vbi locum Ariſtotelis IV. 7. corruptum eſſe cenſet in voce κάραβος, legendumque κάνθαρος.

p. 298.

p. 304.

Recenſentur ibi coleoptera haec, μηλολόνθη καὶ κάραβος καὶ κανθαρίς. Gaza fullonem interpretatus eſt. In codice Mediceo, Regio, Ambroſ. Caniſian. vti et in noſtro et editione Aldina legitur κάραβος; Gallus tamen reliquarum editionum lectionem κάνθαρος praetulit. Deinceps Mediceus καὶ κάνθαρος habet pro κανθαρίς. Gaza fullonem iterum in eodem capite interpretatur κάραβον, vbi papilioni iunctus legitur. Sed etiam in hoc loco, cui maxime confiſus Gallus vulgarem opinionem reliquit, codex Vaticanus in margine vocem κάνθαροι appoſitam habet pro varia lectione. Tertium vero locum V. 19. Gallus etiam male ſanum cenſet, nulla edita ratione. Dicuntur ibi κάραβοι ex vermibus arborum gigni; quod quidem in locuſtas nullo modo conuenit. Nulla tamen ſcripturae varietas in Codice vllo exſtat, niſi quod Mediceus, ſane omnium optimus, bis in hoc loco cum vetuſta verſione latina κεράμβιοι legit. Ex quo ſuſpicamur, κάραβον etiam olim κάραμβον, alia vero dialecto κέραμβον, κεράμβηλον et κεράμβυκα dictum fuiſſe, atque intelligi genus Cerambycum Linneanum, quod in lignis gignitur. In metamorphoſi apud Antoninum Liberalem Cap. 22. Cerambyx mutatur in animal Theſſalis κεράμβυξ dictum, cum quo nomine conueniunt κεράμβυξ et κεράμβηλος in Heſychii gloſſis. Cum igitur nullum Gallo praeſidium ſit in Codicum conſtantia, neſcimus, quibus ille rationibus impulſus a vulgari ratione diſceſſerit, quam plura argumenta confirmant. Aut enim, vbicunque carabi nominantur, κάνθαροι reponendi ſunt, aut nulla plane ratio eſt, cur vnico in loco, vbi carabi papilionibus iungntur, κάραβοι retineamus et de locuſtis intelliga-
p. 306. mus. — Cap. 30. cicadae, inquit, non proueniunt, niſi vbi arbuſta adſunt. Ideo nullae reperiuntur

in

in agro Cyrenaeo, multae vero circa ipſam vrbem, μάλιστα δὲ ἃ ἐλαῖαι ἃ γίνονται πολύσκιοι. Poſterius periodi membrum ita vertit Gallus: aux environs de la ville, ſurtout dans les endroits où les oliviers ne ſont pas un ombrage trop épais. quaſi haec omnia ad Cyrenes mentionem pertineant. Sed recte codex noſter ſcriptum habet: μάλιστα δὲ ἃ ἐλαῖαι, ἃ γὰρ γίνονται παλίσκιοι. i. e. Maxime quidem proueniunt in locis olea conſitis, quae nimis vmbroſa non fit. Quo quidem exemplo iterum conſtare poteſt lectori, ex noſtro codice, qui in plerisque bonis lectionibus cum Mediceo conſpirat, plura tamen Ariſtotelis loca, quam ex Mediceo, poſſe emendari. — Cap. 32. de xylophthoro ſeu phryganeo eſt: ἡ μὲν γὰρ κεφαλὴ ἔξω τῆ κελύφες προσέρχεται ποικίλη. Gallus ait lectionem προσέρχεται deberi cod. Mediceo et Caniſ. vulgo enim προσεχεται legi; ſed ipſum προσέρχεται exſtat iam in vulgaribus quibusdam editionibus, nauci tamen non eſt. Recte vero codex noſter προέρχεται praefert. Phryganeum enim in aquis capite ex teſta exſerto incedit. — p. 312.

Libro VI. 1. Cuculus dicitur nidificare in dumibus et petris. Sed iam olim Conr. Geſnerus p. 350 legendum h. l. cenſebat κόσσυφος pro κόκκυξ, cum Albertus M. cygnum ex hoc loco pro cuculo nominet. Quid in vetuſtis Scoti et aliis verſionibus legatur, Gallus non commemorauit; ſed idem alium locum VI. 7. de duplice cuculi genere interpretatur: γίνεται δὲ πίων καὶ ἡδύκρεως κατὰ τῆτον τὸν καιρὸν μάλιστα. De cuculo hoc dicitur; tum pergit: γίνονται δὲ καὶ τῶν ἱεράκων οἱ νεοτ]οὶ ἡδύκρεῳ σφόδρα καὶ πίονες. νεοτ]εύει δὲ γένος τι αὐτῶν πόῤῥω καὶ ἐν ἀποτόμοις πέτραις. Il y a une autre eſpece de coucou qui fait ſon nid au loin dans des roches eſcarpées. Sed haec poſtrema p. 322.

verba commodius ad genus accipitrum referuntur, quorum mentio anteceſſit, quam ad cuculum, cuius duplex genus diuerſis moribus niſi in altero illo et corrupto loco ab Ariſtotele non memoratur.

p. 338. Libro VI. cap. 6. αἰτώλιον interpretatur *le Milan Etolien*, ſecutus auctoritatem Buffoni et Bellonii. Sed in loco Ariſtotelis nihil eſt, quod miluum arguat, niſi vicinia rapacium auium paulo antea memoratarum. Verum enim vero multae praeterea aliae aues ab iſto genere alienae ibidem ponuntur. Lectio etiam ipſa in dubio eſt. Plinius enim X. 6 ex h. l. aegolios vel egolios habet; vnde iam olim Conr. Geſnerus putabat in Ariſtotele αἰγώλιος reſtituendum eſſe. Eodem nunc ducit ſcriptura codicis regii ἐγώλιος. Vetus anonymus interpres ante Gazam ecolius, Scotus alguneus poſuit. Deinde Geſnerus aegolium interpretabatur vlulam, impulſus, vt videtur, verſione Gazae, quae libro VII. c. 3. IX. c. 17. αἰγώλιον interpretatur vlulam. In his vero locis nulla codicum diſcrepantia inuenitur. Nocturnam auem ex noctuarum genere intelligi ſeries orationis ibi dubitare non ſinit. Sed diſputari poteſt, an eadem ſit auis, quae Suidae ἐπόλιος dicitur in h. v. et in voce ἡμερινά. Apud Heſychium ἐδώλιος auis occurrit, et apud Ariſtophanem in Auibus, vbi Scholiaſtes monet Callimacho eandem εἰδώλιον appellari. Verum haec nomina, vti ſedis incertae, ita etiam notionis ſunt dubiae.

p. 358. — Cap. 13 vbi de ouorum piſcium excluſione traditur: ὅταν δ' ἀναλωθῇ τὸ ὠὸν, γίνονται πυρινώδεις: praeclaram codicis Medicei lectionem γυρινώδεις, qua piſces recens ouis excluſi cum ranis recens

p. 362. natis comparantur, recte recepit Gallus. — Cap. 14. quem vulgares editiones ψύλωνα, Gaza vero fullonem nominant, piſcem fluuiatilem et gregalem, qui in littore parit, eum cod. Reg. ψίλονα,

Medi-

Mediceus, Caniſ. et vetus interpres τύλωνα, Scotus vero tilona appellant. Putamus equidem τίλλωνα veram eſſe lectionem, idque eo magis, quod deinceps ſtatim codices Reg. Ambroſ. et Vatic. κυπρῖνος δὲ καὶ βαλῖνος, cod. Medic. vetus interpres, et Gaza καὶ βάλερος legunt. Scotus belenis nominat. Nobis etiam hic βάλερος placet, quod iterum Libro VIII. c. 20 βάλλερος cum τίλλωνι commemoratur. Herodotus V. 16 inter piſces lacus Praſianae πάπρακας καὶ τίλλωνας nominat. Gallus inepte βαλῖνος recepit, in catalogo tamen animalium omiſit. — Cap. 15. vulgares editiones exhibent p. 362. ἰχθύδια μικρὰ ἡλίκα ἐψητῷ ἕντερά. ſed Gallus ex codice Mediceo ἕτερα reſcripſit, cum deberet etiam ἐψητοὶ emendare. Gaza ἕντερα non habuiſſe videtur in exemplari ſuo, nec ἕτερα. — VI. 15. vbi vulgares p. 364. editiones ex emendatione Sylburgii et Caſauboni habent: ἐκ δὲ τῆς Φαληρικῆς γίγνονται αἱ μεμβράδες. Gallus noſter antiquarum editionum vitium μὲν ἀράδες reuocauit, contra codicis Medicei, Caniſ. veteris interpretis et Gazae auctoritatem. In commentario igitur nulla membradum fit mentio; nec quae ſint ἀράδες docetur. Eodem pertinet, quod ex vno piſce ſecundum variam codicum ſcripturam duos fecit; alterum ἀχάρναν, alterum ἄρχανον appellauit, cum nulla dubitatio ſit ἀχάρναν vnice veram eſſe lectionem. Scriptum tamen olim fuiſſe etiam ἀκάρνα docet Heſychii gloſſa ἀκάρναξ, λάβραξ. — VIII. 15. περιμαδίαι, inquit, in luto ſe ab- p. 496. dunt; cuius rei argumentum eſt τότε μὴ ἁλίσκεσθαι, ἰλὺν δ' ἔχουσαι τῷ νώτῳ φαίνονται πολλὴν καὶ τὰ πτερύγια ἐντεθλιμμένα. Ex codice Mediceo Gallus annotauit lectionem περιμάδες — καὶ ἰλὺν ἐχούσας ἐπὶ τῷ νώτῳ φαίνεσθαι. quam cur vulgatae poſtpoſuerit, nullam plane rationem videmus, cum ſtructurae et grammatica lex illam depoſcat. τότε

enim non eſt *tum*, ſed ex το compoſitum et τε. Lectionem περιμάδες etiam veriorem eſſe nemo dubitabit, qui Oppiani Halieutic. l. 183. comparauerit, vbi libri vulgares exhibent περηνάδες, liber vero Vaticanus a Saluiano comparatus περημνάδες. Ex Heſychii gloſſa: περημάδες καὶ περῆμναι εἶδος θυννώδες ἰχθύος, ſuſpicari licet, duplicem olim huius vocabuli ſcripturam obtinuiſſe περημνάδες et περημάδες. In Nicocharis loco Athenaeus VII. p. 328 περημάδες interpretatur θυννίδας. Libro
p. 500. VIII. c. 17. Cum ſerpentes ſenectam exuunt, inquit, ab oculis primum membrana vetus diſſoluta abſcedit: μετὰ δὲ τῦτο ἀπὸ τῆς κεφαλῆς. καὶ λευκὴ φαίνεται πάντων. Poſterius membrum orationis ſenſum commodum aut facilem non habet; vitium lectionis arguit etiam Gazae verſio: glabrum enim hoc omnium antequam reliquum corpus apparet. Gallus vero, qui alias codicis Medicei vel praeclariſſimas et certiſſimas lectiones repudiauerat, mirum qua ratione ſubito impulſus hoc loco dubiam adeoque ineptam iſtius codicis lectionem κελυφὴ γὰρ φαίνεται πάντων receperit, interpretatus ita: il ſemble que ce ſoit l'étuit de tout le reſte. En cor Zenodoti! — Cap. 18. teuthus mas, inquit, a femina differt; haec enim (ἐάν τις διαξείλας θεωρῇ τὴν κόμην εἴσω ἔντερα δύο οἷον μαστὸς) ſi quis ſeparata coma interiora inſpexerit, inteſtina duo mammarum inſtar habet. Codex Medic. Caniſ. cum noſtro ἐρυθρὰ δύο habent, i. e. corpora duo rubra; quam lectionem merito recepit Gallus. Sed idem peſſime, noſtro quidem ex ſenſu, mutauit κόμην, comam, in κοιλίαν, ventrem; etſi poſteriorem lectionem codex Regius, Scaliger et Gaza approbant. Verſio gallica habet: en ouvrant la femelle, on lui trouve dans le ventre deux corps rouges. Sed διαξέλλειν eſt diſtendere, ſeparare

inui-

inuicem. Igitur retinemus vocem κόμην, quae branchias vtrinque in ventre ſitas ſignificat; quas Ariſtoteles etiam alibi IV. 7. ſimili vocabulo τριχώδη ἄτρα, partes piloſas, appellat. Has qui ſeparauerit branchias, in ventre reperiet corpora illa rubra; quorum quidem naturam ſi ex anatomia accuratius perſpectam haberemus, multo etiam certius de lectionis veritate totiusque loci ſenſu pronunciare liceret. — Cap. 26. Locus eſt de morbis elephanti difficilis: oleum, inquit, alii bibunt, alii minus; et ſi ferramentum aliquod corpori inhaeſerit, oleo eiicitur. ὅταν πίνωσιν, ὥς φασι· τοῖς δ' ὄ, ῥίζαν ἑψήσαντες ἐλαίῳ διδόασι. Ita pergit: Gaza vertit: Qui autem oleum non bibunt, iis radix tyrtami decocta in vino datur. Scoti verſio habet: et elephans bibit vinum, et quando non poteſt potare accipit medicinam, et decocunt cum oleo, et dant ei ad bibendum. Vetus incerti verſio: non bibentibus autem vinum radicem decoquentes in oleo dant. Vini igitur mentio in codicibus exſtabat, quibus hi interpretes vtebantur. In codice Mediceo ſcriptum eſt: τοῖς δὲ πίνουσι τὸν οἶνον, ῥίζαν ἑψήσαντες ἐν ἐλαίῳ διδόασι. Caniſ. codex τοῖς δὲ πίνουσι ῥίζαν et cet. omiſſa vini mentione. Has difficultates extricare non potuit Editor; ſed ſi comparaueris locum Aeliani XIII. 7. et II. 8 de Natura Animal. vbi eaedem medicinae commemorantur, vix dubitabis deſiderari hic vini mentionem ex oryza facti, quod ad plurimos elephanti morbos adhibebatur. Igitur putamus in voce ῥίζαν latere ὄρυζαν, et totum locum ita emendamus: τοῖς δ' οἶνον ὀρύζας ἑψήσαντες διδόασι. — Cap. 28 de bobus Syriacis vulgo legebatur: *boues quemadmodum cameli in ſumma ſcapula flexuram habent.* Sed Gallus ex codice Mediceo edidit: καὶ οἱ βόες καὶ αἱ κάμηλοι χαίτας ἔχουσιν etc. i. e. et boues et cameli

p. 519.

p. 523.

cameli iubam habent in ſumma ſcapula. Eandem lectionem expreſſit vetus Anonymi et Scoti verſio. Boues quidem iubatos ex h. l. commemorauit Gallus in commentario, et biſontes intelligi ſuſpicatur; ſed camelos iubatas omiſit. Decidere de veritate lectionis adeo memorabilis difficile eſt; dubitare tamen licet, dum plures animalium ſpecies in notitiam noſtram peruenerint, quas Ariſtoteles nouit.

p. 536. IX. 1. vbi libyus et celeus tanquam amicae invicem aues commemorantur, et libyus petras et montes habitare dicitur, Gazae verſio pro libyo bis laedum nominat. Gallus etiam auctoritate confiſus quinque codicum, et veteris Interpretis, λαεδὸς pro λιβυὸς reſcripſit, itaque tollere repugnantiam ſtuduit, quae ex vulgari lectione exſiſtebat, cum paulo antea Ariſtoteles celeum et libyum inimicos inuicem tradidiſſet. Sed λαεδὸν nemo praeterea legit vel nouit vſpiam. Ergo etiam de hac ſcriptura dubitari poteſt. — Ibidem amicae inter ſe aues nominantur πίφηξ, ἄρπη, ἰκτῖνος. Codex Mediceus et Caniſ. πίφιγξ, quae lectio ſine dubio verior eſt, vtpote quae etiam in Antonino Liberali c. 20 occurrit, vbi Artemiche in auem πίφιγγα mutata eſſe dicitur. Heſychius πίφιγξ, κορυδαλὸς, et alibi πιφαλλὶς, πίφιγξ. Etymolog. M. πίφιξ εἶδος ὀρνέου παρὰ τὸ πίω. χαίρει γὰρ τὸ ὄρνεον τοῦτο ὕδασι. Sed vltra ſcripturam nominis conſequi aliquid de iſta aue non potuimus. — Ibidem ſemel αἰγυπιὸς nominatur. Genus et naturam auis definire non auſus Gallus recte tamen ſtatuit, differre eam a vulture et aquila, quibuscum plerumque a grammaticis confunditur. Aelianus inter aquilas et vultures medios ponit II. 46. albosque depingit. Idem V. 48 cum aquilis pugnare ait. Boeus apud Antoninum Liberalem c. 5 duos

aegy-

aegypios forma et magnitudine diuerſos tradit. — Ibidem de antho ſeu flore aue quae traduntur, quaeſtionem de natura eius, quae hodie hoc nomine cenſeatur, adeo difficilem reddunt, vt merito dubitet Gallus de veritate opinionum illarum, quas viri docti adhuc protulerunt. Bellonius Gallorum *Bruant*, Briſſon contra eorundem *bergeronette jaune* interpretatur. Sed codicum varietati non eſt quod hoc loco confidat Gallus Editor. Quamuis enim cod. Medic. ἄκανθος praeferat, conſtat tamen teſtimonio Aeliani VI. 19 Antigoni aliorumque ſcriptorum, qui Ariſtotelicam narrationem repetierunt, veram eſſe lectionem ἄνθος. Ceterum quod Ariſtoteles tradit in vulgaribus editionibus, equum ab aue antho pratis expelli, recte auctoritate codicum et verſionum antiquarum mutatum eſt ita, vt equus auem expellere dicatur. ἐξελαύνει αὐτὸν ὁ ἵππος ἐκ τῆς νομῆς, cum vulgo legeretur ἐξελαύνει γὰρ τὸν ἵππον. Conſentit Boeus apud Antoninum Liberalem cap. 7 etiam nunc, inquit, cum anthus equum hinnientem audit, fugit interim imitatus eius vocem.

IX. 3. de pecude: ἐγκαθεύδειν δὲ ψυχρότεραι αἱ ὄιες αἰγῶν. αἱ γὰρ αἶγες μᾶλλον μηρυκάζουσι. Hoc loco primum αἱ ὄιες μᾶλλον ex verſione Scoti, deinde ἡσυχάζουσι ex quinque codd. et tribus verſionibus reſcripſit Gallus: quod plane approbaremus, ſi docuiſſet ſimul, quis verborum ἐγκαθεύδειν ψυχρότεραι ſenſus eſſet. Quod enim in verſione poſuit: Les brebis ſont plus froides quand elles dorment: plane ineptum eſt, et a re alienum. Quod vero paſtores ibidem tradunt de ſitu caprarum cubantium, ὅταν ὁ ἥλιος τραπῇ, id Gallus ita interpretatus eſt: auſſi tot que le ſoleil commence à deſcendre. Sed veteres ſcriptores, qui hanc narrationem laudarunt, omnes de ſolis converſione annua non vero diurna ceperunt: cf. Plutarchi p. 544.

tarchi Opuſcul. p. 974. Aeliani H. A. VII. 8 et Antigonus Caryſtius c. 65. Verum in vniuerſum nimis raro Gallus conſuluit veteres ſcriptores praeter Aelianum, Athenaeum et Plinium, quos tamen
p. 562. ipſos non ſatis diligenter inſpexit — IX. c. 11 Charadrium aquaticam et nocturnam auem nominat Ariſtoteles, quam Gallus *oiſeau de roche* interpretatur, cum multo aptius, vt ipſe fatetur, *oiſeau de ravine* poſſet, ſi vocis graecae etymologiam tenere volebat. De natura auis hodiernoque eius nomine nihil affert in Commentario noui. Nobis vero multum momenti ad quaeſtionem hanc extricandam adferre videtur locus Boei apud Antoninum Liberalem cap. 15 vbi Agron Eumeli filius, cum arrepto veru Mercurio occurriſſet, conuerſus ab eo in auem charadrium dicitur. Mentio veru ſignificationem nobis habere videtur roſtri longi, quod in aues quasdam ex Charadriorum genere Linneano omnino cadit. Sed certius aliquid
p. 566. definire non licet. — IX. 13. merops dicitur parere ὑπὸ τὴν ὀπώραν. Ita enim auctore codice Mediceo et Caniſ. et duce Sylburgio reſcripſit pro ὑπὲρ, quod eſt in vulgatis libris. Sed peſſime poſuit κρυμνοῖς pro κρημνοῖς, melius tamen *endroits eſcarpées* interpretatus. Sed VI. 1. locus eſt de eadem aue; quem Boeotii, inquit, μέροπα appellant, ſolus nidum in profundis terrae foraminibus ponit. Mirum videtur, Ariſtotelem vbique nomine peregrino vſum fuiſſe, nec vſquam vernaculum Athenienſium adhibuiſſe, cum auis ipſa intra fines Boeotiae non eſſet concluſa a natura. Sed bene factum, quod ex codice Mediceo annotatur varietas lectionis εἴροπα, cui ſimilis eſt ſcriptura veteris interpretis Iropedem et iropem. Gallus noſter merito etiam in Commentario p. 506. miratur, quid Ariſtotelem impulerit, vt Boeoticum nomen vbique

que poneret, (μέροπα) de vernaculo taceret. Deinde monet ex Bocharto alia eiusdem auis nomina fuisse ἀέρόψ, ἀερόπης, et ἠέροπος. Vides hic delphinum in ſicco natantem! Vti copiis ſuis neſciebat Gallus. Ex loco enim Ariſtotelis hoc, qualis in codice Mediceo exſtat, diſcere poterat, Boeotorum vocabulum eſſe εἴροψ, aut, quod rectius putamus, ἀέροψ. In Heſychio exſtat gloſſa: ἀέροπες· ὄρνεά τινα. Scholiaſtes Ariſtophanis ad Aues ἀέροπας, Suidas vero in voce ἀντιπελαργεῖν nominat ἀερόποδας aues meropas, vterque Ariſtotelis auctoritatem profeſſus, ex quo fabulam de amore in parentes referunt. Similiter etiam Apoſtolius Adagior. Centur. III. 39. Igitur clarum eſt, olim in Ariſtotele ἀέροπα lectum fuiſſe; quod vocabulum cum neſcirent grammatici ex ἀέροψ an ex ἀερόπης factum eſſet, varia ſcriptura alii ἀερόποδας, alii ἀέροπας nominarunt. Accedit denique auctoritas Boei in Ornithogonia apud Antoninum Liberalem c. 18. qui Eumeli Thebani filium mutatum narrat in auem ἠέροπον, quae etiam nunc ſub terra parit, et ſemper volatum meditatur. Ex qua narratione clariſſime patet, ἀέροψ, vel poetice ἠέροψ, quod etiam ἠέροπος flectitur, eſſe nomen, quo auis merops a reliquis Graeciae incolis dicta, in Boeotia appellaretur. Quod vero volatum ſemper meditari dicitur, id quidem refertur ad eam narrationis partem, vbi filius Eumeli ad terram proſtratus ceſpitat (ἀσπαίρει). In volatu igitur ſingulare aliquid notare veteres voluerunt, quod Boeus cum meditatione volandi in nouellis auibus comparat. Videtur igitur volans terram ſemper legere; vnde orta apud Aelianum I. 49. fabula, meropem non ſurſum ad oculos, ſed retro quaſi ad caudam volare. Gallus in commentario dubitare videtur, an recte Merops apiaſter Linnei cum merope Ariſtotelis componatur; nobis vero

vero res dubio carere videtur. Omnia enim ad meropem noſtrum accommodari apte poſſunt, quae Veteres narrant; licet colorum diſtributio ab Ariſtotele annotata cum recentiorum deſcriptionibus non plane conueniat.

p. 570. IX. 15. in vulgaribus libris αἰγίοθος legitur, et pede claudicare dicitur, πόδα χωλός ἐϛι. Cod. Ambroſ. αἰγίθαλος habet, i. e. parus, Geſnerus vero ex Oppiano αἴγινθος emendabat. Gallus αἴγιθος reſcripſit, nulla tamen edita ratione. Verum etiam Antigonus Caryſtius cap. 51. αἴγιθος ex h. l. habet, quemadmodum Plinius X. 74. eumque χωλὸν ὄρνεον, claudam auem, appellat. Ex quo apparet, vitium lectionis, quod in codice Vaticano eſt, χλωρὸς, viridis, et in verſione Scoti, qui pedes citrinos memorat, ex eoque Albertus Magnus, non adeo eſſe vetuſtum. Male Plinius aegithum ad accipitrum genus refert. X. 8. Sed ibi codices vulgati olim circum praeferebant. Cf. Oppiani Ixeutica I. 10, vbi III. 4. nuce et verme ineſcatur auis aegithus ad capturam, et cauea includitur capta auis, vt voce illiciat congeneres. Quae quidem omnia monere omiſit Gallus in commentario, vbi de aegitho agit. Quid? quod Oppiani Ixeutica exſtare hodie negat? In eodem Ariſtotelis loco chlorion κακοπετὴς dicitur, i. e. incommodi volatus. Sed Aelianus, qui haec transſcripſit IV. 47. ait: μαθὼν τε πᾶν ὁτιῦν ἀγαθὸς, καὶ τλήμων ὑπομένειν τὴν ἐν τῷ μανθάνειν βάσανον, ὅταν ἁλῷ. Itaque pro κακοπετὴς aliud vocabulum, κακοπαθὴς, aut ſimile, legiſſe in Ariſtotele videtur. — Cap. 16. mentio gnaphali auis: καὶ ὁ γνάφαλος καλούμενος vſque ad ἀγαθὴν in codice Ambr. et Mediceo, itemque in verſione vetuſta Incerti et Gazae omittitur. Contra Scoti verſio nominat pro gnaphalo *oderopeles*, ex quo Albertus Magnus *adepellus* in opus ſuum tranſtu-

tranſtulit. Graecum vocabulum γνάφαλος ipſe Gallus peſſime, licet non ſine exemplo, *foulon* interpretatus eſt, cum id non fullonem, qui γναφεὺς dicitur, ſed tomentum aut tomentoſum ſignificet. Ampelidem Linnei intelligi cum aliis Buffónus putauit; ſed eam opinionem vanam eſſe iam olim Conr. Geſnerus admonuit. Nihilo tamen minus Gallus noſter eandem in commentario ſequitur, vbi ſub voce *faſeur* de gnaphalo tradit, nulla facta alterius nominis *foulon* mentione, quod in verſione poſuerat. Scilicet tum demum, excuſa iam verſione, errorem agnouiſſe videtur. — IX. 18 φώϊξ p. 573. poſt ardeas commemorata dicitur oculos piſcium, auium et ſerpentum impetere in victu, quemadmodum etiam ἄερπη. Bellonius de ardea ſtellari, Gallis *butor*, intelligit locum Ariſtotelis, et monet reuera ſtellarem ardeam oculos auium impugnare. Gallus noſter, approbata hac Bellonii opinione, addit: mais je ne ſais où Bellon a pris l'hiſtoire de la metamorphoſe de Phoix. Scilicet haec metamorphoſis narratur ab Antonino Liberali Cap. 5. Bulis, inquit, mutata fuit in auem πώϋγξ dicta, eique Iupiter victum aſſignauit eum, vt oculos auium, piſcium et ſerpentum impeteret et voraret. Ex quo loco etiam hoc apparet veriorem lectionem eſſe πώϋγξ. Heſychius habet: πώυξ ὄρνις ποιὸς: quam gloſſam Salmaſius ad Solinum p. 65. male ad locum Ariſtotelis IX. 12 referebat, vbi πτυγξ nominatur. Etymologo M. πώϋγγες αἱ ἄθυιαι αἱ κληθεῖσαι βάγγες ſunt.

Locum vexatiſſimum de merulis c. 19 τούτων μοιος τῷ μέλανι κοτ]ύφῳ. ἔστι δὲ βαιὸς τὸ δὲ μεγεθος ita emendauit ex codice Mediceo Gallus: κοτύφῳ ἐστὶ λαΐος, τὸ μέγεθος μικρῷ ἐλάττων. ἧττος ἐπὶ πετρῶν et cet. Nigrae merulae ſimilis eſt laius, paulo tamen minor. Hic in petris habitat et cet.

Gaza habet, ſed fuſca colore; vnde iam olim Conr. Geſner ſuſpicatus erat, Gazam in ſuo codice legiſſe φαιὸς. In Caniſ. codice annotatur varietas φαλὸς. Vetus Interpres ait: harum nigrae merulae eſt fuſcus laios; itaque et φαιὸς et λαΐος ſimul expreſſit. Scoti verſio habet: et auis, quae dicitur leuior, aſſimilatur ad Kocitor. Itaque videtur λαΐος expreſſiſſe. Sed Albertus M. nomen *leneos* poſuit, quod Geſnerum p. 580 turbauit. Certum eſt, vocem βαιὸς, ſi paruam auem ſignificare debet, eſſe poetis ſolis familiarem, igitur hic locum non habere. Deinde ſeries orationis nomen auis flagitat. Vocabulum λαΐος praeterea occurrit in loco Boei apud Antoninum Liberalem c. 20 vbi cum celeo, cerbero et aegolio nominatur, tanquam fauſti ominis auis. Ex quo ſuſpicor, auem, quae ſupra cap. 1. λαιδὸς in codicibus dicitur et cum celeo ſimul nominatur, eandem intelligi, quae h. l. laios dicitur. Verbum φαιὸς an ſimul vocabulo λαΐος ſit adiungendum, vt in ſuo Codice reperit Vetus Interpres, dubitari poteſt. Fuſcam hanc merulam cum cyano explicare tentauit Cl. CETTI, auctor libri: degli
p. 574. Uccelli di Sardegna. — Qui cap. 22 μαλακοκεφανεὺς dicitur, in veteris Interpretis verſione μεγαλοκεφανεὺς audit. Poſſet hoc nomen ex eo approbari, quod Ariſtoteles aui caput magnum eſſe tradit, ſed addit καὶ χονδροτυπὸς, i. e. cartilagineum, quod in vocabulum μαλακοκεφανεὺς non male conuenit. Mirum vero, auem neutro nomine nuſpiam alibi memorari. Dicitur praeterea εὔπτερος καὶ κακόπτερος. Sed Gaza depes, Vetus Interpres bene pedatus et non male alatus; Scotus etiam pedes magnos et alas magnas poſuit. Vnde apparet, ſcripturam huius loci iam olim variaſſe. In codice Mediceo locus hic in lacuna iacet. Nobis quidem Bellonii ſuſpicio non diſplicet, qui Loxiae genus,

Galli

Gallis *gros-bec* dictum, intelligi putabat; in quod optime atque adeo vnice conuenit os robuſtum et rotundum, quod ei Ariſtoteles aſſignat. Quae quidem roſtri forma rotunda quanquam in noſtratibus ſpeciebus ſatis conſpicua, magis tamen eluceſcit in exoticis generibus loxiarum, quae Buffonus nomine *Bec-ronds* indigitauit. Quae vero contra hanc Bellonii opinionem diſputauit Gallus noſter in commentario p. 256 pleraque omnia falſa loci Ariſtotelici interpretatione nituntur. Primum illud, quod poſuit argumentum; il dit qu'il reſte ſtupidement, où on le trouve, et qu'il s'y laiſſe prendre, falſum eſt. Ariſtoteles enim ſic: ἀεὶ ἐπὶ ταυτὸ καθιζάνει, καὶ ἁλίσκεται ἐνταῦθα. quae Gaza recte reddit: in eodem loco ſemper ſibi ſtatuit ſedem, atque ibidem capitur. Deinde etiam a veritate et ſenſu loci Ariſtotelici abhorret: que cet oiſeau eſt la proie la plus ordinaire du chat huant. Sed ἁλίσκεται μάλιστα γλαυκὶ ſignificat, eam auem facillime capi cum noctua, quam cum reliquis auiculis infeſtat monſtratam, itaque viſco inhaereſcit. Nobis quidem certum eſſe videtur eandem intelligi auem, quae Heſychio κοκκοθραύστης dicitur, etſi rationem nominis hodie non agnoſcimus, quae potuit a vulgi falſa vel ridicula opinione originem traxiſſe. — Cap. 23. qui κολλυρίων appellatur, in codice Caniſ. κορυλλίων eſt; quam eandem ſcripturae varietatem reperimus etiam in Heſychio, adeo vt vetuſtiſſimorum etiam Codicum lectio in hoc nomine variaſſe cenſenda ſit. — Qui cap. 36 in accipitrum numero vulgo appellatur πέρνης, Gazae pernix, in codice Mediceo et vetere verſione πτερνὶς dicitur. Quam quidem ſcripturam nos antiquiſſimam et veram putamus eſſe, vtpote quam Heſychius exhibet, qui, πτερνὶς, inquit, εἶδος ἱέρακος.

p. 574.

p. 575.

p. 600. Cap. 40. In hiſtoria apum plura ſunt ope codicum emendata loca; ſed plura etiam eandem Critici operam deſiderant. Veluti cum vulgo legeretur: ἐὰν δ' ἐκπετασθῶσιν, προσφέρονται ῥύβδην ἄνω πρὸς τὸν ἀέρανὸν, hanc ſcripturam Gallus tacitus mutauit in ῥύβδην, ſed ex codice Mediceo ῥύδην annotauit. Etſi vero receptam ab eo lectionem probamus, vtpote quam Heſychius reſpexiſſe videatur, cum poneret: ῥύβδην δαψιλῶς ἢ ταχυτῆτι ἢ μετ' ἤχθ· negligentiam tamen Editoris mirari ſatis non poſſumus. Ipſe interpretatur *par troupe*, cum tamen Heſychii teſtimonio a nobis allato conſtet, veteres grammaticos de notione vocis dubitaſſe. — Cum apes ceram colligunt, pedibus prioribus arreptam in poſteriorum τὰ βλαισία abſtergunt. Gallus noſter ex codice Vaticano, Ambroſ. et Mediceo βλαισὰ reſcripſit, Sylburgio obſecutus, et *la partie courbe des pattes de derriere* interpretatur. Gaza vocem graecam blaeſia cautior retinuit; Plinius vero, femina, inquit, onerant propter id natura ſcabra. Vterque male cum Gallo; quicunque enim operariam apem in floribus accuratius inſpexit, is pedum poſteriorum ſeu femorum potius inſignem latitudinem aliquatenus excauatam condendae cerae inſeruire ſciet. Igitur nobis quidem vox πλαισία, quae lateris formam oblongam notat, aptius videtur ab Ariſtotele pedibus apum poſterioribus accommodari potuiſſe. — De fauis, quos apes incubant: fauis, inquit, apes incubant eosque maturant; quod niſi fecerint, corrumpi aiunt fauos araneisque obduci. καὶ ἐὰν μὲν τὸ λοιπὸν δύνωνται κατέχειν ἐπικαθήμεναι τῷθ' ὥσπερ ἔκβρωμα γίνεται εἰ δὲ μὴ ἀπόλλυνται ὅλα. γίνεται δὲ σκωλήκια ἐν τοῖς φθειρομένοις ἃ πτερύμενα ἐκπέτανται. Vocem ἔκβρωμα Gaza reddit, partis quaſi abortus ſit. Igitur habuit in ſuo codice ſcriptum

ἔκτρωμα,

ἔκτρωμα, quod Caniſ. codex praefert. Recte! Vetus Interpres putredo poſuit. Gallus noſter mediam loci partem ita interpretatur: ſi elles ont le courage d'y demeurer tout le tems neceſſaire, leur miel devient propre á leur nourriture; ſans cela leurs gateaux ſe perdent abſolument. Quam inepte, et ridicule. Non vidit igitur, de illis fauis loqui philoſophum, quibus inſunt foetus! Hos enim ſolos incubant apes. Lectionem ἔκτρωμα confirmat et totius loci ſenſum aperit Plinius XI ſect 16 fit in fauis quibusdam qui vocatur clauus amarae duritie cerae, cum foetum inde non eduxere, morbo aut ignauia aut infoecunditate naturali. Hic eſt abortus apium. — Ibidem: apes cum pupugerunt aliquem moriuntur, quia aculeum absque inteſtino non poſſunt retrahere. Saepe tamen fit, vt ſeruentur, ſi quis curam adhibuerit, atque aculeum molliter expreſſerit. Ita fere etiam Gaza graeca non obſcura reddidit. Contra Gallus peſſime: La piquure que fait l'abeille lui eſt mortelle à elle même par l'impoſſibilité de faire ſortir ſon aiguillon ſans faire ſortir ſon inteſtin. Souvent celui qui a été piqué n'a point de mal, lorsqu'il eſt attentif á faire ſortir l'aiguillon. Eandem rem iisdem verbis in commentarium retulit, vbi tamen recte admonet, inteſtini nomine intelligi ſine dubio veſiculam veneno repletam, quae aculei baſi adhaeret. Quid igitur mirum, ſi, qui Ariſtotelem graecum nunquam viderunt, et gallicum ſolum inſpiciunt, inſcitiam et pingue Philoſophi in rebus naturalibus ingenium crepant? Alienos ſcilicet tot interpretum errores ſibi imputatos tam liberaliter praeſtare nec poteſt nec debet. Statim ab initio commentarii copioſior fuit Gallus in apium, quam in alius animalis hiſtoria explicanda. Sed nuſquam vel modum tenuit, nec rationem certam ſecutus eſt. Cum enim aut omnia Ariſtotelis loca fideliter excerpta in compen-

dium agere, aut illa tantum seligere deberet, quae explicatione aut refutatione egerent, ille contra pro lubitu hinc illinc decerpsit vel leuissima vel ineptissima quaeque, atque interdum adiecit ex libro Reaumurii de apibus desumtas obseruationes, quibus dicta Aristoteli vel confirmari vel refutari possint. Exterorum scriptorum libros, experimenta et inuenta ignorat. Non mirum igitur, plura illi vel falsa vel obscura visa fuisse, quae exterorum industria iam ad liquidum erant perducta.

p. 628. Cap. 44. genus leonum duplex commemoratur, alterum στρογγύλον καὶ ξλότριχον, i. e. rotundum et crispo crine, alterum μακρὸν καὶ εὐθύτριχον, i. e. oblongum et recto crine. Recentiores historiae naturalis scriptores hanc leonum differentiam non agnoscunt quidem, sed haec nostra ignorantia non eo valere potest, vt fidem grauissimi scriptoris suspectam habeamus. Verum hanc disputationem hic ingredi non vacat. Lectionem huius loci vulgarem temere mutauit Gallus auctoritate codicis Regii, Vaticani, Medicei, Canis. Aldinae editionis et versionis Gazae impulsus. Posuit enim εὔτριχον, i. e. bene crinitum; cum Aelianus IV. c. 34. εὐθυτενὴς ex hoc ipso loco transferens vetustatem illius scripturae (εὐθύτριχον) satis testetur. Villo simplici ait Plinius VIII. sect. 18.

Tom. II. Supereſt, vt ex commentario pauca etiam specimina referamus, quae cum lectione textus graeci
p. 261. coniungi non potuerunt. In crocodilo narrantur quaedam de animali iuuenco huius generis, quod Gallus Parisiis viuum vidit anno 1772, verum illud anno post mortuum est, quamuis omni diligentia
p. 267. ad curam eius adhibita. Sed in toto hoc capite nihil reperimus, quod vel laude vel annotatione dignum videatur, praeter animaduersionem de aue trochilo, crocodilis amica, quam Gallus hic interposuit.

poſuit. Recte vero admonet, trochilum hunc differre ab illo trochilo, quem vulgo regulum dicunt. Quanquam haec res diſputatione non egebat; Aelianus enim II. 15 trochilum hunc κλαδαρόρυγχον dici monet, pluresque diuerſis nominibus cenſeri ſpecies. In capite de regulo grauem his errorem p. 732.
adiecit Gallus, cum de hoc trochili genere, crocodilo amico, ait: Je crois que c' eſt à ce dernier qu' il faut appliquer ce qu' Ariſtote dit au Livre VIII. c. 3. que le roitelet a le dos de couleur d' eau comme les halcyons. Verum Ariſtoteles in loco illo, vbi auium domicilia ſecundum genera enarrat, inter aquaticas numerat cum halcyonibus trochilum, nulla habita colorum ſimilitudinis ratione: καὶ τὸ τῶν ἀλκυόνων γένος πάρυδρόν ἐστι; tum vtramque alcyonis ſpeciem deſcribens addit: τὸ δὲ νῶτον ἀμφότεραι κυανοῦν ἔχουσι. καὶ τρόχιλος. περὶ δὲ τὴν θάλατταν καὶ ἀλκύων καὶ κήρυλος. quae recte ipſe Gallus interpretatur: il faut mettre dans la même claſſe le roitelet. Aliam denique ſibi Gallus nectit difficultatem ex eo, quod Ariſtoteles ibidem regulum cum auibus nominauit, quae vermibus plerumque veſcuntur, tamen addit: ἔτι βασιλεὺς, σπερμολόγος. Gaza regulum et frugilegam reddit; igitur duo auium diſtincta nomina poni putauit. Similiter Scotus in verſione ſua; quanquam codices hic nihil mutant. Verum iam olim Longolius ſpermologum Ariſtotelis interpretatus eſt cornicem frugilegam, obſecutus, vt videtur, Heſychio, qui σπερμολόγον — κολοιῶδες ζῶον explicat. Praeterea nihil propter breuitatem Philoſophi definire licet. In capite de lepore bene do- p. 277.
cet, ſpreta Plinii auctoritate, cuniculum Ariſtoteli fuiſſe ignotum, Romanos demum occupata Hiſpania primam eorum notitiam accepiſſe et graecis cum ipſo nomine vernaculo prodidiſſe; leporem

vero ab Aristotele nullo vocabulorum discrimine modo λαγὼν modo δασύποδα dici. Qui contra sentiunt, loco Aristotelis nituntur I. 7. vbi λαγὼς, δασύπους coniunctim legitur. Sed coniecturam Salmasii et Bocharti confirmant codices quinque a Gallo adhibiti, cum vetere interprete, qui vocem λαγὼς, tanquam glossam, omittunt. Hos igitur recte etiam secutus est Gallus noster.

p. 571. In capite de Auibus ex libro de Partibus IV. c. 12 refertur, aues aquaticas sed fissipedes crura longa, digitos itidem longos, quasdam vero plures etiam articulos digitorum habere, quam alias. De qua tamen obseruatione dubitat Gallus, an veritati conueniat; contra vero putat omnem differentiam in eo esse, vt phalanges digitorum longiores sint in aquaticis. Verum si ipse rerum naturam oculis suis contemplatus esset, vix fieri poterat, vt de fide Aristotelis dubitaret. Nos etsi paucas ex numero aquaticarum aues dissecuimus, in mergis tamen et fulicis externum digitum quatuor articulis connexum vidimus, cum in reliquis auibus tribus plerumque articulis digiti priores colligati

p. 265. sint. — Crocodili coitum ab Aristotele non describi miratur Gallus, cum plane diuersus sit a reliquorum quadrupedum ouiparorum ratione. Femina enim resupinata marem recipit, teste Petro Martyre et Hasselquistio. Videntur tamen Veteres hunc crocodili coitum non ignorasse. Eustathius certe Antiochenus in Hexaëmero cap. 22. crocodilum prope ripas feminam supinam prosternere atque ita coire tradit, secutus sine dubio auctoritatem vetustiorum scriptorum. — Quem describit Aristoteles II. 7. equum fluuiatilem Aegypti, non conuenire cum eo quadrupede, quod nunc eodem nomine nouimus, mirum est, et post Buffonum monuit etiam Gallus noster, qui tamen Philoso-

phum

phum auctoritate Herodoti excusare voluisse videtur, a quo putat eum plurimas notitiae satis breuis partes transtulisse Philosophum. Is equo fluuiatili iubam et vocem equi, magnitudinem asini, caudam apri vngulas bouillas, talum bisulcorum instar, et rostrum resimum tribuit; Herodotus contra caudam equi et magnitudinem tauri. Diodorus Siculus aures, caudam, vocem equis similem, reliquum corpus haud dissimile elephanto facit, dentes ex vtroque latere tres, vltra reliquarum ferarum modum eminentiores tribuit. Vides igitur ipsis Graecis non conuenisse inter se de forma Aegyptii quadrupedis. Roma plurimos equos fluuiatiles spectavit in circo et euripis ad tempus effossis ab aedilitate inde Scauri ad Antonini Pii et Gordiani imperium. Calpurnius poeta imperante Caro spectauit vitulos Romae et equorum nomine dictum, sed deforme pecus, quod in illo pascitur amne. Eclog. VII. vers. 66. Multa denique exstant hodieque Romanorum monumenta et numi, in quibus figura hippopotami expressa conuenit satis cum eo hippopotamo, quem Bellonius Constantinopoli ex Nilo allatum descripsit, cum romanis monumentis comparauit et depinxit. Verum in ea specie nihil est, quod Aristotelis descriptioni respondeat. Nec apud Plinium reperimus aliam hippopotami notitiam, nisi qualem olim Aristoteles ediderat. Adeo vt merito scriptorum romanorum socordia sit accusanda, qui nihil posteritati de forma hippopotami Romae tam saepe visi tradiderint. Mirum est tam subito deinde imperante Iuliano Themistium oratione 20 in Libya prouentum elephantorum, in Thessalia leonum, in paludibus veri Nili equorum fluuiatilium defeciisse. Cum quo conuenit Ammianus XXII. 15. Per aetates, inquit, exinde plures huc ducti nunc inueniri nusquam possunt, vt con-

iectantes regionum incolae dicunt inſectantis multitudinis taedio ad Blemyas migrare compulſi. Quae cum omnia inter ſe aduerſa fronte pugnent, Ariſtoteles tamen ipſe vidiſſe hippopotamum putandus ſit, cum denique Proſper Alpinus choeropotamum ab Hippopotamo diuerſum tradat et pingat: nobis tutior videtur opinio Cel. Herrmanni in comment. ad Tabulam Affinit. Animal. p. 96. propoſita, qui putat hodie nos verum Hippopotamum Ariſtotelis ignorare. Cui quidem opinioni graue pondus ex eo putamus accedere, quod Euſtathius Antiochenus Conſtantino Magno coaeuus in Hexaemero p. 21. eumque ſecutus Achilles Tatius Libro VII. Eroticorum longe alium et plane diuerſum Hippopotamum Aegypti depingunt. Ventrem et pedes equinos vterque tribuit, ſed vngulam quaſi biſulcorum inſtar fiſſam; magnitudinem maximi tauri, caudam breuem craſſam depilem, quemadmodum reliquum corpus glabrum eſt; mentum et maxillas latas, rictum ad tempora vſque vtrinque apertum, triplice dentium ſerie aſperum; dentes caninos curuatos, ſpecie et ſitu equinorum, ſed triplici magnitudine; caput rotundum magnum, equi maxillae ſimile, nares admodum patulas et fumum quaſi igneum ſpirantes, magnitudinem denique maximi bouis. Hanc notitiam ſi contenderis cum deſcriptione et pictura ab Allamand tradita, deinde a Sparrmanno aucta atque emendata, apparebit multo propius haec a veritate abeſſe, et cum hippopotamo nobis noto conuenire. —

p. 710. Pyralis ab Ariſtotele IX. 1 nominata num ad inſecta an ad aues pertineat magno conatu diſputat p. 711. tandemque in ea opinione acquieſcit, vt auem intelligi putet turturi inimicam. Genus definiri non poſſe; ſed etymologiam arguere colorem rufum cenſet, denique cum Pawio locum Callimachi

limachi apud Athenaeum IX. 11 et Aeliani Var. Hiſtor. I. 15. corruptum putat, vbi πυραλὶς in columbarum familia recenſetur. Primum igitur de natura auis dubitatio eſſe nulla poteſt. Aelianus enim IV. 5. vbi Ariſtotelis locum repetiit: τρυγόνι, inquit, πρὸς πύῤῥαν διαφορά. Eadem igitur Aeliano πυῤῥά, quae Ariſtoteli πυραλὶς dicitur. Sed idem V. 48 in eadem narratione πυραλλὶς habet. In Oppiani Ixeuticorum II. c. 13. nominantur cum turdis αἱ πύῤῥαι, vbi Geſneri codex πυῤῥίαι praeferebat. Haec nominis ſcriptura arguit omnino auem rufi coloris, ſed ſpeciem auis certis argumentis deprehendere nullibi licet. Locus enim Callimachi, quem repetiit Aelianus in Varia Hiſtoria, certas generis notas non diſtinguit.

Salpam Ariſtoteles VIII. 2. ſolam tradit capi τῇ κολοκύνθῃ, i. e. cucurbita. Ita etiam recte Gaza: legerat enim in ſuo codice rectius ſcriptum κολοκύντῃ, quemadmodum habet Camotii editio, et Leoniceni: Gallus nullam codicum nec vetuſtarum editionum varietatem annotauit, et peſſime neglecto Gazae exemplo *de la coloquinte* vertit, quaſi κολοκυνθίδι ſcriptum legiſſet, adeoque in commentario p. 747. defendit, cum interea reſipiſcere debuiſſet. p. 746.

Sittan Ariſtotelis IX. 17. cum aliis interpretatur Gallorum *torchepot*. Sed videamus, qua ratione graeca reddiderit: τὴν διάνοιαν εὔθικτος καὶ εὐθήμων καὶ εὐβίοτος. καὶ λέγεται φαρμάκεια εἶναι διὰ τὸ πολυΐδρις εἶναι. Son inſtinct eſt tel, qu'elle ſe laiſſe facilement approcher. Sa vie eſt reglée; elle ſe nourrit bien. On prétend que cet oiſeau eſt inſtruit dans l'art de guérir, parce qu'il ſait beaucoup. Quot verba, tot numeraueris errores. Primum adiunctum τὴν διάνοιαν ſatis indicat, εὔθικτος accipi ſenſu metaphorico: rectius igitur Gaza: p. 774.

animus

animus hilaris, concinnus, compos vitae facilioris. Rem maleficam ei tribuunt. In codice Mediceo ſcriptum exſtat: εὔοικτος, ſed errore librarii, vt eſt manifeſtum; Caniſ. habet ἀνόητος. Interpretationem ſuam Gallus confirmare conatus eſt teſtimonio Ornithologi Salerne, qui Sittan tradit adeo pertinaciter ouis incubare, vt facilius plumas ſibi detrahi patiatur, quam oua relinquat. Sed mores auium plurimum a veritate natiua deflectunt eo tempore, cum ouis incubant.

p. 815. Cum in commentario perlegendo progreſſi eſſemus ad paginam 815. ſubito mirabamur oblatam nobis nouam quadrupedis ſpeciem, *Tourterelle quadrupede.* Cum propius locum inſpiceremus, Ariſtotelis quidem fieri mentionem videbamus, ſed locum ipſum non indicari. Eum quaeſitum diu tandem reperimus in libro V. c. 3. vbi de quadrupedum ouiparorum coitu, poſtquam teſtudinem marinam et terreſtrem nominarat, pergit: ἔχουσι δέ τι, εἰς ὃ οἱ πόροι συνάπτουσιν, καὶ ᾧ ἐν τῇ ὀχείᾳ πλησιάζουσιν, οἷον τρυγόνες καὶ βάτραχοι καὶ πᾶν τὸ τοιοῦτον. Gaza paſtinacam reddit; Gallus vero noſter, multo ſcilicet cautior, totum hunc locum breviſſime interpretatur: cet accouplement eſt accompagné d'intromiſſion: on peut le voir dans le quadrupede, qui porte le nom de la tourterelle, dans la grenouille, et cet. Ita omnem plane loci ſenſum peruertit; cum interioris corporum ſtructurae eſſet ignarus. Ariſtoteles affirmat, quadrupedes ouiparos habere partem aliquam, in qua canales ſeminales ſeu genitales coniunguntur, quaque inuicem in coitu cohaerent more auium, ex quibus exempli cauſa nominat turturem, cum anatem et anſerem eodem iure potuiſſet. Aues enim hae in coitu partem inteſtini protruſam, cui penis adhaeret, in coitu iungunt orificio feminae. Eadem plane

ratione

ratione teſtudinem conſtat extremam inteſtini recti partem, cui penis incluſus adhaeret, in coitu protruſam feminae orificio inſerere. Itaque Ariſtoteles indicare voluit ſimilitudinem, quae auibus cum quadrupedibus ouiparis in coitus ratione intercedit.

III.

Diſſertatio botanica de Gardenia, quam publice ventilandam exhibent, Praeſes CAR. P. THVNBERG et Reſp. *Petr. Djupedius.* Vpſal. d. XVI. Dec. MDCCLXXX. 4. pl. 3½ tabb. 2.

Redux ex diuturno et longinquo itinere, Vpſaliam Demonſtrator botanices vocatus ac dein Profeſſor regius conſtitutus, Cel. THVNBERG, collectarum diuitiarum partem, tum in Actis Academiae ſcientiarum Holmienſis aliarumque, cum in pluribus diſſertationibus academicis, publici iuris fecit, quarum has ordine, quo prodierunt, recenſebimus. Definitur in §. III. genus, de quo ſermo hic eſt, *Gardenia* ſcilicet: dicitur *planta, e Contortarum ordine naturali, pentandra, calyce quinquefido, corolla quinquepartita, antheris ſeſſilibus, ſtylo clavato et fructu baccato;* additur character contortarum naturalis, ſubiunguntur vires, ac *Periplocae indicae*, Ceilonae ſabuloſorum maritimorum ſponteneae, radicem a Cel Praeſide ſaepe loco ipecacuanhae, eadem doſi, cum vſu, ſcopo emetico adhibitam eſſe, refertur. Sequuntur hiſtoria, (§. IV. V.) character genericus (§. VI.), ſpecierum enumeratio (§. VII.), deſcriptio (§. VIII.), ſynonyma (§. IX.), locus (§. X.), vſus (§. XI.), e quibus ſequentem dabimus recenſionem, indicatis ſimul annexarum tabularum iconibus:

Nomen *Gardeniae* dedit Cl. ELLIS, in honorem D. GARDEN Med. et Hiſt. Nat. Carol. Americ.

Eſſentia

Eſſentia generis: *Antherae* ſeſſiles medio ſui in ore tubi corollae! *Stigma* clauatum. *Bacca* ſeminibus imbricatis.

Species: a) inermes:

1. *G. radicans*, corollis obtuſis, calyce angulato, foliis ellipticis, caule radicante. Tab. I. Fig. 1. Hab. in Iaponia.

2. *G. florida*. LINN. *Mantiſſ.* 2. *ſupplem.* Hab. in Iapon. China, Suratti, Amboina, Cap. b. ſp. Colitur in hortis Iapon. (ad ſepes viuas) Capenſ. et Europ. Caulis arboreus.

3. *G. Thunbergia*. LINN. *ſupplem.* Hab. in C. b. ſp. Colitur in hortis. Caulis arboreus. Omnes elegantia florum ſuperat. Lignum duriſſimum.

4. *G. gummifera*. LINN. *ſupplem.* depicta in Tab. II. Fig. 3. Hab. in Ceylona. Corticis et foliorum rimae exſudant gummi-reſinam, gummi Elemi haud abſimilem. Arbor.

5. *G. Muſſaendae*. LINN. *ſuppl.* Muſſaenda formoſa JACQU. *Amer.* Hab. in ſyluis Carthagenae Amer. auſtr.

6. *G. Rothmannia*. LINN. *ſuppl.* vid. THVNB. *act. Holm.* 1776. Hab. in C. b. ſp. Arbor. Flores veſpera noctequè odori, inſtar Cheiranthi triſtis. Lignum duriſſimum.

b) ſpinoſae:

7. *G. ſpinoſa*. LINN. *ſuppl.* depicta in Tab. II. Fig. 4. Hab. in China prope Macao et Madraſs Coromandeliae. Frutex.

8. *G. micranthos*. LINN. *ſuppl.* delineata in Tab. I. Fig. 2. Hab. in China et Ceylona. Frutex.

9. *G. ſcandens*, ſcandens floribus pedunculatis. Tab. II. Fig. 5. Hab. prope Macao in China. Frutex.

Tab. II. Fig. 6. repraeſentat fructum *Gardeniae Thunbergiae*.

IV.

Diſſ. botanica de Protea, quam publice ventilandam exhibent Praeſ. CAR. P. THVNBERG, et Reſp. *Io. Er. Gevalin.* Vpſal. d. XIX. Iun. MDCCLXXXI. 4. pl. 8. tabb. 5.

Specioſum genus, quod Ipſe inſigniter ſpeciebus nouis repertis ditauit, ita tradit Cel. Auctor, vt praemiſſa hiſtoria literaria generis (§. I.), et ſpecierum detectionis (§. II.), generis ſynonyma (§ III.), characterem naturalem eſſentialemque cum variationibus ſpecierum (§. IV.), harumque differentias ſpecificas (§. V.), deſcriptiones (§. VI.), ſynonyma (§. VII.), tradat, locum (§. VIII.), omnibus, praeter P. ferrariae, in auſtralioribus Nouae Hollandiae a Gen. BANKS lectae, capenſem, florendique tempus (§. IX.) indicet, vſum ſubiungat (§. X.) nouarumque in tabulis det icones. Generis character eſſentialis conſiſtit in corolla tetrapetala, ſtaminibus limbo inſertis! germine ſupero; ſeminibus nudis. Sexaginta ſunt, quae hic inueniuntur, ſpecies ſequentes, quas differentiis ſpecificis indicabimus.

1. *pinnatae;* foliis pinnatis filiformibus.

1. *P. decumbens*, foliis trifidis, caule decumbente. Tab. I.
2. *P. florida*, foliis trifidis, caule erecto, capitulis ſolitariis bracteis obuallatis. Tab. I.
3. *P. cyanoides*, foliis trifido-pinnatis, caule erecto, capitulis ſolitariis nudis. LINN.
4. *P. patula*, foliis trifido-pinnatis, caule erecto, capitulis aggregatis.
5. *P. ſphaerocephala*, foliis bipinnatis, pedunculis capitulis breuioribus, ſquamis calycinis ouatis baſi villoſis. *P. glomerata* LINN.

6. *P.*

6. *P. ſerraria*, foliis bipinnatis, hirtis, pedunculis capitulis longioribus, ſquamis calycinis ouato-lanceolatis hirtis. LINN.

7. *P. triternata*, foliis bipinnatis, glabris, pedunculis, capitulis longioribus, ſquamis calycinis lanceolatis hirtis.

8. *P. glomerata*, foliis bipinnatis, pedunculo communi elongato nudo, pedicellis capitulis longioribus. *P. ſphaerocephala*. LINN.

9. *P. phylicoides*, foliis bipinnatis, capitulis terminalibus ſolitariis lanatis. Leucadendron phylicoides. BERG. *Act. Holm.* 1766.

10. *P. lagopus*, foliis bipinnatis, capitulis ſpicatis aggregatis.

11. *P. ſpicata*, foliis bipinnatis, capitulis ſpicatis diſtinctis. LINN. (cum praeced.)

12. *P. Sceptrum*, foliis inferioribus bipinnatis, ſuperioribus trifidis integrisue. SPARRM. *Act. Holm.* 1777.

2. *dentatae:* foliis dentatis calloſis.

13. *P. crinita*, foliis quinquedentatis glabris, caule erecto, capitulis ſubternis terminalibus. Leucadendron *oleofol.* BERG. *Act. Holm.* 1766.

14. *P. conocarpa*, foliis 5dentatis glabris, caule erecto, capitulis terminalibus. *P. Conocarpodendron.* LINN.

15. *P. elliptica*, foliis ellipticis 3dentatis glabris, caule erecto, capitulo terminali.

16. *P. hypophylla*, foliis 3dentatis, glabris ſecundis, caule decumbente, capitulo terminali. *P. hypophyllocarpodendrum.* LINN.

17. *P. cucullata*, foliis 3dentatis, glabris, capitulis lateralibus. LINN.

18. *P. tomentoſa*, foliis 3dentatis tomentoſis.

19. *P. heterophylla*, foliis 3dentatis integrisue, caule decumbente.

3. *ace-*

3. *aceroſae;* foliis filiformibus, ſubulatis.

20. *P pinifolia*, floribus racemoſis ecalycatis glabris. L.

21. *P. racemoſa*, floribus racemoſis calyculatis tomentoſis. L.

22. *P. incurua*, incuruis glabris, capitulis racemoſo-ſpicatis tomentoſis. Tab. III.

23. *P. caudata*, foliis hirtis, capitulis ſubſeſſilibus ſpicatis. Tab. II.

24. *P. bracteata*, foliis filiformi-canaliculatis, capitulo terminali, bracteis multifidis. Tab. I. *Prot. cancellata.* LINN.

25. *P. comoſa*, foliis inferioribus filiformibus, ſuperioribus lanceolatis, capitulo terminali.

26. *P. purpurea*, foliis linearibus recuruis, capit. terminalibus cernuis, caule decumbente. LINN.

27. *P. prolifera*, foliis ſubulatis adpreſſis, caule prolifera. Tab. IV.

28. *P. corymboſa*, foliis lineari-ſubulatis adpreſſis, ramulis verticillatis ſubfaſtigiatis. Tab. II. Leucad. *corymboſum* BERG. l. c.

29. *P. nana*, foliis lineari-ſubulatis, capitulo terminali, calyce colorato. *P. roſacea* LINN.

30. *P. lanata*, foliis triquetris adpreſſis, capitulo terminali lanato. Tab. III.

4. *lineares*: foliis linearibus.

31. *P. torta*, foliis obliquis calloſis.

32. *P. alba*, foliis ſericeo-tomentoſis.

5. *lanceolatae:* foliis ellipticis et lanceolatis.

33. *P. aulacea*, floribus racemoſis ecalyculatis. Tab. II.

34. *P. vmbellata*, capitulis terminalibus, bracteis multifidis.

35. *P. linearis*, capitulo terminali tomentoſo. Tab. IV.

36. *P. Scolymus*, foliis lanceolatis acutis, capituloque terminali rotundo glabris. *P. ſcolymocephala.* L.

37. *P. mellifera*, foliis lanceolato-ellipticis, capituloque terminali oblongo glabris. *P. repens.* LINN. Capituli ſaepe ad dimidium, tempore floreſcentiae, replentur ſucco melleo, qui ab inſectis filtratione purificatus lenique igne inſpiſſatus ſyrupum eximium praebet, in tuſſi, raucedine aliisque pectoris morbis propinandum.

38. *P. repens*, foliis lanceolato-ellipticis, capituloque ouato glabris, caule decumbente breuiſſimo. LINN. β.

39. *P. obliqua*, foliis glabris calloſis obliquis, capitulo caulino terminali.

40. *P. paruiflora*, foliis obtuſis calloſis obliquis, capitulis terminalibus ramulorum glabris. Tab. IV. LINN.

41. *P. pallens*, foliis glabris acutis calloſis, capitulo terminali inuolucrato, inuolucro longo acuto pallido. LINN. *Mant. ſyſt.* conifera β. γ. δ. ε. LINN. *ſp. pl.*

42. *P. conifera*, foliis glabris acutis calloſis, capitulo terminali inuolucrato, inuolucro longo acuto concolore. *P. ſaligna* L. *Mant.* conifera α. LINN. *ſp. pl.*

43. *P. Leuiſanus*, foliis glabris obtuſis, capitulo terminali inuolucrato, inuolucro breui obtuſo. LINN.

44. *P. ſtrobilina*, foliis elliptico-oblongis retuſo-calloſis capituloque terminali glabris. LINN.

45. *P. imbricata*, foliis lanceolatis glabris ſtriatis imbricatis, capitulo terminali. Tab. V.

46. *P. ſericea*, foliis lanceolatis ſericeis, ramis filiformibus, caule decumbente.

47. *P. ſaligna*, foliis lanceolatis ſericeis, caule fruticoſo,

ticoſo, capitulis oblongis inuolucratis. Thymelaea PLVK. *Mant.* 181. *t.* 229, *f.* 4.

48. *P. argentea*, foliis lanceolatis argenteo-tomentoſis ciliatis, caule arboreo, capitulis globoſis. LINN. Syluae pulcherrimae plantantur ex hac, pro concilianda vmbra.

6. *oblongae:* foliis oblongis, ouatis.

49. *P. acaulis*, foliis et capitulo globoſo glabris, caule decumbente breuiſſimo. LINN.

50. *P. myrtifolia*, foliis glabris, capitulo terminali aggregatis.

51. *P. grandiflora*, foliis venoſis capituloque hemiſphaerico glabris, caule arboreo. BOERH. L. B. To. 2. p. 123. ROY L. B. 136. Cortex adſtringens curandae diarrhoeae inſeruit.

52. *P. glabra*, foliis aueniis capituloque hemiſphaerico glabris, caule fruticoſo.

53. *P. ſpecioſa*, foliis glabris, capitulo oblongo, ſquamis calycinis apice barbatis. LINN. Flores ſuccum melleum ſuppeditant, eadem fere copia ac bonitate atque mellifera.

54. *P. totta*, foliis ouatis glabris calloſis, capitulo ouato, corollis cylindricis hirtis. LINN.

55. *P. hirta*, foliis ouatis glabris, floribus lateralibus. LINN.

56. *P. pubera*, foliis ouatis capitulisque terminalibus tomentoſis. LINN.

57. *P. diuaricata*, foliis ouatis hirtis, capitulis terminalibus, ramis diuaricatis. LINN.

7. *rotundatae:* foliis ſubrotundis.

58. *P. ſpathulata*, foliis ſpathulatis ſubcucullatis glabris. Tab. V.

59. *P. cynaroides*, foliis petiolatis glabris. LINN.

60. *P. cordata*, foliis cordatis. Tab. V.

V.

Oxalis, quam dissertatione botanica publice ventilandam exhibent Praes. CAROL. P THVNBERG, et Resp. *Herrm. Rud. Hast*, Vpsal. d. VII. Iul. MDCCLXXXI. 4. plag. 4. tabb. 2.

Simili, ac in praecedentibus dissertationibus, modo Oxalidis genus hac dissertatione tradit Celeb. THVNBERG, locum in variis systematibus indigitans (§. I.), generis synonymiam exponens (§. II.), characterem genericum exhibens (§. III.), species cum differentiis enumerans (§. IV.), descriptionibusque adumbrans (§ V.), synonyma recensens (§. VI.), locum (§. VII.), florendi tempus (§. VIII.), vsumque (§. IX.) addens ac in tabulis quarundam icones adiungens. Species eodem modo, ac e praecedentibus, recensebimus:

1. Foliis *simplicibus*.

1. *O. monophylla*, foliis ouatis indiuisis. Tab. I. L.

2. Foliis *ternatis*.

* *Acaules*.

a. *Scapis vniflori*s.

2. *O. minuta*, foliolis oblongis glabris. Tab. II.

3. *O. punctata*, foliolis obcordatis punctatis. Tab. I.

4. *O. natans*, foliolis obcordatis glaucis. Tab. I.

5. *O. acetosella*, foliolis obcordatis pilosis. LINN.

6. *O. lanata*, foliolis obcordatis hirsutis.

7. *O. compressa*, foliolis obcordatis ciliatis, petiolis compressis.

8. *O. purpurea*, foliolis subrotundis ciliatis. L.

9. *O. longiflora*, foliolis semibifidis. L.

b. *Scapis vmbelliferis*.

10. *O. violacea*, foliolis glabris, calycibus callosis. L.

11. *O. caprina*, foliolis glabris, floribus erectis. *O. pes caprae*. LINN.

12. *O.*

12. *O. cernua*, foliis glabris, floribus plerisque clauſis cernuis. Tab. II. Sal eſſentiale aeque bonum, maiori autem copia largitur, quam *Ox. acetoſa.*

13. *O. ſericea*, foliis tomentoſis.

** *Cauleſcentes.*

a. *pedunculis vniflоris.*

14. *O. repens*, caule repente, foliolis obcordatis hirtis. Tab. I.

15. *O. incarnata*, caule bulbifero, foliolis obcordatis glabris. LINN.

16. *O. bifida*, caule erecto glabro, foliolis ſemibifidis. Tab. I. *O. biflora.* BVRM. *Prodr. Afr.*

17. *O. glabra*, caule erecto glabro, foliolis oblongis emarginatis glabris. Tab. II.

18. *O. hirta*, caule erecto hirto, foliis ſubſeſſilibus: foliolis oblongis emarginatis glabris. LINN. *ſp. pl. O. ſeſſilifolia.* LINN. *Mant. ſyſt.*

19. *O. verſicolor*, caule erecto hirto, foliis linearibus calloſis. LINN.

b. *pedunculis vmbelliferis.*

20. *O. corniculata*, caule decumbente herbaceo. L.

21. *O. ſtricta*, caule erecto herbaceo. LINN.

22. *O. fruteſcens*, caule erecto fruticoſo. LINN.

c. *pedunculis racemiferis.*

23. *O. Barrelieri*, caule erecto, pedunculis racemiferis. LINN.

3. *Foliis digitatis.*

24. *O. flaua*, foliis multifidis glabris. LINN.

25. *O. tomentoſa*, foliis multifidis hirtis. *Oxys.* . . PLVK. *Amalth. p.* 164. *et* 350. *p.* 3.

4. *Foliis pinnatis.*

26. *O. ſenſitiua*, foliis pinnatis. Vſus ad ſuperſtitionem et incantamenta; Ternatenſibus decoctum totius plantae contra phthiſin cum

asthmate, Cingallis decoctum herbae, cum melle, ad pituitam soluendam, in morbis pectoris, iisdem et Malabaris succus radicis contra morsuras scorpionum vsitata.

Quae in Linneano systemate non reperiuntur a Celeb. THVNBERGIO additae, omnes in capite bonae spei lectae sunt.

VI.

Noua genera plantarum, quorum partem primam publice ventilandam exhibent Praeses CAROL. P. THVNBERG, et Resp. *Claudius Fr. Hornstedt*, Vpsal. d. XXIV. Nou. MDCCLXXXI. Part. secund. Resp. *Car. Henr. Salberg*, ibid. d. X. Iul. MDCCLXXXII. Part. tert. Resp. *Io. Gust. Lodin*, ibid. d. XVIII. Iun. MDCCLXXXIII.

Generum plantarum, quae in itineribus suis detexit Cel. THVNBERG, quaedam his dissertationibus, more b. A LINNE' in Gener. plant. vsitato, adumbrantur; adduntur character cuiusuis essentialis, locus in systemate Linneano, saepeque denominationis ratio; sequuntur enumeratio specierum, harumque saepe descriptio et in tabula annexa icon. Paginae continua serie pergunt. Parte prima sequentia exhibentur genera:

p. 3. *Galopina*, (tetrandra, digyna, ante Aphanem inserenda) cor. quadrifida, calyx o. sem. 2, nuda. spec. 1. *G. circaeoides.** Hab. in cap. bon. sp. ⊙.

p. 4. *Retzia*, (pentandra monogyna, post Theophrastam inserenda, in honorem Cel. RETZII Prof. Lundens. dicta) capsf. bilocularis. cor. cylindrica. stigma bifidum. spec. 1. *R. capensis* THVNB. *Act. Lund.* I.

p. 5. *Weigela*, (pentandra, monog. ante Plumbaginem inserenda, in memoriam Cl^i WEIGEL, Prof. Gry-
phic

phici dicta) sem. 1. stigma peltatum. Stylus e basi germinis 1. spec. L. *W. iaponica.* THVNB. *Act. Holm.* 1780.

Bladhia, (pent. monog. post Myrsinem inserenda, p. 6. in honorem Dni BLADH, mercatoris et botanici dicta) bacca 1sperma. semen arillatum! spec. 1. *B. iaponica.** Ob flores odoros saepe in hortis colitur. 24.

Hovenia, (pent. monog. post Diosmam inserenda, p. 7. in memoriam Dni TEN HOVEN, Scabini et Commissarii vrbis Amstelod. dicta) capsul. 3locularis, 3valuis, petala conuoluta, stigma 3fidum, spec. 1. *H. dulcis.** Hab. in Iaponia 24. Pedunculi carnosi, dulci sapore, fere piri, Iaponensibus edules.

Chenolea, (pent. monog. post Celosiam inserenda) p. 9. capsul. 1sperma, 1valuis, calyx 5fidus. spec. 1. *Ch. diffusa.** Hab. in cap. b. sp.

Cussonia, (pent. digyna, post Pimpinellam inseren- p. 10. da, in memoriam Dni P. CVSSON, Prof. Monspelienſis dicta), inuol. nullum, perianth. 1phyllum, crenatum, sem. bilocularia, spec. 1. *C. thyrsoidea* (THVNB. *Nou. Act. Vpsal.* T. 3.) foliis quinatis; foliolis simplicibus, cuneatis ternatisque apice dentatis. 2, *C. spicata* (TH. l. c.) foliis septenis; foliolis simplicibus lanceolatis ternatisque apice serratis.

Pollia, (hexandra, monogyna, ante Asparagum in- p. 11. serenda, a quo et Dracaena bacca polysperma differt, dicta in honorem Dni VAN DER POLL Consulis Amstelod.) cor. infera, 6petala. Bacca polysperma: spec. 1. *P. iaponica.**

Gethyllis, (hexandra monog. post Alstroemeriam p. 13. inserenda, a b. LINN. e specimine sicco aliter relata et definita) cor. supera, 6partita, filamentis longior. spec. 1. *G. spiralis,* foliis li-

nearibus ſpiralibus glabris, limbi laciniis ouato-oblongis, 2. *G. ciliaris*, foliis linearibus ſpiralibus ciliatis, limbi laciniis ouato-oblongis, 3. *G. villoſa*, foliis lineari-filiformibus ſpiralibus villoſis, limbi laciniis ouato-oblongis. 4. *G. lanceolata*, foliis lanceolatis planis, limbi laciniis lanceolatis; omnes iam a Cel. Auctore in *Actis Lundenſ.* ſub nomine *Papiriae* deſcriptae, cuius nomen viſo Gethyllidis afrae ſpecimine Linneano incompleto nunc mutauit.

p. 14. *Nandina.* (hexandra monog. poſt Canarinam) cor. 6petala, cal. polyphyllus imbricatus. ſp. 1. *N. domeſtica.* * Creſcit in Iaponia vbique, culta. 24.

p. 16. *Ehrharta*, (hexandra, monog. poſt Hypoxin in memoriam Cl. EHRHARDT botan. Hanou.) cor. infera, glumacea, duplex! nect. patheriforme. ſp. 1. *E. capenſis.* THVNB. *Act. Holm.* 1779.

p. 17. *Falckia*, (hexandra, digyna, ante Atraphaxin locanda a b. FALCK quondam Prof. Petrop.) cal. 1phyllus, cor. 1petala. ſem. 4. ſpec. 1. *F. repens.* THVNB. *Act. Lund.*

p. 18. *Wurmbea*, (hexandr. trigyna, flor. inf. poſt Scheuchzeriam inſerenda, in honorem L. B v. WVRMBS Batau. ſoc. ſecretar.) cal. 6partitus, cor. 0. capſ. 3locularis polyſperma. ſp. 1. *W. capenſis.** Simillima Melanthio ciliato.

p. 19. *Deutzia*, (decandra, trigyna, poſt Cherleriam locanda, Dno IO. DEVTZ, Scabinc Amſt. dicata) capſ. 3locularis, filamenta 3cuſpidata. ſpec. 1. *D. ſcabra.* * Hab. in Iaponia.

p. 21. *Thunbergia*, (didyn. angioſp. poſt Cymbariam inſerenda, in Cel. Auctoris, longinquis periculoſisque itineribus detectisquenon paucis meritiſſimi, memoriam a Cel. RETZIO nominata) capſ. bilocularis, cor. campanulata, cal. multipartitus.

partitus. ſpec. 1. *Th. capenſis.* RETZ. *Act. Lund.* T. I.

Hydnora, (monadelph. monog. ante Waltheriam) p. 22.
fungi calyx tripartitus, cor. 3petala, calyci adnata. ſtam. 3. piſtillum! ſp. 1. *H. africana* THVNB. *Act. Holm.* 1775. Aphyteia hydnora LINN. v. *Achar.* diſſ. Vpſal. 1775.

Radermachia, (monoec monandra, poſt Ceratocarpum, ſummi Conſilii Batauino-Indici Conſiliario, IOACH. CORN. MATH. RADERMACHER dicata) maſc. cal. 0. cor. 2petala. fem. cal. 0. cor. 0. ſtyl. 1. ſpec. 1. *R. inciſa:* foliis inciſis, 2. *R. integra* foliis indiuiſis. THVNB. *Act. Holm.* 1776. Artocarpus *inciſus* et *integrifolius* LINN. *ſupplem* 411. 412. p. 24.

Keura, (dioeca, monandra, ante Naiadem) Mas: cal. 0. cor. 0. filamento ſolitario: Femina: nuces aggregatae. ſp. 1. K. odora. *(K. odorifera FORSKÆHL *Flor. Aeg. Arab.* 172. Pandanus *odoratiſſimus.* LINN. *ſupplem.*) Hab. in Iaua et Arabia maſculus, in Ceylona vterque ſexus. ♄. Fructus interdum magnitudine Bromeliae Ananas. p. 26.

Montinia, (dioec. tetrandra, poſt Viſcum inſerenda, in honorem Dni D. LAVR. MONTIN dicta) Mas: cal. 4part. cor. 4petala, Fem. cal. 4part. cor. 4petala ſtigm. 2. capſ. 2. locul. ſpec. 1. *M. caryophyllacea.* THVNB. *Act. Lund.* T. I. p. 27.

Aſteriſco notatae ſpecies vberius deſcriptae ſunt; tabula adiecta magnitudine naturali exhibet, Bladhiam *iaponicam*, Wurmbeae *capenſis* varietates tres et Deutziam *ſcabram.*

Partis ſecundae prooemium de ignotis adhuc quibusdam continet obſeruationes. Sic dicti ligni ſtercoris, ob affinem, recentis praeſertim, odorem,

in Iaua et Ceylona ſpontanei, ſolos ramos et folia obtinuit Cel. THVNBERG, vidit tamen decocto exanthemata cutis chronica ſaepe optimeque profligata; attulit pocula ex lignis amaris, in Malabaria et Ceilona quotidie cum vſu contra morſuras ſerpentum et febres ardentes adhiberi ſolitis, nondum vero botanice notis, vinum infuſum intra pauca momenta amaritie ſumma inficientia. Radicem amariſſimam Schyntyn, ad fluxus aluinos ſiſtendos roburque ſtomachi amiſſum reſtituendum Chinenſibus decantatam, nondum detegi potuiſſe queritur Noſter, qui praeter vulgarem, e Iaponia aduectam, e Lauri camphorae radicibus et lignis coctione et ſublimatione extractam, aliam camphorae ſpeciem exſtare refert, camphora Baros ab vrbe Sumatrae dictam, priorem virtute longe ſuperantem, vt vel centuplo illius ponderi aequiparetur, originis tamen ignotae, aſt certe ex arbore diuerſiſſima, pelluciditate vitrum aemulantem. Sequuntur Genera:

p. 33. *Witſenia*, (triandr. monog. ante Ixiam, in memoriam Dni WITSEN conſ. Amſt. dicta) cor. 6part. cylindrica, ſtigma emarginatum. ſp. 1. *W. maura* (Antholyza *maura* LINN.) Hab. in cap. b. ſp. Ab Antholyza differt cor. regulari, aequali; ab Ixia corolla cylindrica, ſtigmate emarginato.

p. 34. *Fagraea*, (pentandr. monog. poſt Randiam, in honorem Dni FAGRAEI, botan. meritiſſ.) bacca 2locularis carnoſa, ſemina globoſa, ſtigma peltatum. ſp. 1. F. *ceilanica*. * ♄.

p. 36. *Vahlia*, (pentandr. digyn. ante Phyllidem, in honorem Dni VAHL in horto Hafn. demonſtr. botan.) flores calyculati ſparſi, capſula. ſpec. 1. *V. capenſis*. *24. Facies Aizoi.

p. 37. *Caroxylon*, (pent. monog. poſt Sauvageſiam.) ſem. tunica

tunica veſtitum, cor. 5petala, nect. 5phyll. conniuens, corollae inſertum! ſpec. 1. *C. Salſola.** 24. Hab. in Africa, in omni Carro, anabaſi proxime accedens, aſt nectario et calyce diphyllo, vti a ſalſola iisdem et ſtylo manifeſte vnico, fructuque angioſpermo diuerſa. E cineribus huius cum pinguedine ouina ſaponem cineraſcentem Africanum praeparant ruſtici.

Maſſonia, (hexandr. monog. poſt Pancratium, in honorem FR. MASSON, hortul. reg. et botan. ac olim ſub bienni itinere in interioribus Africae comitis) nect. inferum, cor. 6petala, nectario inſerta. ſpec. 1. *M. latifolia*,* foliis rotundatis glabris, 2. *M. lanceolata*, foliis lanceolatis integris glabris, 3. *M. vndulata*, foliis lanceolatis vndulatis glabris, 4. *M. echinata*, foliis ouatis muricatis piloſis. Hab. vndulata in interioribus Africae auſtralis regionibus, reliquae ad cap. b. ſp. 24 bulboſae. p. 39.

Calodendrum, (pent. monog. poſt Cedrelam) capſ. 5locularis, nect. 5phyllum. ſpec. 1. *C. capenſe.** 24. p. 41.

Ekebergia, (decandr. monog. poſt Swieteniam, a Cel. SPARRMAN, in memor. Cel. Capit. et Equ. EKEBERG dicta) nect. ſertiforme, cingens germen, bacca 5ſperma, ſeminibus oblongis. ſpec. 1. *E. capenſis.** ♄. Fraxino ſimilis: Lignum durum ad varia opera vſitatum. p. 43.

Inocarpus, (dec. monog. poſt Arbutum) cor. tubuloſa, drupa 1ſperma. ſpec. 1. *I. edulis** (Gaian, gaianus RVMPH. Herb. Amb. I. 170. t. 65. *Inocarp. edulis* FORST. *Gen. plant.* p. 65. t. 33.) Hab. in Iaua et alibi. ♄. p. 45.

Barringtonia, (polyandr. monog. poſt Mammeam, a Cel. FORSTER in honorem Dni BARRINGTON, e Iudicibus Reg. Princ. Walliae dicta), p. 46.

cal.

cal. diphyllus, perſiſtens. drupa nuce 4loculari. ſpec. 1. *B. ſpecioſa*,* (Barringtonia FORST. *Gen. plant.* p. 75. t. 38. Butonica RVMPH. *Herb. Amb.* T. III. p. 172. t. 114. Mammea *aſiatica* LINN.) Hâb. in Iaua et Ceylona, ad litora maris. ♄.

p. 48. *Chamira*, (tetrad. ſiliq. ante Cheiranthum) cal. baſi cornutus, glandes extra ſtamina breuiora. ſpec. 1. *Ch. cornuta*. *Hab. in cap. b. ſp. ☉.

p. 50. *Galaxia*, (monadelph. triandr. ante Lercheam) cor. 1petala, ſexfida. ſpec. 1. *G. ouata* fol. ouatis.* 2. *G. graminea* foliis lineari-ſiliformibus. Habb. in cap. b. ſp. 2.

p. 52. *Aitonia*, (monad. oct. in honorem Dni AITON, hortulani in horto reg. Kewenſi dicta) cor. 4petala, bacca exſucca inflata! ſpec. 1. *A. capenſis*. THVNB. *Act. Lund.* T. I.

p. 53. *Caſuarina*, (monoec. monandr. poſt Cynomorium) *maſc.* amenti ſquama vniflora, cor. o *fem.* ſtrobilus, cor. o. ſtigmata 2, bifida, capſ. 2locularis, 1ſperma. ſpec. 1. *C. equiſetifolia*, verticillis ſtaminum approximatis (Caſuarina littorea RVMPH. *Herb. Amb.* T. III. p. 86. t. 57. Caſuarina FORST. *Gen. plant.* p. 104. t. 52.) Hab. in Iaua aliisque Indiae orient. inſulis. ♄. 2. *C. nodiflora*, verticillis ſtaminum remotis. ♄.

Tabulae icones Witſeniam *mauram*, Vahliam *capenſem*, Galaxiam *gramineam* et *ouatam* repraeſentant.

Partis tertiae genera ſequentia ſunt:

p. 55. *Gonocarpus*, (tetrandr. monog. poſt Elaeagnum) cor. 4fida, drupa octogona, monoſperma. ſpec. 1. *G. micranthus*. *Hab. in Iaponia. ☉.

p. 56. *Othera*, (tetrandr. monog. poſt Rhacomam) petala ouata, plana, cal. 4partitus, ſtigma ſeſſile, capſula. ſp. 1. *O. iaponica*.* ♄.

Orixa,

Orixa, (tetrandr. monog. poſt Rhacomam) petala lanceolata plana, cal. 4partitus, ſtigma capitatum, capſula? ſpec. 1. *O. iaponica.* *ħ. p. 56.

Skimmia, (ante Rhacomam) petala 4, concaua, cal. 4part. bacca 4ſperma. ſpec. 1. *Sk. iaponica.** (Miiama Skimmi KAEMPF. *Am. exot.* faſc. V. p. 779.) p. 57.

Nigrina, (tetrandr. monog. ante Elaeagnum) cor. 4petala, capſula? ſpec. 1. *N. ſpicata.* *Hab. in Iaponia. Siccatione nigreſcit. p. 58.

Doraena, (pent. monog. poſt Menyanthem) capſ. 1locularis, cor 5fida, ſtigma emarginatum. ſpec. 1. *D. iaponica.* *ħ. p. 59.

Dryandra, (monadelpha, enneandra, forſan dioica; hic flos maſculus deſcribitur). ſpec. 1. *D. cordata.** (iaponice Dodicka et Atraſin. KAEMPF. l. c. p. 789.) Hab. in inſula Nipon et alibi. ħ. E ſeminibus exprimitur oleum pro lucernis, abraſin goma dictum. p. 60.

Aucuba, (monoec. tetrandr. poſt Serpiculam) *maſc.* cal. 4dent. cor 4petala, *fem.* nect. o. nux 1locularis. ſpec. 1. *A. iaponica.* *ħ. p. 61.

Bumalda, (pentandr. digyn. ante Phyllidem) capſ. 2locularis biroſtris, cor. 5petala, ſtyli villoſi. ſpec. 1. *B. trifolia.* *Hab. in montibus Falloniae. ħ. p. 62.

Lindera, (hexandr. monogyn. ante Orontium) cor. hexapetala, capſula. ſpec. 1. *L. umbellata** (Kuro-Noſji KAEMPF. l. c. p. 908.) Hab. in Iapon. ħ. Vſus: penicilli molles, e ligno, pro purificandis dentibus. p. 64.

Tomex, (dodecandr. monog. poſt Aſarum) cor. o. cal. duplex, inuolucr. 5phyllum, perianth. 5phyllum. ſpec. 1. *T. iaponica.* *ħ. p. 65.

Apactis, (ibid. poſt Rhizophoram) cor. 4petala, cal. o. ſpec. 1. *A. iaponica.* *ħ. p. 66.

Eurya,

p. 67. *Eurya*, (ibid. poſt Triumfettam) cor. 5petala, cal. 5phyllus, calyculatus, capſ. 5locularis, ſtam. 13. ſpec. 1. *E. iaponica*, (Fiſakaki KAEMPF. l. c. p. 778.) ♄. Fl. ſaepius dioici eſſe videntur.

p. 69. *Cleyera*, (polyandr. monog. poſt Tiliam, in memoriam medici olim et botan. Iap. Dni CLEYERI dicta) capſ. 2locularis, cor. 5petala. ſpec. 1. *C. iaponica*, *(Mokokf. KAEMPF. l. c. p. 273.) ♄. ſimilis Vateriae indicae, capſula laeui biloculari minori, foliis longe minoribus et obtuſioribus, floribus axillaribus in pedunculis vnifloris diuerſa.

p. 70. *Licuala*, (hexandr. monog. ante Bromeliam) cor. 3partita, cal. 3partitus, nectar. ſertiforme, drupa. ſpec. 1. *L. ſpinoſa* (v. WVRMB *Act. Batav.* T. II. p. 469. THVNB. *Act. Holm.* 1782.)

Tabula annexa Linderae *vmbellatae* iconem exhibet.

VII.

Journal de médecine, chirurgie, pharmacie etc. Tome LV. à Paris 1781. 8. pagg. 576 et Tome LVI. ib. eod. pagg. 576.

i. e.

Diarium ad medicinam, chirurgiam et pharmaciam pertinens cet. Tom. LV. et LVI.

T. LV. *Menſis ianuarius.*

p. 3. 1) *Conſeſſus publicus facultatis medicae Pariſinae, d. 9 decbr.* 1779. In hoc conſeſſu commemorabantur 1) diſſertationes concernentes quaeſtionem de lactatione infantum a matribus inſtituenda. 2) expoſitio quaeſtionis propoſitae anno 1780. 3) ludicia facultatis de variis rebus ciuium ſanitatem concernentibus. 4) analyſis theſium in ſcholis

ſcholis propoſitarum. 5) elogia IOSEPHI DE JUSSIEU, D'ALBERT HAZON, et GUILIELMI MICHEL 6) Narratio et breuis expoſitio commentationum, facultati traditarum, de nutritione infantum. 7) diſquiſitio MAIAULT de aceto vini antidoto arſenici. 8) MALLETI commentatio de quinquina. 9) commentatio DESCEMET de caſtaneo, et MORIZOT DESLANDES diſſertatio de vſu opii in febribus intermittentibus.

2) SAUCEROTTE *de natura, cauſis et cura puſtulae malignae.* In Burgundia ſub nomine *carbunculi maligni* ille innotuit morbus, quo deſcripto Noſter, ne cum aliis eiusdem generis confundatur, diagnoſin, cauſas, prognoſin, indicationes in vniuerſum, remedia tuta et facilia ab initio morbi, et medendi methodum in eius progreſſu percurrit. p. 26. p. 28.

3) BAVME *de conſtitutione epidemica anni* 1778 *ad finem vergentis* 1779 *et initium* 1780. p. 37.

4) DESGRANGES *de quibusdam oſſium morbis ad anchyloſes vergentibus.* Prima et ſecunda obſervatio ſiſtit anchyloſin acutam inflammatoriam, tertia oſſium fragorem per congeſtionem viſcoſam productum, primam potiſſimum huius morbi ſpeciem concernens; et alteram ſpeciem quoque recenſet, cuius morbi cauſa inflammatoria ſiccitas articuli fuerat, 4) falſam anchyloſin ex induratione ligamentorum, 5) anchyloſin viſcoſam ex congeſtione, 6) de intumeſcentia genu, 7) anchyloſin ex tumore contextus ſpongioſi oſſis, 8) anchyloſin viſcoſam veneream, et 9) anchyloſin cretaceam p. 53. p. 54. p. 57. p. 58. p. 61. p. 63. p. 66. p. 68. p. 70.

5) LEGER obſeruatio *de incontinentia vrinae noctis tempore.* Cantharidum in puluerem redactarum grana ſex cum duabus drachmis extracti borraginis in quatuor et viginti doſes diuiſarum commendantur quam maxime. p. 72.

6) LIEUTAUD *deſcriptio infantis monſtroſi.* p. 76.

Menſis

Menſis februarius.

p. 97. 1) A. F. A. DE ROUSSEL *diſſertatio de variis herpetum ſpeciebus*, cauſis, ſymptomatibus, morbis ab hepatica lue oriundis, et remediis expugnandae cuilibet affectioni herpeticae idoneis.

p. 110. 2) *Continuatio et finis conſtitutionis epidemicae annorum* 1778. 1779 *et* 1780, *auctore* BAUMES.

p. 146. 3) DE VAULEVIER *de colica bilioſa graſſante in* Fougeres. Infeſtauit illa et viros et feminas a vigeſimo quinto ad quadrageſimum et quinquageſimum annum, infantes autem et ſenes manſerunt immunes.

p. 153. 4) SUMEIRE *obſeruatio de periculoſa compreſſione nimia aeque ac exigua in paracenteſi.* Laudat inprimis, euitandi periculi ex ſubitanea relaxatione oriundi cauſa, MONROI ligandi methodum.

p. 159. 5) *Obſeruatio Eiusdem de ſanguiſugarum applicatione in temporibus in vertigine.*

p. 161. 6) *Propoſitae quaeſtiones conſultandi cauſa P.* DUBB.

p. 162. 7) VINCENT *obſeruatio de extracto Saturni.* Defenditur illud aduerſus obiectiones ROUCH.

p. 168. 8) *Obſeruatio* JAYMES *de laborioſo partu, artis et naturae ope excluſo.* Concernit illa infantem ſexus maſculini, qui per vnum fere menſem mortuus et putrefactus in vtero materno remanſit.

p. 174. 9) F. A. B. R. C. *obſeruatio de reſina elaſtica.* Commemorat ſuas obſeruationes cum illa inſtitutas.

Menſis martius.

p. 194. 1) CALME *tentamen de hominis generatione.* Sub examen reuocat omnia ſyſtemata hactenus nota, eaque reiicit, atque ex moleculis organicis et ouariis ſat ingenioſe ſuam ſententiam firmare ſtudet.

p. 203. 2) PLANCHON *obſeruatio de febri inflammatoria, qua cum excrementis mucoſis aranea viua reiecta eſt.*

3) *Reſponſio ad commentationem inſertam ſuperiori anno menſi nouembri, concernens intricatam foeminae* Fleurs *affectionem.* p. 209.

4) *Reſponſio* CASAUBIEL *idem argumentum tractans.* p. 219.

5) DU PAY DE BELLEGARDE *hiſtoria morbi gutturis periodici vnoquoque anno redeuntis*, ſtipati ab initio cum ingenti capitis dolore, febre per tres horas, frigore corpus infeſtante, quod inſecutus eſt ardor cum delirio, tandem ſecundo aut tertio die guttur ſe male habuit. p. 223.

6) DE CAUBOTTE *obſeruationes de morbi venerei contagio.* Sedecim obſeruationibus lectu dignis abſoluitur hoc opus. p. 227.

7) BOURDIER *obſeruatio de morſu ſerpentis Coromandelenſis*, curato per cornu cerui calcinatum vulneri inſperſum. p. 241.

8) JACQUINELLE et CHANDRON *obſeruatio de calculis ſtercoralibus.* Examine inſtituto detexerunt Auctores, hos calculos generari potiſſimum penes phlegmaticos ex materia mucilaginoſa et admodum viſcoſa. p. 245.

9) CHANDRON *de vulneribus capitis, in quibus oſſa erant denudata.* p. 251.

10) *Epiſtola ad auctores Diarii ab* DUCHANOY *ſcripta de vſu narcoticorum in febribus intermittentibus.* Demonſtrat methodum illam neque dubiam, neque palliatiuam, ſed admodum proficuam eſſe. p. 256.

Menſis aprilis.

1) CAROLI DE MERTENS *obſeruationes medicae de febribus putridis, de peſte, nonnullisque aliis morbis.* Tribus partibus omnia complectitur Auctor: 1) proponit hiſtoriam conſtitutionis epidemicae obſeruatae Moſcouiae anno 1768. 1769 et 1770. p. 289.

2) historiam peſtis Moſcouienſis quatuor capitibus deſcribit, et 3) de cura morſus canis rabidi, de quatuor haemoptyſibus, de curata paſſione iliaca et de quadam capitis contuſione agit.

p. 314. 2) BAVMES *obſeruatio de virtute reſoluendi aquae vegeto-mineralis*: experientia confirmat, ipſi ineſſe poteſtatem refrigerandi, cui calor inflammatorius vehementiſſimus nequeat reſiſtere, et virtutem anodynam, atque vim fortiter attenuandi et reſoluendi.

p. 320. 3) SUMEIRE *obſeruationes de febribus catarrhalibus coniunctis cum hemicrania.*

p. 323. 4) WANTERS *de ſuppreſſione vrinae orta ex matricis conuerſione.*

p. 326. 5) GUILLAUME *iun. obſeruatio de vomitu, quo corpora extraordinaria ſpeciem thimi vaccini referentia ſunt reiecta.*

p. 331. 6) HAZARD *de morbo equorum Pariſinorum hiemis 1776 et 1777.*

p. 334. 7) BERNARD *obſeruationes de duobus magnis vulneribus gangraenoſis*, prius in inferiore parte tibiae, poſterius circa anum erat atque ſinuoſum.

p. 342. 8) CAMPARDON *de medendo cancro, cumprimis de eius exſtirpatione, atque de vſu belladonnae et cicutae.*

p. 350. 9) CROHARE *epiſtola de arſenico et ſtanno.*

p. 359. 10) MARETI *epiſtola ad auctores huius diarii.*

Menſis maius.

p. 385. 1) ANDRY *commentatio de rabie*, DUPERRIN *obſeruatio de eodem argumento*, et PORTAL *de natura et cura rabiei caninae.* Omnes hae commentationes propter praeſtantiam et accuratam tractandi rationem laudes dignas merentur.

p. 420. 2) THOREL *de quadam rabie muli a morſu canis rabidi.*

3) CAM-

3) CAMPARDON *continuatio de medendo cancro* etc. p. 423.

4) CHIFOLIAU *analyſis aquarum mineralium* p. 438.
fontium Launay - Quinas et Veau - garni. Deſcribit ante omnia ſitum ipſum fontium, qualitates in ſenſus incurrentes, grauitatem ſpecificam, temperaturam, agendi et reagendi modum, quomodo agant igni admotae, earum deſtillationem, euaporationem, lixiuium acetoſum, ex quibus ſimul ſumtis de principiis harum aquarum, virtutibus et vſu legitimo rationem reddit.

Menſis iunius.

1) CASP. NEVMANNI *hiſtoria naturalis, chymica et medica trium naturae regnorum, edita a* ROUX. p. 481.

2) BAILHERON *de tumore frigido enormi in iugulari externa.* Ad tantam magnitudinem in puella quadam accreuerat hic tumor, vt verſus humerum dextrum caput inclinatum eſſet, ille autem ſanatus eſt terra Ballaracenſium fontium applicata. p. 490.

3) DUPUY *continuatio de morbo gutturis* etc. Iam in eo eſt Auctor, vt medendi tradat rationem, videlicet venaeſectione et tepidis balneis, cauterio actuali et regimine apto, emollientibus clyſmatibus, pediluuiis, aquis mineralibus acidulis d'Jenſet, de Vals, de Forges, Paſſy, et Sanctae reginae omnem morbi vim fractam eſſe tradidit. p. 494.

4) CAMPARDON *continuatio et finis obſeruationum de medendo cancro.* Multas egregiasque obſeruationes hic propoſuit Auctor quae medentibus non niſi gratae et acceptae eſſe poſſunt. p. 502.

Menſis iulius. T. LVI.

1) PARMENTIER *de vegetabilibus nutrientibus, quae in annonae caritate in locum ordinariorum alimentorum poſſunt ſubſtitui cum nouis obſeruationibus de cultura ſolani tuberoſi.* Idem Auctor et tracta- p. 3. p. 4.

tum de caſtaneis edidit, et hi ambo libri hic ſubiiciuntur cenſurae.

p. 22. 2) SCHÜLER *de bonis effectibus abſorbentium in venenationibus ab acidis venenis ortis.* Piſtor quidam poſt crapulam ſentiens ſitim ingentem petiit a famula ſibi potrigi aquam calidam cum ſaccharo, quae autem ex errore ipſi vitriolum exhibuit album, quo aſſumto dolores in regione epigaſtrica et infimo ſenſit ventre, cum vomitionibus continuis et deiectionibus. Igitur accerſitus Cl. SCHÜLER ipſi propinari iuſſit lapides cancrorum praeparatos, et ſucceſſiue potum caffee, prima ſtatim doſis excitauit efferueſcentiam, cum dolore ſtomachi ardoreque, ſed mox haec ſymptomata diſparuere, quare ſentiens aeger vomitiones et ſitim aſſumere debuit aliquas guttas ſpiritus nitri dulcis cum aqua et lapides cancrorum, demumque omnia ſymptomata euanuerunt et penitus conualuit aeger. Adiecit Auctor Cl. aliam obſeruationem de anchyloſi paene completa ſanata vſu aquarum ſaponacearum Bonnenſium, quibus videlicet ſeptem ſeptimanis in vſum tractis tumor euanuit.

p. 24.

p. 26. 3) CHARTIER *et* DUROLLEAU *iun. obſeruatio de ſuppuratione pulmonis et ſtomachi tranſpoſitione.* Morbus ille coniunctus fuit cum dolore pungente lateris ſiniſtri, tuſſi ſicca, reſpirandi difficultate, et vna ſpecie ſtrepitus tanquam aquae fluctuantis. Emplaſtro veſicatorio impoſito et kermes intus aſſumto expectoratio melius proceſſit; verum omnia in peius conuerſa mortem accelerarunt, apertoque cadauere pulmo ſuppuratus inuentus eſt, et lien ſtomachusque deſcenderunt in regionem vmbilicalem.

p. 29. 4) *Epiſtola* DE LA PLANCHE *ad auctores huius diarii* de origine ſectionis ſymphyſeos oſſium pubis, qua demonſtratur, antiquitus eam quoque fuiſſe notam.

5) BAIGNE-

5) BAIGNERES *obſeruatio de effectibus aquae frigidae glacialis corpori accommodatae cum ſucceſſu in partu quodam laborioſo cum conuulſionibus et oedemate extremitatum inferiorum et ſuperiorum ſtipato.* Foemina quaedam tertio grauiditatis circiter menſe plagis violentis in toto corpore, praeſertim in infimo ventre, percuſſa eſt, quibus conuulſiones et oedemata ſunt inſecuta cum aliis ſymptomatibus. Itaque venaeſectione et remediis antiſpaſmodicis incaſſum adhibitis, interrogatus SIGAULTUS, qui aegrae ſtatum diſquirendum cenſuit, atque vterum directum eſſe oblique deprehendit, eiusque orificium in criſpatione ſpaſmodica, vnde ſuaſit accommodationem aquae frigidae glacialis, quae demum repetitis diſquiſitionibus optime reſpondit. p. 54.

6) FARRE *diſquiſitio de hydrope.* Foemina quaedam bis vnoquoque menſe menſtruum fluorem paſſa et demum grauida facta, a tertio puerperio depoſitionibus lacteis in mammilla ſiniſtra fuit obnoxia, ſed cum quinta vice puerperio fungeretur, in hydropem incidit, quae euacuantibus demum et ſymptomatibus conſuetis menſtruorum recedentibus ſanata eſt. p. 60.

7) MAURICE *de tendine Achillis falce reſecto.* Reductione ex artis legibus facta et aptis remediis omnia in priſtinum ſtatum reducta ſunt. p. 69.

8) HAZARD *deſcriptio tumoris oſſei facti ex compreſſione graui iunctiurae genu, et de anchyloſi.* Haec deſcriptio artem veterinariam concernit, atque exacte huius tumoris declarat naturam. p. 75.

Menſis auguſtus.

1) BAYEN *et* CHARLARD *diſquiſitiones chymicae ſtanni, ſiue reſponſio ad quaeſtionem propoſitam, num ſine periculo vaſa ſtannea vſui oeconomico inſeruire queant.* p. 98.

p. 115. 2) WANTERS *obſeruationes ſuper aſſae foetidae virtutibus.* Exemplis docet, in mentis alienatione et conuulſionibus, in chorea ſancti Viti cum conuulſionibus, in vertigine, animi deliquio et amentia a retropulſa ſcabie orta, praeſtare hoc medicamen. Doſis autem fuit aſae foetidae, tres drachmae in ſex vnciis aquae fontanae in emulſionem redactae, addita vncia vna ſyrupi violarum cochleatim ſumenda.

p. 130. 3) BAVMES *de diabete.* Natura et cauſis huius morbi accurate propoſitis, docet, qua ratione in curando verſatus ſit, qualemque praeſcripſerit diaetam, inprimis a lactea diaeta multum auxilii exſpectauit, verum incaſſum.

p. 151. 4) *Obſeruatio de operatione* RAMDHOR *in hernia incarcerata in ſubſidium vocata.* Etſi aeger periit, cadaueris tamen inſpectio docuit diſſolutiones gangraenoſas potius cauſam mortis fuiſſe, quam ipſam operationem.

p. 163. 5) LA BORIE *obſeruatio de venaeſectione.*

Menſis ſeptember.

p. 193. 1) LEPECQ DE LA CLOTVRE *collectio obſervationum ſuper morbos et conſtitutiones epidemicas in Normandia.* Egregie ſuo officio Auctor defunctus eſt, atque obſeruationes per quindecim annos congeſtas hic exhibuit, ſequutusque eſt potiſſimum COVM ſenem atque cauſas meteorologicas, locales et relatiuas reſpectu diuerſorum climatum addidit, ſimulque hiſtoriam naturalem et medicam Normandiae propoſuit: Eaedem obſeruationes menſe octobri huius Diarii continuantur.

p. 218. 2) IADELOT *tentamen de ſtudio theoretico et practico artis medicae perficiendo.*

p. 241. 3) SVMEIRE *obſeruatio de extraordinario quodam capitis dolore.* Hunc ab inſolatione deducit atque eum more Tournatori curauit, qui paulo verboſius a Noſtro deſcribitur.

4) CRO-

4) CROHARE *Epiſtola reſponſoria ad* MARETVM. Concernit potiſſimum quaeſtionem, de alcali volatili praecipitato cum aethiope et ferro per acidum nitri diſſoluto. p. 249.

Menſis octobet.

2) JADELOT *continuatio tentaminis de ſtudio theoretico et practico medicae artis.* p. 309.

3) MOULENQ *obſeruatio.* Foemina quaedam in inguinibus verſus ligamenta Fallopii tumore dolente admodum, rubicundo, inflammato cum tenſione et magna pulſatione affecta fuit. Variis remediis tumor non ceſſit, quam plurimi pro hernia habuere, at MOULENQ de aperiendo tumore cogitans taeniam ibi deprehendit, quam ſumma cum cautione extraxit. p. 330.

4) FORT *de tumore femoris admodum magno et dolente.* Vir quidam octo et viginti annorum in genu dextro tumorem ingentem ſine pulſatione, et cutis mutatione ſentiens, qui tamen admodum dolebat, occupabatque os femoris in inferiore parte duorum digitorum tranſuerſorum ſuper condylos et finiebat ſe digitis duobus vel tribus tranſuerſis in illa articulatione. Inquiſitione facta intellexit aneuryſma hic eſſe formatum a ruptura arteriae popliteae, quod nullam curationem neque amputationem propter aegri debilitatem admiſit. p. 336. p. 339.

5) ALIGNY *obſeruationes de abuſu venaeſectionis grauidarum et praeprimis ad praecauendos abortus.* Quinque obſeruationibus docet, caute eſſe verſandum in venaeſectione inſtituenda, cum exempla proſtent, quibus edoceamur, dolores non ſolum non remiſiſſe, ſed intenſiores factos, atque abortum inſecutum eſſe. p. 344.

6) GARNIER *epiſtola ad auctores huius diarii, concernens* BAUMES *diſquiſitionem de diabete.* p. 353.

p. 356. 7) KÖLPIN *obſeruatio de virtute plantae cuiusdam ex genere rhododendri aduerſus rheumaticos dolores.* EX PALLASII itineribus huius plantae deſcriptionem ſumſit KÖLPIN, atque eius virtutem experientia declarauit, atque in infuſo praeſcripſit matutino tempore ſumendo *).

Menſis nouember.

p. 384. 1) FOURNIER *obſeruationes ſuper natura, cauſis, et medendi ratione febris lentae ſiue hecticae.*
p. 386. Duabus partibus abſoluit libellum. In priore breviſſime quasdam propoſitiones praemiſit, quibus natura indoles et cauſa febrium in vniuerſum declarantur, quae demum ad febrim lentam ita applicantur, vt ſimul ſymptomata et phaenomena diverſa inde deducantur. In poſteriore multas eximiaſque obſeruationes propoſuit, quibus medendi ratio indicatur, et cautus quorundam remediorum vſus ſuadetur.

p. 406. 2) BAVMES *epiſtola de taenia ad P* **. Praecipue hiſtoriam naturalem et diuerſas huius vermis ſpecies vberius explicat.

p. 435. 3) GRATELOUP *animaduerſiones ſuper* SUMEIRE *obſeruationem de dolore capitis extraordinario.*

p. 441. 4) FOUQUETI *epiſtola ad M.* ** de epilepſia vterina obſeruationem continens, in qua vſum pillularum ex iuſquiami extracto cum muſco et camphora proficuum fuiſſe docet. Alia obſeruatio concernit variolam carbuncularem cum diarrhoea admodum fetida iunctam, et feliciter curatam ope chinae et acidorum.

p. 446. 5) BONNARD *obſeruatio de fluxione phlegmonoſa oculi, cum aliis ſymptomatibus, quae effecerunt, vt hoc organon exſtirparetur.*

Menſis

*) Vberius et ſeorſim iam editam hac de re tractationem alibi iam indicauimus: vid. comm. noſtr. Vol. XXIII. p. 658.

Menſis december.

1) *Varia opuſcula* ALPHONSI LE ROY, quor- p. 481.
ſum ſpectant de veſtimentis femellarum et infantum, modus et ratio partum iuuandi et finiendi, ſi brachium infantis ex vtero exierit, praxis artis obſtetriciae, ſuper ſuam criticam, diſquiſitiones hiſtoricae et practicae de ſectione ſymphyſeos oſſium pubis, obſeruationes de operatione ſymphyſeos et partibus laborioſis.

2) DUPERIN *obſeruatio de tympanite cum* p. 498.
aſcite coniuncto. Pillulas tonicas BACHERI praeſcriplit cum decocto Taraxaci, quae ſucceſſiue vomitiones et ſaliuationem excitarunt, et perfectam ſanationem produxerunt.

3) *Obſeruatio* VAULEVIER *de flatibus et materia* p. 511.
fecali retenta in vrethra.

4) LABORIE *obſeruatio de narium haemorrhagia.* p. 513.

5) BONNARD *commentatio ſuper operationem* p. 520.
cataractae DESFARGES *in duobus a natiuitate coecis inſtitutam.*

6) *Quomodo ex Solano tuberoſo polenta, Salep et* p. 522.
Sagou praeparanda ſint, docetur.

VIII.

Vermiſchte chirurgiſche Schriften, herausgegeben von JOHANN LEBERECHT SCHMUCKER, *königl. Preuſſ. erſtem Generalchirurg von der Armee, Director des chirurg. Militärfeldhoſpitals und Mitglied der Röm. Kaiſerl. Akad. der Naturforſcher. Dritter Band. Berlin und Stettin bey Friedrich Nicolai* 1782. 8. 334. *pagg.*

i. e.

Scripta chirurgica mixta, auctore IOANNE LEBERECHT SCHMUCKERO.

Neque haec pars absimilis prioribus partibus*) est, quippe obseruationum (36.) frugiferarum et vtilissimarum plena. Sed praestat ire per singulas.

p. 1. *Obs.* 1. *De efficacia seminis Sabadillae in quouis morborum verminosorum genere*, auctore I. LEB. SCHMVCKERO. Credit auctor Noster, vermes extrinsecus aduenire, non connasci, exindeque ratio-
p. 5. nem repetit, cur inter morbos militares vermes principatum teneant, qui sub principio tartaro emetico facillime enecantur, rhabarbaro non item. Bohemiam hisce ingenerandis, nec non scabiei euo-
p. 11. candae, fauere putat. Laudat ergo prae ceteris contra vermes et epilepsiam semen sabadillae sine vlla noxa aegris demaciatis et infantibus ipsis datum, imo medicamento Nouffert longe praeferendum.
p. 14. Dantur gr. v. cum melle, cuius formula haec est: ℞. pulu. sem. sabadill. gr. v. mell. despum. gr. vij. M. F. pil. vna, praeuia medicina laxante, sensim ad tres pilulas adscendendo, et purgans medicamentum interponendo, donec vermes et pituita exire
p. 16. desinant. Minori dosi in infantibus opus est mane et vesperi gr. ij. in aetate prouectis quouis mane
p. 17. pil. sex, die quinto laxante medicina. Res in vado
p. 18. est die 12. vel 16. ascarides decocto sem. sabadill. et lacte enecantur. Id quod obseruationibus 13. abunde confirmatur, ex quibus constat, hoc semen sabadillae etiam proficuum ad epilepsiam fuisse.

p. 41. 2. *Laesio capitis vehemens, morte post sex horas insequente*, eodem auctore. Ex casu fractura clauiculae sinistrae in corpore, vt Noster dicit, orta est, signo euidenti capitis laesi nullo. Sectio docuit, subesse sub parte squamosa sinistri ossis temporum et musculo temporali drachmas aliquot sanguinis extrauasati, et fissuram duplicem, quae ipsa ab sutura squamosa ossis temporum inferius confluerent, et progrederetur per alam magnam sinistram in medium

*) de quibus vid. comm. nostr. Vol. XXIV. p. 315. 619.

medium os ſphenoides et ab ſella equina anterius per laminam horizontalem oſſis ethmoidis ad criſtam galli vſque. Cranium erat praetenue, pellucidum et diploës expers.

3. *De calculi operatione ex methodo* LE DRANII *infeliciter peracta*, eodem auctore. Se aegrorum nullum hac via ſectum perdidiſſe, Cl. SCHMVCKER profitetur. Calculum vnc. 6. extraxit, ſed operationem, quam Francogalli *à deux tems* appellant, hic per neceſſitatem tentatam, tanquam ſumme periculoſam, vehementer damnat. p. 44.

Sequuntur *mixtae obſeruationes.*

1. FRITZII *hiſtoria ſectionis caeſareae, poſt ictum tauri neceſſariae et feliciter factae.* Operatio intra quadrantem horae peragitur, cura intra 24 dies abſoluitur. Effecta nulla ominoſa praeter vomitum. Denuo ingrauidata femina filiam mortuam peperit, lochiorum fluore parco, debilitate ſubſequente ſumma, poſt vomitum exſpirauit. Ex ſectione intelligitur, cicatricem poſt operationem reſiduam fuiſſe bene inductam et firmam, magis vero extentam et tenuatam eam, quae ictus loco orta erat, intra abdomen 12 libras ſanguinis fluidi et coagulati extrauaſatas, peritonaeum vbiuis bene concretum, et omentum maius hinc inde adnatum, venas vteri, cumprimis ouarii dextri, varicoſas, coagulum ſanguinis quendam ſuccum peritonaei efformans, vnde venae in ſubſtantiam vteri apertae exibant, locum vteri, ſub ſectione caeſarea ſciſſi, cicatrice iuſta obductum, eum vero, quem cornu tauri laeſerat, non niſi tenuiorem factum, placentam vteri firmiter adhaereſcentem, vterum vero non ruptum. Ex quo concludit Auctor, haemorrhagiam internam fuiſſe cauſam mortis proximam. p. 59.

2. *De*

p. 81. 2. *De vulnere ſclopetario humeri dextri*, auctore SEELIGER. Deperdita erat pars magna oſſis, integumentorum, muſculi bicipitis et gemellorum, ſed reliqua etiam quaedam vna cum vaſis et neruis, quae rite appoſita et conſeruata fuerunt.

p. 96. 3. *De amputatione*, auctore LAVBE.

p. 108. 4. *De aſcite, vrinae eductione ſanato*, auctore BLOCK. Prolapſus vaginae poſt partum reſiduus et regio vmbilici et pubis tumida mentiebantur aſciten, qui, educta vrina, prorſum ceſſabat.

p. 113. 5. *De otalgia ab vlcere veteri ſiccato, cum continuo ſaniei fluore et auditu perdito*, auctore IASSER. Cauſa mali in fronte legitur, ſed magis memorabilis inuenta medicina eſt. Ex nigra macula, puluillo inhaerente, colligebat Noſter, in proceſſu mammillari ſubeſſe cariem. Inciſa hac parte et ſpecillo immiſſo, incidit in cellulas maſtoideas, poſt haec iniiciendum curauit infuſum tepidum, quod nare dextra iterum effluxit vna cum pure. Hinc dolor auris abiit, et ſpatio trium hebdomadum vulnus ſolideſcere coepit. Auſus ergo Noſter eſt idem experimentum in aure ſiniſtra, auditu dudum privata, decoctio myrrhae iniecta ſiniſtra nare effluxit, auditus rediit.

p. 126. 6. *De malis ſequelis vulneris capitis poſt binos demum menſes oriundis*, auctore EODEM. Incidit ſopor, in latere vtroque cubitus intolerandus, pupilla aperta. conuulſiones a capite retrorſum acto, hinc orta ſuſpicio materiae fluidae inter bina haemiſphaeria effuſae, prorſum antrorſum latae. Viſa neceſſaria ergo trepanatio eſt in ſinubus frontalibus, ſed prius tentatus puluis ſternutatorius, vnde tandem pus et ſanguis profluxit, mens illico et conſcientia rediit.

p. 138. 7. *De apoplexia ab vlcere pedum conſolidato orta et embroche feliciter curata.* Periit auditus et loquela, et poſt adhibitum ſtillicidium redditur ſanitas.

8. *De*

8. *De abſciſſa magna hepatis parte ſine vlla noxa*, p. 156.
EODEM auctore. Miles tria ſibi vulnera inflixerat, quorum primum in regione hypochondriaca erat, poll. 1 ½ longum, et egredi ſinebat partem lobi maioris hepatis, ſecundum et tertium vero in media regione epigaſtrica, e quibus magna pars omenti maioris exibat. Quae quia reponi amplius non poterant, et emortuae videbantur, reſecabantur omnino, vnde vomitus bilioſus, febris et abdomen tenſum oriebantur. Balneum calidum multum profuit. Rediitque ſanitas poſt 27 dies, nulla relicta labe, nullo ſenſu, nulla hernia ventrali.

9. *De diſciſſo larynge at pharynge ſine vitae detrimento*, EODEM auctore. Miles, in carcere detentus, nouacula ſibi diſciſſit cartilaginem thyroideam, os hyoides et ligamentum hyothyroideum, vnde tuſſis, vomitus, febris, tandem tumor ſub manubrio oſſis ſterni intra ſpatium tendinum muſculi ſterno-cleido-maſtoidei inſecuta ſunt, ex cuius apertura effluxit ſanies fetida cruenta, cum ſanguine coagulato miſta. Poſt quatuor hebdomades redintegrata eſt deglutitio, vulnus laryngis conſolidatum, vox facta clara, ſed profunda cum ſonitu ſtertoroſo, ac ſi quis poſt tuſſim pituitam exſcreare cupit. Finita ſeptima hebdomade, cum valetudine in gratiam rediit. p. 162.

10. *De curatione ſcabiei per remedia ſimplicia*, p. 169.
auctore EODEM. Vſus eſt arcano quodam vnguento, quod mane et veſperi magnitudine nucis auellanae volae manus inungitur, poſt hoc ſequitur maior eruptio ſcabiei, pruritus vehemens, et tandem intra 10–12 dies ſiccatur, ne vllo quidem incommodo reſiduo. Formula haec eſt: Rec. vitriol. alb. Fl. ſulph. Pulv. baccar. laur. $\overline{aa}$ ol. lin. ſ. oliuar. q. ſ. M. F. ad conſiſtent. vnguent. fluid. Bonum euentum atteſtatur Cl. SCHMVCKER, ſuum

ipſius

ipsius vsum et experientiam THEDENII et ROLOF-FII professus.

p. 179. 11. *De hydrophobia curata*, auctore GEISELER. Methodus adhibita Cl. SCHMVCKERI est, et quatuor hebdomadibus post reddita sanitas.

p. 180. 12. *De hernia incarcerata cum symptomatis ominosis copulata*, auctore HORN. Orta est ab ictu inter rixandum, et facta operatio, resciſſa parte quadam omenti gangraenosi, altera intus detrusa. Haec tandem computruit et per vulnus effluxit. Cicatrix perfecta adfuit nouem hebdomadibus post.

p. 187. 13. *De hernia intestinali*, auct. EODEM. Bene cessit operatio.

p. 191. 14. *De hernia omentali feliciter sanata*, auctore OTTO. Periit sacci hernioſi emortui et tunicae vaginalis funiculi spermatici, omenti scirrhosi pars, rediit integra sanitas.

p. 206. 15. *De hernia incarcerata tandem gangraenosa*, auctore IVNG. Ab vomitu dirupta est hernia, gangraena affectum omentum, item ileum intestinum, cicatrix inducta post diem 60. femina iterum ingrauidata et feliciter partum enixa.

p. 210. 16. *De vulnere intestinorum post inflammationem praegressam*, auctore EODEM. In dextro hypochondrio post inflammationem relicta erat durities quaedam, ad costas spurias extensa, ex cuius apertura calloſa exibat verus chylus, intus latitabat corpus durum, solis excrementis constans. Dilatato vulnere, vnc. 6. eductae fuerunt. Ad finem quarti mensis vulnus consolidatum est.

p. 216. 17. *De operatione sacco - hydro - epiplooceles cum historia morbi praegressi*, auct. SONDERSHOFF. Testiculus dexter ad abdomen retractus ibidemque relictus est. Triennio post idem accidit sinistro cum vomitu et dolore, sensim maiori et duriori facto, interdum prurienti, cuius moles 14 $\frac{1}{4}$ poll. longi-

tudo

tudo 5½ pollic. erat. Suſcepta ergo operatio eſt feliciter.

18. *De hernia omentali, ab acceſſione herniae inteſtinalis letali*, auctore EODEM. p. 229.

19. *De plenaria abſciſſione virilium vna cum vulnere abdominis duplici, feliciter perſanata*, auctore CHRISTOPH. Miles melancholicus nouacula ſibi abſcidit externa virilia, puta ſcrotum, teſtes, penem, et praeter haec adflixit vulnera duo ſub vmbilico. Nihil incommodi poſt ſanationem relinquebatur. p. 231.

20. *De commotione cerebri ex caſu ab alto, trepano percurata*, auctore HOFFMANN. Trepanatio fiebat 96. horis poſt in tumore ipſo ad ſedem ſiniſtram oſſis bregmatis, et exibant vnc. 4. ſanguinis, ex dura matre protuberante cochlearia tria ſeri, poſt haec rediit conſcientia, et ceſſauit paralyſis oculi. Vnde Noſter concludit, falſum eſſe, quod quidam auctores ſtatuunt, ſanguinem extrauaſatum in cranio non ſubeſſe, niſi fiſſurae vel fracturae detegantur. p. 240.

21. *De vulnere ſclopetario in inferiore parte oſſis frontis*, auctore COLLIGNON. Symptomata grauiora ſequebantur particulam plumbi intus deliteſcentis, ſinus frontalis ſenſim ſuppurare deſiit. p. 245.

22. *De lapide, ab oſſiculo ceraſi in naribus nato*, auctore HORN. Oſſiculum ceraſi membrana cruenta veluti incluſum erat. Huic obſeruationi Cl. SCHMVCKER quaedam de calculorum ortu ſubiecit, ratus, materiam lapideſcentem ſemper in corpore reperiri. p. 252.

23. *De corde putrido et rupto*, auctore FELDHAN. Aeger viuus conqueſtus eſt ſub quouis leviori motu ſpirationis difficultatem, paullo ante mortem ventriculum inflatum, hinc pectus angu-ſtatum et ſuffocationis ſenſum, oedema pedum et aſciten. Sectio oſtendit in abdomine nullum liquo- p. 256.

rem,

rem, viſcera integra, praeter lienem tumidum et friabilem, vaſa turgida, in pectore vero magnam pinguedinis molem, duplicaturam mediaſtini infarcientem et ad pericardium vſque extentam, pericardium, ipſum cruore plenum, cor omne tenui adipe veluti inunctum et in apice ventriculi anterioris fiſſum, praeterea diſtentum, flaccum, tenue, praeſertim in apice, atque adeo friabile, vt pultis inſtar digitis comminui poſſet. Ceterae partes erant integrae.

p. 265. 24. *De nephritide vlceroſa, cum macie corporis iuncta, aqua calcis et lacte perſanata*, auctore OLLENROTH. Catheter eduxit materiam ſabuloſam pituitoſam. Data ſunt roborantia, nutrientia, aqua calcis lacte remixta, reſtituta eſt ſanitas.

p. 272. 25. *De coalitu vaginae*, auctore HORN. Hoc malum non adeo rarum eſſe, vt vulgo creditur, ſtatuit Noſter, et cauſſas percenſuit, vnde vel oriatur vere, vel oriri poſſe videatur. Quarum primam putat excoriationem intra labia et internas vuluae partes, quia aegrae vix annum vnum vel alterum exceſſerant, vrethra ſemper aperta. In caſu primo, quem memorat, erat vagina prorſum coalita per membranam quandam, vrethra vero humore ſebaceo ſuperinducta, balneum calidum valde proficuum, in altero erat hymene clauſa. Cui aliam obſeruationem ſubiecit Noſter de tumore menſtruo.

p. 282. 26. *De ſurditate ab frigore pedum inſigni oriunda*, auctore LANGE. Inerat meatui auditorio externo lapidea quaedam materia, quae iniectione auferebatur, menſes eliciebantur, redibat auditus.

p. 286. 27. *De tumoribus lacteis*, auctore EVERS. Lacti puerperarum repellendo apta cenſet belladonnae gr. v. cum rhabarbaro, et arcanum duplicatum lochiis reuocandis.

p. 293. 28. *De pure in puerperae abdomine inuento, et ex lacte repulſo oriundo*, auctore PAPENDICK. Refrige-

frigeratione praegreſſa, inſecuta eſt febris, anxietas, vomitus, et ſingultus ceteraque peſſima ſymptomata, tandem mors. Poſt ſectionem abdominis effluxit magna puris fetidi copia, omentum hinc inde arroſum et ouarium vtrumque, vterus valde contractus, parotis liquore lurido viſcido plena.

29. *De vulnere humeri ſclopetario feliciter curato, qua magna pars cauitatis glenoidalis ſcapulae, et duae partes capitis et colli oſſis brachii diffractae ſunt*, auctore EODEM. p. 301.

30. *De manu diffracta*, auctore HARBICHT. p. 304. Vulnere ſclopetario vtraque phalanx pollicis et os metacarpi, item oſſa metacarpi indicis et digiti medii prorſum diffracta et deperdita ſunt.

31. *De manu fere abſciſſa, attamen curata*, auctore EODEM. p. 309.

32. *De curatione aneuryſmatis ſpurii*, auctore SCHROEDER. p. 318.

33. *De tumore cyſtico linguae, exſtirpatione perſanato*, auctore EODEM. Pondere aequabat vnc. 6. et ex familia ſteatomatum erat. p. 322.

34. *De exulceratione faucium ab materia ſcrophuloſa, cum baſi veli palatini foraminulata, et feliciter perſanata*, auctore MAYER. p. 325.

35. *De aneuryſmate arteriae cruralis*, auctore EODEM. Non prorſum deſidit tumor vel poſt ipſam operationem. p. 327.

36. *De ſingulari quodam caſu.* Puella duodecim annos nata poſt dolorem abdominis ſenſit tumorem in regione vmbilici, vnde aliquot diebus poſt magna hydatis, ex eaque rupta copia puris mali effluxit. Sic tumor deſidit, et hydatis ſanescere coepit ad vmbilicum medium, cuius apertura, ad mortem vſque reſidua, plorauit quotidie pus, interdum et lumbricos emiſit. Poſt annum inerant aperturae, quoties ligaretur, longi pili, humanis p. 330.

similes, cum et sine dolore extracti. In cadauere reperiebantur viscera abdominis situ naturali, deerat omentum, regio hypogastrica vlceri magno putrido haud absimilis erat, intestinum ieiunum ostendebat paruam, ileum vero magnam aperturam 1½ poll. sed excrementa in abdomine nulla, in medio fundo vesicae vrinariae aperturam, et ibidem in abdomine corpus rotundum, durum, pilis obsitum, nucis iuglandis magnitudine, quod vterum destructum et caput infantis deforme referebat, cuius partem alteram rotundatam et elatam membrana densa et pilosa contegebat, alteri vero irregulari inhaerebant duo dentes perfecti et membranula tecti. Corpus ipsum osseum erat, foraminulis interstinctum, fontanellae et foramini magno ossis occipitis non absimile, ex quibus transitus fuit in cauitatem, cerebri veluti massam mollem continentem.

IX.

ANTONII MICHELITZ, Medic. Doct. Vindobon. Sac. Caesar. Reg. et Apostol. Maiest. Consiliarii, in antiquiss. et celeberr. vniuersitate Carolo-Ferdinand. Pragen. institut. medic. Professoris R. P. O. Scrutinium hypotheseos spirituum animalium. Pragae, apud Wolfgangum Gerle. MDCCLXXXII. 8. pagg. 95.

Nullus erit, qui doctrinam mollium corporis humani partium primis tantum labiis degustauerit, quem fugiat, iam inde a longo temporis spatio litem fuisse inter Auctores de fluidi neruei existentia magnam. Quam quidem litem vt aliqua ex
p. 14. parte dirimeret, Auctor aggredi ausus est. Nam etsi haud pauci viri, iique clarissimi fuerunt, qui ex copia sanguinis ad cerebrum ruentis insigni, secretionem

tionem ſpirituum nerueorum in encephalo deducerent: tamen quum ex doctrina phyſiologica conſtet, ſanguinem arteriarum carotidum fere omnem ad ſaliuae impendi ſecretionem, eumque maxima ex parte continere aquam, cuius ex viginti vnciis deſtillare nouendecim experimenta demonſtrent chemica, remaneri perpaucum, reſiduumque reddi ſpiſſiorem atque ad ſecernendum hoc fluidum plane ineptum quiſque intelliget. Neque vero ex p. 28.
ſententia Cl. MICHELITZ argumentum ab apparatu encephali ſecretorio, quod omnia ad hanc functionem perficiendam habeat vaſa et arterioſa rubra afferentia et venoſa referentia, depromtum aliquid faciet, quoniam cerebri viſcus tam amplum, quod non ſolum cranii cauea coërceri non poſſit, ſed eam quoque excurrat quam longiſſime, atque adeo aeque late per totum corpus ſe diſtribuat, ac ſyſtema neruoſum, longe maiorem ſanguinis copiam in ſui nutritionem conuertat. Quo certius igitur eſt, cerebri ſubſtantiam et cerebelli vberiore nutritionis egere materia, quia amplius diffunditur, eo magis probari poteſt, nihil ex ſanguine, ad encephalon lato, ſecerni aliud, ac quid ampliſſimis et nobiliſſimis praeſit muneribus in corpore animali. BOERHAAVIVS ſummus argumentum quoque ab aequabili cerebri cum reliquis corporis partibus incremento petiit, vt fibrillarum neruearum cauitatem et fluidi neruei praeſentiam demonſtraret. At vero ex hoc ſequeretur id, nullam in corpore particulam niſi vaſculoſam capacem eſſe incrementi. Nunc vero experientia quotidiana edocti ſcimus, eas quoque partes, in quibus nunquam vaſculoſi quid detectum eſt, ſua capere incrementa. Acce- p. 43.
dunt experimenta DELLA TORRE ac Cl. PROCHASKA cum ſubſtantia cerebri, cerebelli, medullae oblongatae et ſpinalis facta, quae ſatis ſuperque oſten-

dunt, eam congeriem esse innumerorum globulorum pellucidorum, siue ex obseruatis DELLA TORRE natent in transparente aliquo viscido fluido, siue ex dictis Cl. PROCHASKA cohaereant inter se peculiari quodam ac elastico nexu *).

p. 64. Sed alia, eaque grauior nunc oritur quaestio, num spirituum animalium hypothesis cum phaenomenis motus muscularis conueniat, quamquam musculum paralysi correptum statim contrahi, si extremum nerui resecti scalpello, vel alio quocunque modo irritamus; licet ipse neruus irritabilis haud reperiatur, licet in neruo nullam adesse obseruemus mutationem sensibilem videamus. Quae quidem paucis absolui possunt. Scilicet ex b. HALLERI experimentis sexcenties institutis habemus id, vt, neruo musculi alicuius presso, ligato, resecto, nullum cum cerebro amplius intercedat commercium, dum neruus recens sit ac humidus, irritationes eius nerui, a cerebro nunc seiuncti eundem in musculo producere motum, quem facit, quando cum cerebro cohaeret. Et ponamus, nervum esse cauum, tota sua longitudine a sede compressionis in musculum vsque fluido nerueo repletum, motumque ab eius aditu in musculum repetamus, quae causa fuit, quo minus nerueum illud liquidum, quum in experimentis HALLERI stringentis digiti pressionem sustineret, statim fugeret in locum minus resistentem in musculum, eumque in contractionem raperet quam celerrime? Neque Cl. MICHELITZ princeps fuit, qui de introitu fluidi neruei in fibrillas musculares dubitaret, sed F. FONTANA iam et R. WHYTT hanc theoriam in dubium vocarunt, quorum alter ex contractione cordis

*) Nuperrime et maiori cum doctrinae copia et argumentorum grauitate hanc litem composuit Cl. METZGER.

cordis ranarum, quae quinque et ſex horis a detruncato capite, a deſtructa medulla ſpinali, et dimidia ab exemto corde hora, perdurat, luculenter demonſtrat, acceſſionem liquidi neruei in muſculos ad eorundem contractionem plane non requiri. Et in declarando ſenſationis modo rationeque potius ad fibrillam ſolidam, quam cauam, fugiamus neceſſe eſt. Quodſi enim ſubſtantia medullaris primam illam ab re externa factam impreſſionem in organo ſenſorio recipere poteſt, atque delata ad commune ſentiendi inſtrumentum impreſſionum veſtigia euidentiſſimo memoriae exemplo retinere, cur non poſſit easdem quoque impreſſiones propagare abſque ſubtiliſſimi cuiuſdam liquidi miniſterio? et quo demum iure nerueam pulpam in origine ſua fineque recipiendis externarum rerum impreſſionibus manifeſto aptam eſſe, per totum vero reliquum ſui decurſum hac aptitudine eandem priuari aſſeremus? Denique Cl. Auctor quaerit, num fluidum nerueum electrica ſit natura, atque ex legibus materiae electricae ipſis demonſtrat, manifeſtum inter haec elementa intercedere diſcrimen. Nam electricitatis phaenomena pendent a turbato fluidi electrici aequilibrio, quod, cum corpora relatiue ad fluidum electricum in diverſis ſtatibus conſtituta, ſibi inuicem admouentur, ad reſtituendum hoc aequilibrium ab vno corpore in aliud, aut viciſſim cum impetu irruit. Nunc autem qui fieri poterit, vt elementum, quod mechanicis aequilibrii legibus tam euidenter obtemperat, voluntatis imperio ſubiaceat? Tota lis caeterum id prae ſe fert, neruorum doctrinam tenebris adhuc inuolutam eſſe denſiſſimis, quas tempus fortaſſe diſcutiet; id intelligimus, medullam eſſe neruum ſubtiliſſimum atque ſenſibillimum. (Vtinam Vir Cl. ante, quam rem aggrederetur, tentaſſet, quid

p. 74.

p. 83

quid valeant humeri, quid ferre recuſent! Multa enim hic deſunt, ſine quibus omnis diſceptatio vaga et inconſtans eſt, multa adſunt, ſed ea fere cruda et immatura, multa denique aliter et dici, et ſcribi debuiſſent, ſi velis in legentium aures et animos influere. Et quod primum tali in argumento literario eſt, neſcit prorſum, qui ante eum hac in arena militarunt.)

X.

Eſſay ſur la nouvelle theorie du feu elementaire, et de la chaleur des corps; avec la deſcription des nouveaux thermometres; deſtinés particulierement aux obſervations ſur ce ſujet; par I. H. DE MAGELLAN, Gentilhomme Portugais, Membre de la Soc. Roy. de Londres etc. à Londres, chez B. White 1780, 4 mai. pag. 32.

i. e.

De noua theoria ignis elementaris et caloris corporum, cum deſcriptione nouorum thermometrorum, huiusce generis obſeruationibus deſtinatorum, auctore I. H. DE MAGELLAN.

In hac commentatione, quae, ſeorſim licet edita, conſtituit partem omnium operum Ill. Auctoris, in eo eſt, vt nouam ignis calorisque theoriam, quam ſuperſtructam aliquot obſeruationibus Cel. BLACKII et WILKII, non ſine magno eruditorum plauſu Cel. CRAWFORD propoſuerat, ipſe magis adhuc explanet, nouisque corroboret experimen-
p. 167. tis. *Calorem abſolutum* vocat ignem elementarem per omnia corpora diſperſum; *ſpecificum*, caloris abſoluti quantitatem, cuique elemento cuiusuis

iusuis corporis in certo ſtatu propriam; *ſenſibilem* exceſſum caloris abſoluti, qui accumulatus ſuperat calorem ſpecificum corporis, et tunc ſenſibus et thermometro percipi poteſt. Calor abſolutus increſcens, pro ratione ſpecifici caloris, in ſenſibilem tranſit, qui eo maiora capit incrementa, quo minor ille eſt: vterque igitur nihil niſi alia ratione ſe exſerens calor abſolutus eſt. Calor ſpecificus duorum corporum eiusdem indolis, eruitur e ratione inuerſa differentiae, quam calor ſenſibilis, poſt mixtionem illorum, habet ad calorem ſenſibilem vniuscuiusuis ante mixtionem; cuius regulae veritas ex experimentis pluribus apparet, cum aqua inprimis inſtitutis. Caloris ſpecifici quantitas non diſcrepat ſolum in corporibus diuerſae naturae, ſed quoque in illis vnius eiusdemque indolis, ſi modo in mutato ſtatu (vel ſolido vel fluido) conſtituti ſint. Sic e. gr. glacies, ab adiecta aqua 162° thermom. *Fahrenh.* fuſa, indicat modo 32° (abſorpti itaque ſunt 130°, qui ad fluidae aquae calorem ſpecificum requiri videntur:) ſi vero aqua, ad 32° adhuc fluida, miſceatur cum calida 162°; tunc thermometrum ſubſiſtit ad 97°. (Aliud experimentum Cel. BLACKII *) eandem rem licet alio modo confirmat; tempus enim 20plo longius neceſſarium erat ad glaciem fundendam, ad temperiem illius loco euehendam, quam fluidam aquam 32°.) Quibus et pluribus aliis obſeruationibus collatis naturae legem detegimus, qua eadem corpora minorem contineant ignis quantitatem in ſtatu ſolido, quam fluido; in hac vero minorem adhuc, quam in ſtatu vaporoſo; cuius rei exemplum quoddam percipimus calore, qui ſubita maſſae ſalinae euaporatae, per concuſſionem, cryſtalliſatione oritur. —

p. 168. p. 170. p. 172. p. 173. p. 175.

*) vid. *Verſuch über das Vermögen Wärme zu erzeugen und zu vernichten, überſ. v.* L. CRELL. p. 69.

Si quaeris quantitatem abſolutam caloris ſpecifici eiusdem corporis, ſeu ſolidum ſit, ſeu fluidum, inveſtiganda eſt differentia iſtius caloris in vtroque ſtatu, vt et proportio relatiua caloris in quauis ipſius conditione: atque productum e quouis horum terminorum erit abſoluta quantitas cuiusuis caloris ſpecifici.

p. 177. Hisce regulis, experimentis, calculoque ſuperſtructa eſt tabula, continens rationes caloris ſpecifici, autignis elementaris, contenti in XLIII corporibus diuerſis, quam, mutuatis quibusdam a Cl° CRAWFORDO, correctis aliis, nouisque ab ipſo inſtitutis periculis, ſuppeditauit Cel. KIRWANVS, vir de rebus chemicis iam eximie meritus: illamque integram, exhiberemus, niſi limitibus circumſcripti, quibus impediti, quaedam modo decerpemus. Aqua eſt = 1, 000, glacies 0, 900; mercurius 0, 033; ſtannum 0, 068, huiusque calx 0, 096, antimonii regulus 0, 086, huiusque calx 0, 220: aër omni phlogiſto orbus (*dephlogiſt.*) 87, 000, idem atmoſphaericus 18, 670, fixus 0, 270; ſpiritus ſalis ammoniaci 1, 851; ſpiritus vini rectificatus 1, 086 etc. Quibus praemiſſis Cel. Auctor nobis

p. 180. delineat Cl^i CRAWFORDI theoriam, originem caloris animalis, et flammae explanantem. Qui quidem aëri communi tribuit calorem 200°, (quia notis artificiis atmoſphaerae calor ad 200° deprimi poteſt;) quo protinus in fixum mutato, orietur inde calor 69 × 200 = 13800. Quodſi itaque aër atmoſphaericus, reſpirando a pulmonibus ſuſceptus, in hiſce mutetur in fixum, vel phlogiſto ditatum (*phlogiſticum*), calorem ſanguini communicaturus eſſet 13800°, niſi iacturam faceret ab aliis corporibus vicinis; qui vero reliquus, per ſanguinem pulmonarem toti corpori communicatus, fons eſt caloris animalis.

Euo-

Euolutum vero e corporibus incenſis phlogi- p. 181.
ſton, atmoſphaericum aërem mutat in fixum et phlogiſticum; quo facto tota in illo ante ea contenta ignis elementaris vis deponitur in corpus, quod phlogiſton emittebat, quod candet itaque et flammam concipit. Egregie vtitur hiſce principiis p. 182.
Cl. MAGELLAN ad explicanda plura naturae phaenomena: et ſub finem deſcribit thermometrum, p. 188.
ab ipſo ad huius generis obſeruationes excogitatum, cuius figuram quoque exhibet. Bulbus eiusdem eſt maximi, (quantum fieri poteſt,) tubus minimi diametri atque inſignis tenuitatis; et paratur non flatu tubi ferruminatorii, ſed compreſſione lagenae, ex reſina elaſtica confectae. Tubus eſt 7–8″; ideoque quoduis thermometrum non plures indicat gradus, quam 12–14°; vt itaque opus ſit 10– p. 190.
12 eiusmodi inſtrumentis, ad gradus a glacie ad aquam bullientem determinandos. Modum, quo p. 191.
quoduis horum in partes minutiſſimas, oculorum aciem interdum ſubterfugientes, diuidi poſſit, quique absque appoſita figura planus reddi nequit, praetermittimus, quum quiuis harum rerum cupidus librum ipſum non ſine ſingulari animi voluptate perleget. — Non enim negamus, multa ineſſe eidem et theoriae Crawfordianae, quae nobis arrideant, pluriumque phaenomenorum difficilem hactenus explicationem reddant faciliorem: nec nos mouet differentia caloris aëris fixi et atmoſphaerici, quae nuperis experimentis obſeruata eſt multo, quam a CRAWFORDO, minor, quum multa detrahi antea poſſint, quam impar euadat explanando calori animali. Neque tamen diffitemur, quasdam, quae nos impediant, quo minus in partes Cl. CRAWFORDI omnino abeamus, ſupereſſe difficultates, quae vero ſperamus fore vt tollantur coniunctis curis Cll. virorum, WILKII, BLACKII, HIGGINSII,

KIRWANI, SCOPOLI, vt plures taceam, qui similem foueant opinionem.

XI.

Synopsis nosologiae methodicae, exhibens clariss. virorum, SAUVAGESII, LINNEI, VOGELII, et SAGARI systemata nosologica: edidit suumque proprium systema nosologicum adiecit GULIELMUS CULLEN, Med. D. et in Acad. Edinb. medicin. pract. Prof. etc. Editio tertia emendata et plurimum aucta; duobus tomis Edinb. apud Gul. Creech 1750. T. I. pag. 349. T. II. p. 417. 8 mai.

Secundam huius libri editionem, quum notam olim reddiderimus *), non opus esse fusiori huius recensione pluribus videbitur; at enim vero ita emendauit, perpoliuit et auxit hanc nostram Cel. CULLENIUS, vt nouum fere opus iure suo appellari possit. Continet quidem tomus primus systemata nosologica Cll. virorum, in libri titulo iam nominatorum, in compendium reducta; excerptis nimirum classium, ordinum et generum definitio-
Tom. I. nibus: *secundus* vero sistit Cel. Auctoris proprium, summo studio maxime emendatum; cui praefixam praefationem serio perpendat, qui totam istam methodum (sibi certe non rite perspectam) vilipendere e re sua esse crediderit. Cl. enim CULLENIUS argumentis non minus solidis et doctis, quam
p. 8. acutis, vtilitatem et necessitatem condendi systematis nosologici demonstrat, quo ad morbos quosvis feliciter eruendos, distinguendos et describendos nihil aptius sit. Praeter ea regulas indicat, quas sibi ipsi duxit, quibus rite discerneret genera a speciebus, has a varietatibus; qua quidem occasione

*) v. comment. nostr. Vol. XX. P. IV. p. 716.

ne errores aliorum nosologorum animaduertit, sed modeste; eodemque animi quoque candore ea notat, p. 11.
quibus sibi ipsi non fecerit satis: in eo totum fuisse, qui ordines naturales conderet morborum; quorum vero quosdam consulto ea ex ratione omisisse, quia iis locum in suo systemate idoneum indicare haud potuisset, eorum interim catalogum ad calcem operis subiunxisse, vt posteri perspica- p. 21.
ciores, ea diligentius perpendentes, characterem et locum iis assignent.

In opere ipso plura inuenies mutata, correcta, aucta et explanata: in omnibus enim definitionibus, lima acriori vsus Cel. CVLLENIVS, plurimas emendauit, nouis characteribus auxit, suppositis textui rationibus, quae Eundem ad id impulerunt. Generum numerum adauxit XVII nouis, quorsum pertinent *odontalgia*, *chorea*, *pneumatosis*, *amaurosis*, *pseudoblepsia*, *bulimus*, *polydypsia*, *satyriasis*, *nymphomania*, *nostalgia*, *contractura*, *ephidrosis*, *dysuria*, *dispermatismus*. Cuiusuis generis species apposuit, nominibus sic dictis triuialibus et idonea definitione distinctas; in quibus condendis iure suo parcus fuit; copiosissime vero SAUVAGESII species suis locis, vt pro varietatibus solum habitas, subiunxit, ne deficerent, si quibusdam contraria ratione de iisdem iudicandum esse videretur. Habemus itaque nunc opera Cel. Auctoris, completam fere nosologiam, quae non minus perspicuitate, quam apta breuitate et concinnitate, sese ita commendat, vt nihil habeamus, quod harum rerum gnaris addamus.

XII.

XII.

GVIL. BATTIE aphoriſmi de cognoſcendis et curandis morbis nonnullis ad principia animalia accommodati rurſusque ob rerum dignitatem et libri raritatem cum translatione adnotationum anglicarum in latinam linguam editi, curante DAVIDE SAMVELE DE MADAI. Halae Magdeb. 1780. in 8. 305. pag.

Principiorum animalium doctrinam phyſiologicam antea editam his therapeuticis regulis in aphoriſmorum formam, *Boerhaaviana* methodo, redactis, firmatiorem et vtiliorem reddere Cl. Auctor tentauit, primumque de inflammatione agit, eiusque omniumque ſymptomatum ipſi propriorum proximam cauſſam in muſculis ſpaſmo affectis ponit.

Syncopes cauſſam proximam in ſingulari, incognita hactenus neruorum et muſculorum affectione, proximiorem autem in fortiori preſſione nerueae medullae intra cranium ponit, huiusque preſſionis cauſſa eſt muſculorum colli et capitis ſpaſmus conſtrictiuus, vaſorum cerebri laxitas, aut ſubita nimis inanitio.

p. 23. Eandem apoplexiae quam ſyncopes cauſſam proximam eſſe, duas illius ſpecies, ſanguineam et ſeroſam, ſtatuit, cauſſas tamen et alias apoplexiae, non autem omnes adducit. In paralyſi ſpecies duae, ſeroſa ſanguineaque, bene diſtinguuntur. Aquae Bathonienſes in paralyſi promiſcue adhibendae haud ſunt, quum ſanguineam paralyſin ſaepe augeant, et in pituitoſa paralyſi affectis hydropem ſubinde inducant.

Epilepſiae cauſſae curatioque imperfecte traditae ſunt. In infantum epilepſia praeſtantiſſimum remedium

remedium ſal volatile ſuccini genuinum eſt. (Analogam huic medicinam, cornu cerui ſuccinatum liquorem SYDENHAMVS laudabat).

Inſania laborare homo dicitur, qui phantaſmata ficta, nec alteri cuilibet percepta, pro rebus vere exiſtentibus capit, nec ſenſibus nec ratione corrigitur. Cauſſae huius morbi omnes haud allegantur. (Nos raro caſu, hyeme frigidiſſima ann. 1783. et 1784. virum nobilem, ſaniſſimum antea, ex frigore maximo, quod caput parum tectum in itinere paſſum erat, in maniam, dum haec ſcribimus, nondum ſanatam, incidiſſe obſeruauimus.)

Oculorum morbis, inflammatione, epiphora, in- p. 81.
ternisque cataracta et amauroſi breuiter pertractatis, ad anginam tranſitus eſt. Eam muſculorum deglutitioni inſeruientium impotentiam eſſe dicit, manifeſto errore, quum cum deglutitionis difficultate anginam confundat.

Aphtharum ex Noſtri ſententia cauſſae remotiores ſunt calor febrilis liquidiora exhalans et diarrhoea liquidiora exhauriens. De haemorrhagiis principia mechanica exponuntur, omnesque haemorrhagiae hoc capite pertractantur, haemoptyſi excepta, cui ſingulare caput dicatum eſt.

Aſthmatis tres ſpecies ſtatuit, ſpaſmodicum, pa- p. 127.
ralyticum et oneroſum, ab onere ſiue mole movendorum viribus animalibus maiore oriundum. Cinnabari natiuae et antimoniali vires adhuc ad aſthma ſpecificae adſcribuntur.

De phthiſi pulmonali pluribus agitur. Illius p. 144.
inſtantis ſignum dyſpnoea eſt tres vel quatuor poſt paſtum horas potiſſimum vrgens. Phthiſeos proxima cauſſa inflammatoria materies non reſolubilis pulmones infarciens eſt. Balſama in ea pro nocivis habentur, lac vero laudatur.

De

De febribus etiam pluribus ad mechanica principia agitur. Et rheumatici affectus ſpaſmis adſcribuntur, omnisque rheumaticus dolor ſpaſmo tribuitur. Roborantes medicinae ad eam, vt ſpaſmus ſopiatur, maxime laudantur.

In omni colica, inflammationis experte, (adeoque et in ſtercoracea?) remedia, ad ſpaſmos pariter ſopiendos, ex carminatiuis, volatili ſale oleoque praeditis laudantur. Acre in ventriculo et inteſtinis haerens opio coërceri iubet. Pictonum colica emollientibus curanda eſt.

p. 213. In ictero pariter ſpaſmus accuſatur, huius vero ſpaſmi cauſſae non tam accurate traduntur. Medela mechanica nimis nec cauſſis omni modo aptata eſt. Ad ventriculi inflammationem oleoſa medicamenta interne dari iubet „nitrum enim et ſalia „quaelibet antiphlogiſtica in hac inflammatione „nihil omnino proderunt, immo ob ſtimulantem „vim quam maxime officient.„ quae regula, ab hodiernis medicis ſaepe neglecta, vere aurea eſt.

p. 275. In calculi nondum penitus concreti curatione a vegetabilium ſuccis ſaponatis, reſoluentibus, caet. omnia exſpectari poſſe, concreti autem expulſionem roborantibus medicinis tentandam eſſe. (Nos calculum ſeruamus ponderis vnciae dimidiae, ex auiculae veſica vrinaria, radicis ſaxifragae vſu, pluribus euporiſtis medicinis antea fruſtra tentatis, expulſum. Denique, puerperarum et infantum morbi pertractantur. Inprimis de miliari febre agitur.

Totus liber medicinam maxime mechanicam redolet, omnibus ad ſpaſmum illum reductis. Tota omnium morborum, quorum curatio exponitur, pathologia ſpaſmo, eidemque et morborum curatio ſuperſtructa eſt. Nec vllo modo plena et abſoluta haec tractatio dici poteſt, quum ob ſpaſmum, ad quem ſolum

ſolum Auctor reſpexit, omnes paene morborum cauſſae et curationes, quae ad ſpaſmum referri non poſſunt, omiſſae ſint. Teſtimonia Auctorum, inprimis FRIDERICI HOFFMANNI, allegata ſunt, eaque libri maximam fere partem efficiunt.

XIII.

Inflammationis therapia diſſertatione inaugurali Praeſide G. M. GATTENHOF, Phil. et Medicin. Doct. Therap. ſpecial. Botan. Mat. Med. Profeſſ. Publ. Ord. Reuerendiſſ. et Celſiſſ. Princ. Ep. Spir. nec non Seren. Principum Hohenlohe Waldenburgicorum Schillingsfürſt et Bartenſtein archiatro in antiquiſſima Palatinorum Academia propoſita *Andrea Iacobo Varnhagen*, Düſſelano menſe Aprilis MDCCLXXXI. Heidelbergae typis Ioannis Bapt. Wieſen, vniuerſitatis typographi, 4. pagg. 54.

Duabus diſſertationibus praemiſſis Cl. GATTENHOF *) haec ſuperſtruitur, concinno dictionis genere praecipua curandarum inflammationum momenta ex copioſa lectione optimorum ſcriptorum congeſta ſiſtens, ita quidem, vt primo indicationes generales ex conſiderata ipſius morbi indole petantur, nempe imminutio motuum in vniuerſum nimis auctorum, venae ſectione, remediis antiphlogiſticis, et cortice peruuiano praeſtanda; pacatio motuum in parte affecta, reprimentibus, quorſum pertinent faſciae ſpirales et extractum ſaturni, porro roborantia et adſtringentia alia, vel ex altera p. 4.

parte

*) Diſſ. quae inflammationis rationem exhibet, Reſpond. *Aegid. Odenthal*, 1773. et de inflammationis cauſis et euentibus, Reſp. *Io. Georg. Wend*, 1775. 4.

parte emollientibus, tandem et praecipue reuulſione per venae ſectionem, cucurbitulas ſiccas et cruentas, euacuantia, veſicatoria et rubefacientia, balnea denique tepida artuum: porro materiae inflammatoriae inhaerentis mitigatio ſeu ſubactio ſeu eliminatio, applicatione hirudinum, emollientium aut diſcutientium, ex quibus laudes fere primariae
p. 26. debentur camphorae, non tam ob vim turbas nervorum placandi, ſed potius materiam ipſam ſtagnantem et effuſam peculiari modo ſoluendi ac ſubigendi; item remediis internis, infuſis leniori-bus, antimonialibus, camphora, alcalinis volatilibus, non quidem ſolis, quorum vſum vix tutum ſatis dicere poſſis, ſed aceto ſaturatis: quarto denique neruorum pacatio, praeter ea, quae iam ſuperioribus indicationibus comprehenſa ſunt, obtinenda narcoticis, vt hyoſcyami externo vſu, et praecipue opio, in cuius commendatione, vt in reliquis iam adductis auxiliis, multus quidem ſuo iure eſt Cl. Auctor, ſed ſimul ſollicite explicat, quo rerum ſtatu iisdem vtendum ſit, quo abſtinendum.

p. 36. Iam vero indicationes ſpeciales a diuerſa inflammationis conditione petendas recenſet, prout nempe eadem vel a lentore phlogiſtico ſanguinis aut oritur, aut eundem comitem habet, vel ab acri tenui diſſoluente naſcitur, v. c. febres exanthematicae benignae aliaeque inflammatoriae mitiores; vel ex acri maligno, aut putrido, v. c. in febribus epidemicis aliisque inflammatoriis viſcerum, praeſertim abdominalium; vel ex ſimplici lentore phlogiſtico cum acri tenui bilioſo aut putrido coniuncto; vel denique ſi inflammatio neglecta diutius protrahitur, ideoque in morbos alios periculoſiſſimos ſaepius ac lethales tranſit, v. c. iſchuria inflammatoria ex inflammatione vrethrae in gonorrhoeam virulentam; vomicae, pulmonum indurationes, tuber-

tubercula et phthiſis ex peripneumonia, morbis exanthematicis cet. Tumorem abdominis, omento inhaerentem, lentae demum mortis cauſſam, ſaepius obſeruauit Cl. Auctor, nulli alii cauſſae origi- p. 38.
nem debentem niſi praegreſſae leuiori facileque neglectae febri, quam inflammatione omenti productam fuiſſe, quae ab induratione eiuſdem excepta ſit, ſectum aliquando cadauer hoc morbo exſtincti Noſtrum docuit. Verum his particularibus inflammationum ſpeciebus oppoſitam medendi methodum fuſius hic excerpere a breuitate noſtra alienum eſſe iudicamus, licet ea omnia Cl. Auctorem exacte omnino ſecundum optimos ſcriptores propoſuiſſe propriaque experientia confirmaſſe fateamur.

In ſubiunctis corollariis mentionem facit ſyn- p. 54.
chondrotomiae, quam demum arte vſuque in generis humani commoda perfectum iri ſperat, quum ipſa oſſium pubis a ſe inuicem ſeceſſio interdum ſola natura felici euentu fiat, quod ipſe in femina quadam fieri expertus eſt. Aliud corollarium hoc eſt, dignum nobis viſum, quod hic transſcribamus: „Mortis cauſſae, ſectionibus cadauerum ſcrutandae, non ita ſemper perſpicuae, praecipue in infantibus; ſed quae reperiuntur, toties ipſius mortis effectus, iudicium medici iudicisque dubium relinquunt, aut male inſtruunt: dantur eae, quae ipſos vitae fontes ipſamque intimam neruorum medullaeque ſubſtantiam deſtruant.„

XIV.

MICHAEL SARCONE *von den Kinderpocken und der Nothwendigkeit die Ausrottung derſelben zu verſuchen. Aus dem Italieniſchen mit Anmerkungen von* LEBER. FRID. BENJ. LENTIN. *Göttingen* 1782. 8. 560. *pagg.*

i. e.

De variolis et de neceſſitate earum exſtirpationem tentandi, auctore MICH. SARCONE, cum notis tranſtulit in Germanicam linguam LEBER. FR. BENJ. LENTIN.

Hoc inſigni, multifaria doctrina, firma ſtabilique ratione ac copioſa experientia conſcripto opere Illuſtris Auctor, ceu monumento, quod nulla aetas delere valeret, hiſtoriam propagationis varioloſi morbi, variorum illius generum, ſignorum, claſſium, transmutationum, caet. tali modo conſignauit, vt principium, progreſſus, fines et ſequelae morbi exacte cognoſci poſſent, vtque hic liber pro codice quodam haberi poſſit, in quo varioloſi morbi rationes legesque, rationi et experientiae maxime conſentaneae continerentur, ex quo vitae mortisque pericula recte aeſtimari, ſimulque medendi methodus generalis, generalioribus caſibus accommodata deriuari poſſet. Quantum autem tali libro opus ſit, iam ex inſigni opinionum circa varioloſi morbi indolem, quem alii pro putrido, pro inflammatorio alii, caet. habent, diuerſitate, ex erroribusque circa medendi methodum inde emanantibus perſpici poteſt.

p. 51. *De effectibus varioloſi morbi, de locis externis, quae a varioloſis puſtulis occupantur*, primum agitur, ſimulque totius morbi, ſecundum varia ſua genera, generalis idea traditur. Febris eruptionem exanthematum praecedentis, poſtea puſtularum, ac febris ab iis excitatae hiſtoria exacte traditur. Putrida febris, quae variolarum ſuppurationem ſequitur, partim a charactere ſingulari, quem venenum varioloſum corpori et humoribus imprimit, partim vero a corruptione a prima variolarum febre producta, a ſuppurationis vi, tranſpiratione per totum

totum morbi decurſum ſuppreſſa, mutationibusque corporis a prima febre pendentibus, neceſſariis producitur.

De modo, quo putredo varioloſa ſecundae eruptionis iudicatur, ac de damnis exanthematum ſine ordine, et nimia vi, prorumpentium vlterius agitur. Variolarum ob non rite purgatum corpus per primam efflorescentiam, nouam eruptionem a die 9 vſque ad 14 ſuccedere, hasque puſtulas ab humoribus infectis produci, qui a vi vitali deuicti in ſuperficiem propelluntur. Variolas inprimis confluentes, in quibus omnes excretiones praefocatae ſunt, et in quibus ignea materies interiora erodit, easque omnes periculoſiſſimas eſſe, in quibus omne venenum, vi quadam ſubitanea in cutem eiicitur. p. 74.

De perſpiratione, ceu via, per quam venenum varioloſum educitur, ac de aliis viis, per quas hoc venenum excerni ſolet. In capite exſpiratio varioloſi veneni maxima eſt, in ore autem, ob tenuem cutem, facilemque muſculorum ſubterſitorum motum, plurimae puſtulae ſcinduntur, earum autem, quae corpus et articulos occupant, exſpiratio tanta non eſt, vt miaſmati omnis in corpus reditus prohibeatur. Exſpirationis vero huius criticae vis tanta eſt, vt ſine ea ſalus aegri nullo paene modo exſpectari poſſit. p. 82.

Varioloſum autem venenum, quod perſpiratione non ceſſit, nobiliores corporis partes ſine vllo diſcrimine occupat, inprimis autem fauces, aut inteſtinalem tubum. Periculum, ſi fauces humor occupat, a nimia viſciditate, irritatione et gangraenoſa inflammatione pendet.

Per vrinam etiam veneni pars expellitur, cutisque intra flaccidas puſtulas ſita modo, quo rugoſa euaſit, etiam priſcas ſuas functiones, quae in euacuatione conſiſtunt, acquirit. In puſtulis ſenſim exſiccatis

ſiccatis obſcurum punctum conſpicuum eſt, idem, quod primum ſub pulicis morſus forma exanthema manifeſtauerat. Hoc varioloſum germen partes profunde penetrat, telam adipoſam ſubter cutem ſitam occupat et coni in modum partem maxime acutam in ſuperficie habet. Microſcopio examinatum in malignis variolis atmoſphaeram ſubnigram pariter gangraenoſam offert.

De retrograda variolarum putredine, et quanta ex criſium bonarum defectu in hoc morbo damna redundent. Modus, quo, rerum ſtatu tali exiſtente, oculi, pectus, caet. laeduntur, expenditur. *De variolis putridis, lymphaticis, quae veram ſuppurationem non ſubeunt.* Febris ſtatim putridae indolis eſt. Germen varioloſum ſtatim nigreſcit, partes ſibi adiacentes inficit, et nigrum quaſi vmbilicum ſibi format, vt inde et has variolas *vmbilicatas* medici dixerint. In cryſtallinis variolis materies facillime in nobiliores partes fertur, in iisque maior, quam in omnibus aliis variolarum ſpeciebus, exhalatio eſt. Putridae feroſae variolae imperfecte tantum ſuppurantur, et cum febre pariter putrida pituitoſa coniunctae ſunt. Salus in iis a ſalivatione pendet, quam alui fluxus et articulorum tumor hoc modo excipit, vt mira rectoque ordine ſuccedens harum excretionum viciſſitudo ſit. Subinde et hae variolae cum febre frigida, lenta, inflammationis experte coniunctae ſunt. Putredo in hoc caſu ſumma et irritabilitas maxime imminuta eſt.

p. 147. *Sanioſae variolae* febrem putridam malignam comitem habent, et gangraena aut partium ſolidarum eroſione terminantur. In his periculum iam primo morbi tempore ingens eſt. Nec putridae eryſipelatoſae variolae vere ſuppurantur, aliaeque putridae, cum petechiis et ardente febre coniunctae,

Vario-

Variolarum colliquatiuarum, earumque, quae cum vibicibus ex coeruleo-nigris, petechiis et ſcorbuti ſymptomatibus coniunctae apparent, nec non verrucoſarum, calloſarum, ſiccarum gangraenoſarum hiſtoria traditur. Morbi inprimis has variolas excipientes diriſſimi ſunt. Tandem de ſpuriis variolis agitur, quae ab eodem varioloſo veneno, verum maxime attenuato, producuntur, et quid aeris qualitas ad indolem variolarum conferat, expenditur. p. 178.

De contagio, variisque modis, quibus propagatur, altera ſectione agitur. Omne contagioſum in humoribus ex infecto corpore emanantibus ſitum eſt. Putridi contagii primus effectus cohaeſionis imminutio et virium cohaeſioni contrariarum augmentum eſt. Omnis putredo contagioſa eſt, eaque humores hoc modo mutat, vt volatiles fiant hocque modo morbum aliis communicent. Varioloſum contagium ad putridam indolem accedit, maximamque in aëre putredini fauente vim acquirit. Characterem autem ſuum hoc venenum tam conſtanter ſeruat, vt neque certe dici poſſit, quodnam tempus requiratur ad id exſtinguendum, neque ii a vero abſint, qui hoc venenum aëris et ventorum ope hoc modo diuidi diſpergique poſſe aſſerant, vt illius ope in diſſitas regiones propagari poſſit. Num varioloſum aliaque contagia animata ſint? p. 212.

Nunc in morbi hiſtoriam ab antiquiſſimis temporibus diligentiſſime inquiritur, hoc modo, vt Noſter primum inquirat, num ex *variolarum* voce aliquid ad morbi antiquitatem illuſtrandam deduci poſſit? Variolarum nomen *Marius Auenticenſis* primum adhibuit, morbo tamen his temporibus et alia nomina data ſunt. Veteribus Graecis Latinisque variolas plane incognitas fuiſſe, easque morbum in Aegypto endemium non conſtituiſſe, ne- p. 316.

que in Arabum aut Aethiopum terris ortas esse, vberrime probatur.

Epidemia a *Mario Auenticensi* memorata, de qua tamen dubium est, num varioloſa fuerit, excepta, IX ſaeculo variolae in Italia epidemice graſſatae ſunt. In Sinenſium et Iapanenſium terris iam priſcis temporibus ſaeuierunt. Eas ex Africa in Europam translatas esse Cl. Auctori maxime probabile est.

p. 396. Qua ratione variolae ad varias nationes tranſierint, vlterius inquiritur. Probabile est, variolas ab Africanis Indiae incolis, ab iisque Iapanenſibus, Sinenſibus, et ab iisdem Indiae incolis Arabibus, qui cum iis priſcis temporibus inſigne commercium aluerunt, communicatas esse.

Certas autem regiones variolae ſero peruaſerunt, gentesque ab iis immunes manſerunt, quum earum contagium iam alias gentes peruaſiſſet. In Americam ab Europaeis translatae ſunt, tam certo contagio, vt, vbi gentes ſemel inuaſerit, nullo modo deleri queat.

p. 426. Varia nunc ſyſtemata exponuntur, ad variolarum naturam rationesque explicandas excogitata. Varioloſum fomitem cum hominibus naſci primum ſyſtema fuit. Deſpumationem corporis varioloſum morbum esse, adeoque ſalutarem, alii, verum falſo, putarunt, neque euolutionis ſyſtema, ab HAHNIO excogitatum, tale est, vt nullis dubiis infirmari queat. (*Hofmannianae* theoriae controverſiarumque ab UNZERO, V. Cl. aliisque circa eam motarum, nulla nec ab Editore V. Cl. mentio iniicitur.) Germen autem varioloſum in corpore humano, omnibus commune exiſtere Cl. Auctor non putat, quum fidis obſeruationibus conſtet, homines bis variolis laboraſſe, cauſſae tamen, quae efficiunt, vt homines *vtplurimum* ſemel tantum variolis

riolis corripiantur, nobis adhuc incognitae ſunt; in neruis tamen mutationem quandam produci maxime veroſimile eſt.

Variolas ſemper epidemicas eſſe, ſuo contagio ſemper propagari, in originibus autem ſuis nunquam epidemicas eſſe, verum vitio *ſocialis oeconomiae* tales euadere, vlterius probatur, rationesque, quare in magnis vrbibus locisque, quae ingens cum aliis commercium alunt, varioloſus morbus omnibus paene annis ſaeuiat, facile perſpici poſſunt. Sui generis peſtem variolas conſtituere, ex epidemiis varioloſis ſaeculi XVI. XVII. et XVIII. probatur. Mortem malignae variolae tam frequenter inferunt, vt ex 100 aegris vix 60 euaſiſſe Noſter viderit, adeoque certum eſt, rei publicae ex hoc morbo, ob inſignem ciuium iacturam, inſigne detrimentum afferri. p. 467.

Quae autem quum ita ſint, multum vtique intereſt, vt dirus hic morbus penitus exſtinguatur. Ad eius contagium autem vitandum medici duas vias excogitarunt, alteram, qua ſpecificorum medicamentorum ope veneni in corpus illati vis ſtatim eneruatur, alteram autem, qua omne cum infectis, aut ſuſpectis commercium praecluditur. Quae ipſe Cl. Auctor ad contagium hoc exſtinguendum proponit, eo redeunt, vt ſanorum cum infectis commercium penitus praecludatur; verum haec pia vota ſunt, quum, ſi efficaci modo omnia a Cl° Auctore propoſita exercere vellemus, mutuus quidam amicusque omnium, qui in Europa aliisque terris hoc morbo infectis, quae cum Europaeis commercium alunt, publicae rei praeſunt, concurſus requiratur. p. 521.

XV.

CARL IOSEPH DAMILANO *Abhandlung über den Frieſel im Piemonteſiſchen, aus dem Italieniſchen überſetzt von* LEBER. FR. BENJ. LENTIN. *Göttingen.* 1782. *in* 8. 168. *pagg.*

i. e.

De febre miliari in terris pedemontanis diſſertatio, auctore CAR. IOS. DAMILANO, ex Ital. tranſtulit LEBER. FR. BENJ. LENTIN.

Miliaris febris, quae ab anno inde 1711. in terris Pedemontanis graſſata eſt, tam frequenter homines in his terris corripit, vt pro frequentiſſimo morbo merito haberi poſſit, nec delicatulis ſolum, aut puerperis, verum omnibus, nulla aetate excepta, perquam familiari. Ex obſeruatis circa hunc morbum, quae in hoc libro continentur, praecipua haec ſunt:

p. 4. Purpurae in albam et rubram diuiſio inutilis plane eſt. (nos tamen ſubinde febrem miliarem vidimus rubris plane exanthematibus et cute maxime inflammata conſpicuam, qui morbus et decurſu breuior, et benignior febre miliari alba fuit.) Sudoris efflorescentiam miliarem praecedentis odor ſubacidus et talis eſt, qualem acetum corruptum exhalat. Pectus aegris anguſtum eſt; de tuſſi tamen et ſputis exanthematum eruptionem praecedentibus Auctor non loquitur. — Febris continua remittens eſt; ſubinde et intermittens. Vidit et Auctor miliaria exanthemata acuta absque omni febre. — Mortis certiſſimum indicium eſt, ſi aegri rigidi et immobiles fiunt, et animo ſine cauſſa manifeſta deficiunt.

De aliis morbis, quos febris miliaris ſimulat. Vidit Noſter icterum lentamque febrem cum iſchiadico

dico dolore miliari exanthemate ſolutum eſſe. Complicatus morbus ſymptomata morbo propria ſemper prae ſe fert.

Cap. II. *de proxima febris miliaris cauſſa.* Ea p. 19. ex Noſtri ſententia „in miaſmate putrido, corroſi„vo, aut maligno vapore, aut potius ſubtiliſſimo et „maxime corroſiuo humore ſita eſt, fermentationis „et caloris ope ex putridis corruptisque humori„bus, bile inprimis, generato.„ Vidit Noſter in puero, qui veſicam vrinariam bouis lue defuncti ore inflauerat, carbunculos totum os peſſime dehoneſtantes.

Cap. III. *de differentia intra criticam et ſymptomaticam purpuram.* Criticam purpuram vtique exiſtere; ſymptomaticam vero ſaepius. Symptomatice inprimis in lethiferis febribus oriri.

Cap. IV. *de methodo medendi morbo.* Indicatio- p. 40. nes eo redeunt, vt in initio ſtatim pars materiae morbidae in primis viis haerentis eliminetur, ea, quae naturae in praeparanda materia morbida obſtant, remoueantur; colatoria corporis, inprimis cutanea, ad ſuſcipiendam et educendam materiam morbidam praeparentur ac criſes denique promoueantur. Mortis periculum inde praeſertim pendet, quod coctio materiae morbidae non ſufficiens aut nulla plane praeceſſerit. Hinc omnes ii moriuntur, in quibus exanthemata in initio morbi ſtatim erumpunt; hinc et medicus omni, qua poteſt, opera cauere debet, ne exanthemata nimis cito, et nimia vi prorumpant. Conuulſiones, dirum illud, et tam lethiferum ſymptoma, paene ſemper ab accelerata per artem effloreſcentiarum eruptione pendent. Eam ob cauſſam frigidum, ſubfrigidum ſaltim regimen eſſe debet, et iam ſudore effloreſcentias proxime praenunciante praeſente, aegris acida vegetabilia, aluum lente ducentia, nitroſa, potus-

que ſubfrigidi, demulcentes dandi ſunt. Diaphoretica, vt in plurimis acutis morbis, ita in hoc inprimis maxime damnoſa ſunt.

p. 103. Cap. VI. *de medicinis ſpeciatim* agitur. Noſter largas venaeſectiones, easque repetitas, vt inflammatio arceatur, inſtituere, et ſudore iam praeſente, ſi febris vrget, ſanguinem mittere iubet. Simul aegris herbarum alterantium ſucci porrigendi ſunt. Purgantium leniter medicinarum ope ſudor tam diu cohibendus eſt, donec materiei coctio quaedam praeceſſerit; maturam autem eam eſſe ex omnium ſymptomatum remiſſione intelligitur. Sudores vſque ad puſtularum exſiccationem et deſquamationem blandis medicinis promouere expedit. — Vitrioli acidum aliaque fortiora ob irritationem, quam producunt, noxia ſunt. Fotus emollientes vniuerſales, conuulſionibus praeſentibus maxime conducunt, quod et Cl. Editor, propria obſeruatione, confirmat.

Aër cubiculorum puriſſimus, frigidus eſſe debet; omnis, inprimis lectulorum calor peſſime nocet. Exſpiratio tamen eo in morbi ſtadio, in quo efflorescentiae erumpunt, aëre potuque paululum calidioribus promouenda eſt. In difficili eruptione fotus, vaporum balnea, etc. maxime conueniunt. Diarrhoea ſymptomatica opio cohibenda eſt. Abſceſſus per materiam, morbido nondum cocto, ſemper periculum indicant. In toto morbi decurſu aegri plus bibere debent, quam ſitis requirit. Veſicatoria et ſinapiſmi in morbi initio, in delicatulis inprimis, plus nocent, quam proſunt, et critica efflorescentiarum eruptione durante maxime noxia ſunt; vbi autem materia in loco quodam praeternaturalem in modum accumulata eſt, et tenacitate peccat, vtiliter adhibentur. Nec ſcarificare hos aegros expedit. Peruuianum corticem aegis Noſter

ſter hoc morbo laborantibus nunquam praeſcripſit.

Cap. VIII. *Quatenus miliaris morbus ab aliis exanthematicis differat.* Singulare morbi genus ex Noſtri ſententia conſtituit. p. 159.

Tandem de morbis miliarem febrem excipientibus breuiter agitur.

XVI.

Obſervations on the nature, kinds, cauſes and prevention of inſanity, lunacy, or Madneſs, by TH. ARNOLD. Vol. I. containing obſervations on the nature and various kinds of inſanity. a Leiceſter. 1782. in 8. p. 324.*)

i. e.

De inſaniae natura, ſpeciebus, cauſis et praeſervatione obſeruationes, Auctore TH. ARNOLD.

Hoc libro ad melius cognoſcendos curandosque animi morbos nouum eorum ſyſtema Auctor condidit, ſymptomatibus huic morborum generi communibus praecipuis accommodatum. Neque dubium eſt fore, vt hoc ſyſtema vtilitatem quandam in his morbis profligandis occupatis afferat, quum in his morbis moralis eorum cauſſa, aut ſingularis iſta idearum directio a phyſica cauſſa producta maximam ſcenam ludat.

Primum de his agitur, quae hactenus in hac medicinae parte, quae mente captos concernit, praeſtita ſint. Parum in hâc arte praeſtitum eſſe, eaque, quae veteribus circa hos morbos cognita fuere, deperdita eſſe. p. 3.

Num

*) Idem liber et germanice prodiit, editore IO. CHR. GOTTL. ACKERMANNO, titulo: *Beobachtungen über die Natur, Arten, Urſachen und Verhütung des Wahnſinns oder der Tollheit. — Leipzig bey Jacobäer* 1784. *in* 8. 256. *S.*

Num inſania in Anglia frequentior, quam in aliis terris ſit, inquiritur. De Gallorum rara inſania inprimis agitur. Eam iis hanc ob cauſſam raram eſſe, quod animo non tam vehementer afficiantur, commercium iis non tam amplum, quam Anglis, ſit, iique ob rerum inopiam luxuriae non tam valde dediti ſint.

p. 29. De inſaniae definitione ordinibusque prolixe agitur. Expoſitis auctorum plurimorum opinionibus, Noſter nouum ſuum ſyſtema, principiis humanae cognitionis, *ſenſationi* et *ratiocinationi*, ſuperſtruit. Quae animam occupant, obiecta duplicia eſſe debent, obiecta videlicet *ſenſationis*, et *ratiocinationis*. Obiectorum ſenſationis in anima repraeſentationes *ideas* aut imagines, obiectorum e contra *ratiocinationis* repraeſentationes *notiones* efficiunt. His ex *Lockio*, *Hartleyo*, aliisque philoſophis deſumtis duo deliriorum genera ſuperſtruuntur, *delirii* videlicet *circa ideas*, et *delirii circa notiones*. Prima ſpecies febribus et diuturno delirio communis, altera vero diuturnae tantum inſaniae propria eſt.

Inſania circa ideas, ſiue, vt Noſter loqui ſolet, *idealis inſania*, talis animi ſtatus eſt, in quo homines perſonas aliaue obiecta conſpicere, aut alio modo percipere putant, quae aut plane non, aut alio ſaltim modo exiſtunt.

Inſania circa notiones autem talis animi ſtatus eſt, in quo homines externa obiecta tali quidem modo percipiunt, quali exiſtunt, verum circa alia his obiectis communia, quae ad vires, proprietates obiectorum, caet. pertinent, errant.

Hae inſaniae ſpecies aut cum moerore, aut cum audacia coniunctae eſſe poſſunt. Sique in prima et memoria deficit, *fatuitas* oritur.

p. 125. Speciebus inſaniae generali tabula expoſitis, *inſaniae circa ideas* ſpecies Noſter pertractat. Primam

mam *phrenitica insania* constituit, vbi aegri indesinenter, aut datis tantum raris raroque lucidis tranquillis interuallis, aut circa vnicum, aut circa varia obiecta insaniunt. Phreniticam eam hanc ob caussam Noster appellauit, quod hoc delirium ei, quod phrenitidi commune est, proxime accedat.

Alteram speciem *incohaerens insania* (incoherent) constituit. Characteristica eius symptomata ideae non cohaerentes sunt, a peruersa imaginatione memoriaque productae. Varietates haec species multas habet, amentiaque et morosis *Sauvagesii* ei adscribendae sunt.

Tertia species *maniaca insania* est, quae dominium suum in omnes ideas exercet, et omnem possibilem idearum combinationem comprehendit.

Sensitiua insania vltimam speciem efficit, in qua aegri circa suam personam delirant.

Alterum insaniae genus, vt iam dictum est, in- p. 172.
sania circa notiones efficit. Eius species hae sunt:

1) *insania delusiua*, vbi aegri, sana caeterum mente existente, circa quaedam tantum obiecta vehementer delirant. Huius varietates hae sunt, vt mox maniaca, mox vero sensitiua sit.
2) *Insania*, in qua *imaginationis* vis maxime actiua est.
3) *Insania*, in qua aegri varia *inepta* sibi fingunt.
4) *Insania impulsiua*, in qua aegri, impulsu quodam acti, inepta agunt, proferunt.
5) *Insania*, in qua aegri impossibilia sibi talia fingunt, vt ab ipsis peragi possint.
6) *Insania arrogans*, dignitatem quandam sibi tribuens.
7) *Insania hypochondriaca*, in qua aegri continuo, ob aduersam valetudinem, angore affecti sunt. Ea cum morbo hypochondriaco non semper coniuncta est.

8) *In-*

8) *Insania pathetica*, vbi animi quidam affectus mentem excruciat:

Eius varietates plurimae sunt.

a) insania cum amore, b) zelotypia, c) auaritia, d) hominum odio, e) arrogantia, f) iracundia, g) auersione, h) suspicione, i) pudore, k) timore, l) curis anxiis, m) tristitia, n) nostalgia, o) superstitione, p) enthusiasmo, q) desperatione.

9) *Insania appetitiua*, in qua aegri sine omni modestia et decore omnia concupiscunt.

Omnes hae species exemplis plurimis subinde sat notabilibus illustratae sunt; inprimis autem octavae speciei expositio nobis placuit. Tandem quaedam de harum specierum complicationibus annexa sunt.

XVII.

Mémoire chemique et médicinale sur la nature, les usages et les effets de l'air et des aëirs, des alimens et des medicamens, relativement a l'économie animale; Ouvrage qui a remporté le prix double, proposé par l' Academie des sciences, inscriptions, et belles-lettres de Toulouse pour l' année 1778. par M. THOUVENEL, médecin de la Faculté de Montpellier, aggrége a la société royale de médecine de Paris et au College royal des médecins de Nancy, Intendant des eaux minérales de Contrexeville en Lorraine. A Paris de l' imprimerie de Ph. D. Pierres, imprimeur ordinaire du Roi; et se trouve chez Didot le jeune, libraire, quai des Augustins. MDCCLXXX. 4. pagg. 60.*) h. e.

*) *Herrn* THOUVENELS, *Arztes der Facultät zu Montpellier,*

h. e.

Tractatio chemico-medica de natura, vtilitate atque efficacia aëris, eiuſque ſpeciebus, vt alimenta et medicamenta in corpore animali etc.

Opuſculum hoc primas tantum lineas longe maioris continet voluminis. Antequam Auctor vim aëris atque efficaciam in corpus animale declarat, vnice in eo elaborat et iure meritoque, vt inprimis quarundam aëris ſpecierum primas partes oſtendat. Partis prioris ſectio prima comple- p. 6.
ctitur analyſin aëris atmoſphaerici. Vſus eſt THOUVENEL ad inueſtigandam aëris atmoſphaerici puritatem aëre nitroſo, cuius permagna principii inflammabilis, hoc in aëre contenti copia, vt notum eſt, aliae aëris ſpecies principio hoc inflammabili minus plenae, plus minusue minuuntur. Aërem atmoſphaericum minui ad $\frac{1}{4}$, dephlogiſticatum autem ad $\frac{7}{8}$, experimentis edoctus eſt ſuis, ex quo apparet hunc aërem impraegnatum eſſe tribus partibus aëris inflammabilis, et vna dephlogiſticati, atque adeo, poſteriorem eſſe ad priorem vt 4 : 1. Quodſi vero diuerſae terrae ſpecies ſub vaſe

ſic

pellier, Adjuncts der königl. mediciniſchen Geſellſchaft zu Paris und des mediciniſchen Kollegiums zu Nancy, Aufſehers der Geſundbrunnen zu Kontrexeville in Lothringen, Abhandlung von der Beſchaffenheit, dem Nutzen und den Wirkungen der Luft und Luftarten, als Nahrungs- und Heilmitteln für den thieriſchen Körper, eine von der Akademie der Wiſſenſchaften, Inſchriften und freyen Künſte im Jahr 1778. *mit dem doppelten Preiſe gekrönte Preisſchrift. Aus dem Franzöſiſchen überſezt von* EMANVEL GOTTLIEB QVANT, *nebſt einer Vorrede des Herrn Hofraths* GRVNER. *Jena, im Verlage der Kunoiſchen Handlung.* 1782. 8. *Seitt.* 147.

ſic dicto recipiente, aëreque communi vacuo ſpiritus vini adiumento ſpeculique vrentis tractantur eouſque, dum hae duae ſubſtantiae euaneſcant plane, recipimus aërem ad inſpirandum idoneum. Quod quidem experimentum admodum ſpecioſum multum conferre videtur ad ſtabiliendam partium aëris eſſentialium hypotheſin nouam. In quibus experimentis inſtituendis perſuaſit ſibi Auctor ſolui acidum nitroſum, hacque ſolutione aërem ad inſpirandum oriri aptum. Hoc magis confirmauit id, cum ex variis aëris ſpeciebus, vbi ne minima quidem acidi cuiusdam eluceret ſuſpicio, acidum
p. 10. nitroſum eliceret. Sectio ſecunda enarrat aëris fixi analyſin. Refutat hic THOUVENEL non tantum ſententias eorum, qui hunc aërem eſſe dicunt partem eſſentialem atmoſphaerici, immo vero monſtrat, aquae calcis praecipitationem et alcali cauſtici edulcorationem in aëre atmoſphaerico nequaquam teſtari praeſentiam aëris fixi. Etenim cum aër dephlogiſticatus ſolus nihil in has ſubſtantias cauſticas efficere videatur, ſequi potius ex eo arbitratur id, quod hoc inflammabile in aëre atmoſphaerico praeſens ad coniunctionem aëris cum his ſubſtantiis, quo virtutes recuperet ſuas, maxime neceſſarium ſit. Vnde et nos credimus, quamquam multitudo eorum, qui tales hypotheſes aëreas foueant, inſignis eſt, minorem maioremue omnium ab aëre dephlogiſticato diuerſarum ſpecierum puritatem, originem ſuam ducere a minore vel maiore volatiliſatione earum partium, quibuscum ante deſtructionem ſuam intime mixtus erat.
p. 16. Sectio tertia proponit diſquiſitionem vis atque efficaciae aëris atmoſphaerici in corpus animale, nec non ſpecies eum hoc aëre coniunctas. Deſcriptionem ſiue diuiſionem vis ac efficaciae dat caput tertium; primum refert aërem, vt alimentum: ſecundum,

dum, vt venenum: tertium, vt medicamentum. Exponit deinde Auctor aëris vſum medicum, chemicum, pharmaceuticum et diaeteticum. Principium ſanguinis tingens, quod ex atmoſphaera duci, initium ſuum aëri et fluiditati cuidam electricae deberi credit, quodque inter inſpirandum haurimus, atque maximum caloris in animali praeſentis nutrimentum eſt, hancque virtutem habet colorem animalem et vitam ſuſtinere, inſignit nomine electrico Gas (*Gas éthéreo-électrique*). In capite ter- p. 28.
tio, vbi efficacia aëris ſpecierum, tanquam alimenta proponuntur, ad hanc quoque aëris fixi vim accedit Auctor, quae calculos deſtruit. Quam quidem virtutem huic aëri denegare videtur, et potius credere hoc remedium contra calculum nouum conſiderari debere pro eo, quod multorum aliorum locum ſufficiat. Nequaquam autem nobis perſuadere poſſumus, vires remediorum fixorum alcalinorum calculum deſtruentes ſententia Auctoris in aëris fixi, qui lapidi inſit, apſorbtione ſola conſtare; immo vero certum eſſe putamus, has vires in diſſolutione oleoſa-glutinoſi vinculi, quod concretiones has in viis vrinariis efficit, conſiſtere, quo ſeparatio partium ſimilium ſequitur, quae hac ſeiunctione ad eiiciendum redduntur aptiores.

Pars ſecunda tractat alimenta et medicamenta p. 37.
in genere. Conqueritur THOUVENEL de innumera medicamentorum copia, eorum diſtributione diſſoluta, de naturali et artificioſo pharmaciae augmento nimio. Maxime omnino optandum eſſet, vt aliquando reformatio pharmacopoearum fieret. Quam egregie de ſalute hominum medicus ſapiens etiam in ſuo tantum circulo, meritus eſſet, ſi farraginem medicamentorum peregrinorum maxime pretioſorum, quae per ſua itinera longiſſima vim amiſerunt omnem atque efficaciam, quaeque ciui

inopi propter pecuniae penuriam nullum afferunt auxilium, condemnaret, eorumque loco inquilina, minus pretiosa magisque efficacia substitueret. Graviter autem dolendum est huic instituto maxime laudabili repugnare ignorantiam ex eaque superstitionem quandam ortam veterum medicorum plurimorum partim, partim intolerantiam atque
p. 40. cupiditatem iuniorum. Sectio prima persequitur medicamenta in genere. Num vero certum atque exploratum habeamus, limites, ad quos chemici in suis disquisitionibus pharmaceuticis consistere coguntur, nihil nisi nudam materiem ostendere mortuam ita, vt nunquam certiores redderemur de vi atque efficacia huius illiusue medicamenti disquisiti, Auctorem nisi in omnibus, certe tamen
p. 47. in plurimis rebus affirmare perquam vexaret. Sectio secunda, quae de alimentis in genere loquitur nec tamen noui quidquam profert, finem huius opusculi lectu dignissimi facit.

XVIII.

Anleitung zum Aderlassen für geübte und angehende Wundärzte von D. I. I. H. BÜCKING. *Stendal bey Dan. Christ. Franzen und Grosse.* 1781. *mit* 2 *Kupfertafeln. pll.* 131. *ohne Dedication und Vorbericht.*

i. e.

Institutio ad venaesectionem, in vsum Chirurgorum exercitatorum, et tironum, auctore D. I. I. H. BÜCKING.

Patris, qui iam de hac re scripsit, exemplo incitatus Cl. huius libelli Auctor in eo ita differit, vt licet plura addi, et nonnulla aptius dici potuerint, tironibus et illis exercitatis Chirurgis, qui quasi

quaſi mechanice tantum agunt, omni ex parte
commendandus ſit. Tribus ſectionibus rem ab-
ſoluit, in quarum prima, ea quae ante operationem,
altera, quae in ipſa, et tertia, quae poſt eam per-
agenda ſint cum ab aegro, tum a Chirurgo, expo-
nuntur.

In prima attendi meretur, faſciam, qua vena p. 2.
recta ligatur, duas vlnas cum dimidia longam, duos-
que digitos latam, optimam eſſe; et inſtrumentum, p. 9.
elatere inſtructum, cuius ſingulae partes, quoad ſua
commoda et incommoda fuſius explicantur, et in
tabula prima depictae ſunt, omnibus aliis praeſtare.
Quum chalybea illa particula, quae baſi ſulci vel p. 11.
inciſurae, per quam ferramentum cum elatere ſuo
deſcendit, et in quam tota vis elateris cadit, ori-
chalco, vtique argento duriori, impoſita eſt, ſuffi-
cienter nondum reſiſtere queat, ea ex parte inſtru-
mentum hoc aliqua correctione adhuc indigere,
putat. Ad ferramentum in ſcrinio firmandum
epitonium poſtulat, quo elatere illi impoſito (*Auflie-* p. 12.
gefeder) non opus ſit; ſimul autem foraminum p. 21.
huic epitonio inſeruientium duo vel tria requirit, p. 11.
duo variae longitudinis ferramenta adhiberi
queant. Serpentiformem elaterem, eodem iure p. 13.
teretem vocandum, tortili praefert; in venis ta- p. 44.
men, oſſibus, tendinibus et vaſis propius adia-
centibus, velut pedis, ſecandis, elaterem non adeo
artem, ferramentumque globoſum et paruum, in
minori ſcrinio contentum adhibendum eſſe iubet.
Ne elater digitis adducatur, commendat ſcalpellum p. 13.
manue obtuſum, ad epitonii firmationem et relaxa-
tionem ſimul applicandum Tab. I. fig. 8. depictum.
aptius eſſe cenſet, ſi elateris finis retrorſum, quam
dextrorſum flexus ſit; ſic et, ſi eminentia lami- p. 20.
nae fundamentalis, callis nomen habens, cum hac

p. 21. fusa sit. Hamulo elaterem pressioris tensum te-
nente non nimis longo, plane abesse posse epito-
p. 22. nium pressoris; prorsus autem inutiles esse partes:
elaterem attollentem (*Hebefeder*) ferramentum
p. 29. coecum, et furcam, luculenter docet. Iubet, vt
spongia in capsa argentea, vel stannea retineatur,
p. 31. quae simul sanguini metiendo inseruire possit. In
sectione secunda de venarum, instrumentorumque
variorum illarum sectioni aptorum selectu egregie
p. 45. differit. In grauidis, quarum pedes oedematosi sa-
phaenae ramum super pollicem decurrentem com-
mendat. Venae brachii et pedis secandae tabula se-
p. 77. cunda depictae sunt. Ex insolitis venaesectionibus
tantum illam frontalis, raninarum, et iugularis de-
p. 92. scripsit. In tertia sectione de ecchymosi, a sugillatione
p. 102. rite distincta; dilatatione venarum, cum BILGVERO
p. 105. hernia venarum dicta, nec metuenda; laesione ossis,
p. 108. non adeo infrequenti; vulneratione tendinum,
non adeo periculosa, exposita omnino legi meren-
p. 113. tur. In laesione neruorum fasciam leuiorem fasciae
p. 118. magnae circulari praefert. Illam in arteriarum
laesione adhibendam accurate describit, et de sym-
ptomatis, hanc laesionem sequentibus, breuiter
p. 124. quidem, sed bene differit. Tandem lymphatico-
p. 126. rum vasorum laesionis mentionem facit, et, quae
Chirurgo scitu digna sunt, breuiter docet.

XIX.

D. CHRIST. GOTTFR. GRVNERS, *Sr. Herzogl. Durchl. von Sachsen-Weimar und Eisenach Hofrathes, der Kräuterkunde und theoretischen Arzneywissenschaft bey der hohen Schule zu Jena öffentl. ordentl. Lehrers, Anleitung Arzneyen zu verschreiben zum Gebrauch akademischer Vor-*

sunge

*) vid

ſungen. Heidelberg und Leipzig bey den Gebrüdern Pfähler 1782. 8. 327. *Seiten.*

i. e.

Via et ratio formulas medicas conſcribendi in vſum praelectionum academicarum, auctore CHRIST. GODOFRED. GRVNER.

Non eget commendatione noſtra libellus, arti formulas medicas conſcribendi dicatus, quippe ſatis notus et a nobis ſuo tempore *) cum laude commemoratus. Habent ergo ii, qui latinam linguam non ſatis callent, hic eundem germanica veſte indutum, nuſpiam mutatum, nequaquam ditatum, niſi praefatione quadam, quae magis ad Cl. GRVNERVM, quam interpretem, pertinet. Dolendum id vnice, datam et ſuſceptam eſſe hanc verſionem, inſcio et inuito auctore, quia ſic potuiſſent varia hinc inde addi vel demi. Speramus tamen, fore, vt Cl. GRVNER ipſe, quam molitur, nouam vtiliſſimi libelli editionem cum lectoribus diſcendi cupidis breui communicet.

XX.

Tractatus pathologicus de catalepſi, auctore GOTTLIEB LEBERECHT FABRI, M. D. et Societ. Nat. Scrutat. Hall. Soc. Halae ap. Io. Iacob. Gebauerum. 1780. 8. 96. pagg.

Scripſit Cl. Auctor hoc opuſculum pro ſummis in medicina honoribus conſequendis, inque eo conficiendo tam praeclare verſatus eſt, vt omnem bonorum plauſum mereatur.

Continentur vero Cap. I. *ſymptomata iisque ſuperſtructa vera catalepſeos notio.* Rarus morbus eſt p. 9.

*) vid. comm. noſtr. Vol. XXIII. p. 265 ſqq.

p. 12. catalepſis, rarius bene obſeruatus. Plura praece-
dunt ſymptomata quidem, ſed ea fere eadem, quae
aliorum morborum, et non niſi inſtantem acceſſio-
p. 14. nem praenunciant. Cataleptici retinent ſitum,
quem ante habebant, quam malum ingrueret, et
p. 21. hinc mira eorum varietas. Partes ſunt immotae,
nequaquam immobiles, functiones animales cito
p. 23. vel ſenſim redeunt, nonnunquam febriles morbi
ſuperaccedunt, idque huic morbo vere proprium
eſt, vt phaenomena eſſentialia ſtato tempore red-
eant, i. e. catalepſis paroxyſmos formet. Quae vt
p. 24. vberius illuſtret Cl. Auctor, ſubiecit quasdam hiſto-
rias morbi, ſumtas ex FERNELIO, FEHRIO, BAU-
MERO, REYNELLO cet vnde vera eius notio pateat,
p. 36. Ex quibus concludit Cl. Auctor, catalepſin eſſe ſo-
riationem functionum animalium cum cerea cor-
poris flexilitate, eamque multis percenſet ac expli-
p. 40. cat, SCHRAFFIUM et BAUMERUM, qui neruos ait
hoc in morbo relaxari, redarguit, HAENIUM laudat,
et functiones vitales plerumque debiliores fieri
contendit.

p. 45. In Cap. II. docentur *differentiae catalepſeos eſſentiales et accidentales*. Confunditur fere catalepſis
p. 46. cum ſpaſmis, ſed differt a tetano cerea iſta mem-
p. 48. brorum flexibilitate, ab ecſtaſi ſenſuum, ideoque
p. 53. et phantaſiae feriatione, a ſtupore impreſſione nul-
la, ab apoplexia eadem, quam memorandam duxi-
p. 59. mus, flexibilitate. Quae vero ſymptomata quia
non ſunt ſemper eodem gradu eademque vehe-
mentia, recte diuiditur catalepſis *in completam et incompletam*, quae quidem in eo a ſe diſſentiunt,
p. 60. quod vna alteraue functionum animalium vel
omnino non, vel minus, quam in completa, laeſa
ſit. Id quod vberius docet Cl. Auctor hiſtoriis,
quas paſſim obſeruatores referunt, SCHRAFFIVS,
p. 65. HAENIVS rel. Porro quaerit Cl. FABRI, vtrum
dicenda

dicenda ſit catalepſis *vniuerſalis et particularis.* Narrant talia exempla CHRISTOPH. WEBER, LA METTRIE et SYLVIVS, ſed particularem dari, negat Auctor noſter, cui magis placet diuiſio *in prima-* p. 69.
riam et ſecundariam, idiopathicam et ſympathicam, in puram et mixtam, et haec fere frequentior occurrit, item *in benignam et malignam*, at vero *ratione* p. 75.
curſus in acutam ſ. breuem et chronicam. p. 79.

Caput tertium *de cauſis catalepſeos* inſcribitur. p. 82.
Maſcule defendit Noſter cauſae proximae vim et auctoritatem contra Cl. STARKE, qui nuper eam relegatam, iure, neſcio, quo voluerat, eamque in catalepſi non eſſe ſpiritum congelatum, non dene- p. 84.
gatum liquoris neruei aditum, non preſſuram nervorum motui dicatorum, non lentorem nobiliſſimi ſucci, vt Cl. PESSAULT DE LA TOUR veluti per p. 86.
ſomnia vidit. *Cauſae remotae* ſunt amor, ira- p. 87.
cundia, terror, meditatio profunda, vnde forte SOCRATES fuit catalepticus, debilitas neruoſi ſy- p. 93.
ſtematis, vitia primarum viarum et ſanguinis, et externa valida irritamenta, inprimis frigus. — Hactenus Auctor noſter, qui ſi prognoſin et curationem catalepſeos adieciſſet, haberemus perfectum de mirabili hoc morbo libellum. Etſi enim noua et inaudita non memorat, perdiligenter tamen conquiſiuit, quae apud auctores conſignata leguntur, et bene diiudicauit.

XXI.

WILLIAM HEWSON *vom Blute, ſeinen Eigenſchaften u. einigen Veränderungen deſſelben in Krankheiten, nebſt einem Anhang, betreffend die Entdeckung der lymphatiſchen Gefäſſe in Vögeln, Fiſchen u. Amphibien. Nürnberg in der Lochner. u. Grattenauerſchen Buchhandlung* 1780. 8. 162. *pagg.*

i. e.

De ſanguine, eius qualitatibus, et mutationibus quibusdam in morbis, cum appendice de inuentione vaſorum lymphaticorum in auibus, piſcibus et amphibiis, Auctore WILH. HEWSON.

Verſio partem primam HEWSONI *Experimental Inquiries* complectitur, ceteras, ob impenſas, vt videtur, interpres intactas reliquit. Quae etſi ſatis bona et accurata videtur, et ſcriptio vtilitate ſua perquam commendabilis, tamen lectores morari non lubet, quia ipſius autographi in ſupplementis dabimus epitomen. Inſeruire interim haec eorum commodis poteſt, qui iſtam collectionem voluminoſam non poſſident.

XXII.

HIER. DAV. GAUBS *Anfangsgründe der Krankheitenlehre des Menſchen, aus der letzten Ausgabe des Verfaſſers in freyer Ueberſetzung mit eingeſtreuten eigenen Bemerkungen und beträchtlichen Zuſätzen zum Behuf deutſcher acad. Vorleſungen für angehende Aerzte u. Wundärzte eingerichtet, von* DANIEL ANDREAS DIEBOLD, *M. D. in Strasburg. Zürich, bey Orell, Geſsner, Füſslin u. Comp.* 1781. 8. 1022 *Seiten.*

i. e.

Inſtitutiones Pathologiae medicinalis, ſecundum editionem vltimam auctoris libere verſae, et animaduerſionibus propriis et additamentis multis in vſum germanicarum academicarum praelectionum, Auctore HIER. DAV. GAUBIO et auctae a DAN. ANDR. DIEBOLD.

Non

Non egent commendatione noſtra GAVBII *Inſtitutiones Pathologiae*, quippe per ſe commendabiles; verſio vero laudabilis nullo modo eſt. Etenim prima eius dos, perſpicuitas et ſenſus explicatio, deeſt, deinde puritas orationis. Huc accedit moles indigeſta et rudis notularum et animadverſionum, quae diligentiam produnt quidem, iudicium minime, et quod maximum eſt, barbarum legere iurares, non Germanum. Sic vbique crepat *Grundſtöffe* (Elementa), *grimme Kälte*, *Hauptzerſtoßungen der Krankheiten*, *Kloſſeſteine* (calculi), *Inſectzellen* (ſebum renale), *Schmerz bis im unterſten des Gehirns* (Encephali dolores) cet. Talia qui ferre poteſt, huc adſit, nos vero verſionem, quia mala eſt, laudare non poſſumus.

XXIII.

Noua phyſico-medica.

In hac noſtra *Lipſica* vniuerſitate Cl° ERN. GOTTL. BOSE, munus Decani facultatis medicae, atque Profeſſoris therapiae publici ordinarii clementiſſime demandatum, et Cl° IO. CAR. GEHLER, profeſſura Pathologiae publica ordinaria tradita eſt, atque Cl. IO. GOTTL. HAASE profeſſor Anatomiae publicus ordinarius nominatus, hoc munus d. 1 Sept. huius anni, adiit oratione, qua Anatomen in ſui ſtudioſos non illiberalem eſſe demonſtrat: hac occaſione publici iuris reddidit *myotomiae ſpecimen, quo muſculi pharyngis velique palatini obſeruationibus quibusdam illuſtrati continentur.* Iam igitur facultas medica Lipſienſis his membris conſtat:

D. ERNESTVS GOTTLOB BOSE, ordinis medici Decanus perpetuus, therapiae Profeſſor publicus ordinarius, Academiae Decemuir, collegii maiorum principum collega, et apud Lipſicos Poliater.

D. CAROLVS CHRISTIANVS KRAVSE, Facultatis medicae Senior, anatomiae et chirurgiae Profeſſor publicus extraordinarius, collegii minorum principum collega.

D. IOANNES CAROLVS GEHLER, pathologiae Profeſſor publicus ordinarius, facultatis medicae Aſſeſſor, collegiorum maiorum minorumque principum collega, apud Lipſienſes medicus obſtetricius, et ſocietatis oeconomicae Lipſienſis ſodalis.

D. IOANNES GOTTLOB HAASE, anatomiae Profeſſor publicus ordinarius, et facultatis medicae aſſeſſor.

D. ERNESTVS PLATNER, phyſiologiae Profeſſor publicus ordinarius, facultatis medicae aſſeſſor, et ſocietatis oeconomicae Lipſienſis ſodalis.

D. ADAM MICH. BIRKHOLZ, facultatis medicae aſſeſſor.

D. IO. EHRENFR. POHL, botanicae profeſſor publicus extraordinarius, et facultatis medicae aſſeſſor.

Praeterea in Cl^um CAROLVM GOTTL. KÜHN, Med. D. munus Profeſſoris medicinae publici extraordinarii delatum eſt.

Lipſica Iablonowiana ſocietas in conuentu, Calendis Iulii anni MDCCLXXXIV habito, iudicauit de commentariis cum ea ad quaeſtionem *de origine Geocoſmi* *) communicatis, atque commentario cum epigrapho: *qui e nuce mucleum eſſe vult, nucem frangat oportet*, optimam ex miſſis cenſuit. Etſi autem nondum omnino votis ſocietatis ſatisfecit, tamen praemio eundem condecorauit. Aperta ſchedula auctor eiusdem detegebatur Cl. OLAUS ESPLING, A. M. Vpſalia Suecus.

Societas

*) vid. comment. noſtr. Vol. hui. p. 334.

Societas regia medica *Pariſina* in conſeſſu publico die ſecundo Martii, anni 1784. praemia diſtribuit haec: 1. Ad quaeſtionem, *quae hydropis medendi rationem ſpectabat*, quatuor commentarii ad ſocietatem transmiſſi, eiusdem attentione digni viſi ſunt. Praemium primarium, 300 librarum Gallicarum, decreuit ſocietas tractatui cum ſymbolo: *medio tutiſſimus ibis*, cuius Auctor erat Cl. MEZLER, Conſiliarius et Medicus Comitis de Lipinghen Nippenburg. Singulo aliorum trium tractatuum tribuit monetam auream, 100 librarum. Auctor primae commentationis cum epigrapho: *ſi quid nouiſti rectius:* erat Cl. CHARTIER, Doctor-regens facultatis medicae Angerenſis, et medicus Sereniſſimi Principis, fratris regis Galliae. Alteram monetam obtinuit Cl. THOMAS OLLIFF, medicus Anglus, qui commentationi adiunxit diſtichon hoc:

Haec ego; dum felix nimium tu Gallia, Regem
Pacis habes legumque et libertatis amicum.

Denique tractatus, cui inſcripta erant haec verba: *Hoc opus, hic labor*, Auctorem habebat Cl. PETRVM MATTHIAM NIELEN, Directorem ſocietatis artium ſcientiarumque, quae Traiecti ad Rhenum floret, ſimilique moneta aurea coronabatur.

Quaeſtionem *de morbis exercituum aeſtiualibus et methodo iis medendi*, *) optime ſoluit Cl. THION DE LA CHAUME, Medicus noſocomiorum militarium, in obſeſſione vrbis *Mahon* et arcis *Gibraltar*, ſocietati litterarum commercio iunctus, in commentatione miſſa cum epigrapho: *Nobilitate et magnitudine.* Ideoque praemio 400 librarum ornabatur.

Etſi quaeſtio, quae de optima *diſquiſitione aquarum mineralium* propoſita erat, nondum omnino tractatubus miſſis ſoluta erat, quidam tamen attenten-

*) vid. comment. noſtr. Vol. XXV. p. 167.

tentione digni erant. Inprimis vero commentarius a Cl° MARET ad ſocietatem miſſus praemio 100 librarum ornabatur: etenim eius analyſis, quam in aquis *de Sainte Reine* inſtituerat, nouiſſima experimenta continebat, atque de cognitione chemica teſtabatur. Reliqui commentarii, laude digni, miſſi erant: 1) a Cl° CUEL, Medicinae Doctore Clermonti-Ferrand, *ſuper aquis mineralibus de la Batiſſe*: 2) a Cl° DUMERIL, M. D. Valognii, *ſuper aquis mineralibus de la Taille*: 3) a Cl° DE MARSONAT, Presbytero Caſſinenſi, *ſuper aquis de Charbonniere*: 4) a Cl° GALLOT ſuper aquis *de ſaint Laurent ſur Sevre* et *de Mortagne* in Poitu inferiore.

Reliqui auctores chemicarum doctrinarum ignari erant: inuitat ſocietas omnes Chemicos, vt pergant aquarum mineralium analyſin inſtituere, aut ſi experimenta chemica inſtituere nequeant, qui huic negotio ſe dixerunt, vt obſeruationes medicas de attributis et vi aquarum colligant, eaque, quae de aquis cognita ſint, ad ſocietatem mittant.

Commentariorum, qui de topographiis medicis ad ſocietatem miſſi erant, tres moneta aurea coronabantur: primum miſit Cl. GILBERT, M. D. qui *topographiam medicam de comitatu Landernauenſi* offerebat. Continentur in eo vtiliter propoſita de morbis endemicis et populatione locorum: ſecundo deſcribitur medice et phyſice praefectura et vrbs *Lons-le Saunier*, auctore Cl° GUYETANT, M. D. Tertio continetur topographia medica praefecturae *Remiremont*, eamque Cl. DIDELOT ſocietati miſit. Caeterum etiam Cl^i CHARMEIL deſcriptio vrbis *Mont-Dauphin* laude digna erat praemioque coronata fuiſſet, niſi eam diario medicinae militaris iam Cl. Auctor deſtinaſſet.

Obſer-

Obſeruationes medicinam animantium attinentes, plures accepit Societas, earumque praeſertim commemorandae ſunt obſeruationes Cl. IACQUINELLE de gaſtrodynia calculoſa et ruptura diaphragmatis in equis, vti quoque diſſertationes et obſeruationes ſuper morbis equorum Eidem a Cl. BELLEROCQ miſſis.

His propoſitis, Cl. VICQ D'AZYR quaeſtiones in annum 1785 propoſitas repetiit, de quarum prima ſupra retulimus *): altera ſpectat medendi febribus remittentibus methodum, eſtque haec: Determinetur vſus et noxa corticis peruuiani, qui in medela variarum febrium remittentium ſpecierum adhibeatur. (*Determiner quels ſont les avantages et les dangers du quinquina adminiſtré dans le traitement des differentes eſpeces des fievres remittentes.*) Praemium huic quaeſtioni deſtinatum eſt 600 librarum. Commentarii mittantur ante *Calendas Maii* 1785.

Simul quoque retulit, beniuolentia gubernii, atque generoſitate quorumdam ſocietatis ſociorum datam ſocietati eſſe poteſtatem, de reditubus 4000 librarum Gallicarum ita diſponendi, vt iidem impendantur praemiis, quae laboribus ad declarandam melius epidemiarum in hominum et animantium brutorum genere ſaeuientium, et conſtitutionis medicae tempeſtatum naturam factis tribuantur. Quae quidem praemia pluribus modis promereri datum eſt 1) continua atque exacta de conſtitutione medica tempeſtatum relatione: 2) commentariis doctis de eodem argumento vel epidemia quadam ſcriptis, ſiue iidem ad quaeſtionem praemio propoſitam reſpondeant, ſiue in genere tantum bene de re propoſita agant. In hunc finem ſocietas proponit quaeſtionem hanc.

Atra

*) vid. comment. noſtr. Vol. XXV. p. 340.

Atra bilis, quam peculiarem humorem in homine veteres habuerunt, eſtne re ipſa diſtincta ab aliis: et ſuntne igitur quatuor annuae morboſae conſtitutiones, a veteribus adſumtae, catarrhalis, inflammatoria, bilioſa, et atra biliaria; nec ne? Si ita, quinam eſt atrae bilis vis et influxus in producendis morbis epidemicis? (*Des quatre conſtitutions annuelles admiſes par les anciens, et qui ſont la catarrhale, l' inflammatoire, la bilieuſe, et l' atrabilieuſe, les trois premières étant connues et bien déterminées, on demande ſi la quatrième a une exiſtence diſtincte, et quelle eſt ſon influence dans la production des maladies epidemiques?*)

Praemium optimae diſſertationi tribuendum eſt 600 librarum gallicarum, diſtribueturque in conſeſſu publico vernali 1786: diſſertationes ante calendas Ianuarii mittantur ad Cl^um VICQ D'AZYR, ſocietatis ſecretarium, ſolutis vectigalibus et legibus ſaepius repetitis. Caeterum ſocietas continuabit monetis aureis ornare topographias medicas optimas, analyſes aquarum mineralium, atque omnes medicam ſcientiam nouis inuentis aut vtilibus dogmatis locupletantes diſſertationes. Commentarii ab ipſis membris ſocietatis praelecti, epilepſiam, abortus epizooticos, atque ſtructuram ſymphyſeos oſſium pubis attinebant. Elogia quoque GVIL. HVNTERI et Cl^i SANCHEZ a Secretario legebantur.

Facultas medica *Pariſina* per Cl. MALOUIN Lectorem et Profeſſorem medicinae collegii regii et huius facultatis ſocii ſuum conuentum publicum indixit primo ſeptembris habendum, in quo lectae ſunt commentationes praemiorum ab ipſa propoſitorum gratia. Tria fuere illa, quorum 1) *rachitidem*, 2) *diuerſas infantum conuulſiones* et 3) *morbos medullae*

medullae reſpexerunt. Facultas ſpem concepit maximam, fore, vt in his commentationibus quaedam inuenirentur, quae certam methodum atque indubitatam praeſcriberent, cui ars in perſanandis illis morbis ſe adſtringere poſſet, ſed ne vna quidem conſiliis eius ſatisfecit, quare decreuit nulli praemium, ſed tantummodo iuſſit fieri mentionem perhonorificam duarum commentationum, quarum altera de rachitide continet practicas indicationes, quae in praxi aliquam vim habere poſſunt, atque experientia fultae vlteriori diſquiſitioni locum dant, verum non iuſto ordine ibi ideae, quas habuit facultas, ſunt collocatae. Altera commentatio de conuulſionibus infantum eſt admodum ſpiſſa et admodum citatis referta, quae doctrinam et circumſpectam auctoris praxin reſipiunt. Igitur facultas eandem iterum materiam eademque praemia ad annum 1784 reſtrinxit, ita vt praemium duplum eſſet. Simul propoſuit praemium 300 librarum commentationi de *aſphyxia* ad annum 1785. His legitime peractis lecta ſunt: 1) *Elogia* trium defunctorum doctorum, ſcilicet Cl. DE LA RIVIERE, BIDAULT, NOUGUEZ, a Decano Cl. DUMANGIN compoſita; 2) *iudicia* facultatis varia de rebus ipſi propoſitis, inprimis vero de coemeteriis in Liſieux et Rennes in Britannia; 3) a Cl° PHILIP Exdecano elogium Cl. BERTIER anatomici in ſua patria demortui; 4) a Cl° DESCEMET commentatio de electricitate equiſeti; 5) a Cl° DE LA FOSSE elogium Cl. CASAMAIOR; 6) a Cl° BARDANE commentatio de cura colicae peculiaris inter maris accolas; 7) a Cl° SOLIER elogium Cl. DOULCET, medici noſocomii Dei; 8) a Cl° SIGAULTO de incommodis inde ortis, ſi funiculus vmbilicalis ante prolis enixum ſecatur.

Acade-

Academia ſcientiarum, bonarum litterarum et artium *Lugdunenſis* praemium, quod quaeſtioni de commixtione aluminis cum et in vino, in annum 1783 propoſuerat, in annum 1785 prorogavit. Etenim vnum tantum commentarium accepit, qui, quamuis omni aſſenſu non indignus fuerit, non tamen experimentis ſufficientibus ſuffultus erat, quibus conſeruatio vini per alumen probaretur, pericula vſum internum et continuum ſalis adeo actiui minantia et varia remedia vina alumine mixta cognoſcendi indicarentur. Igitur academia praemium huic quaeſtioni conſtitutum ad 1200 libras adauxit, iisque addidit ſummam 100 imperialium (*écus*), vt ad dignas et votis reſpondentes reſponſiones incitaret rei peritos. Denuo itaque exſpectat examen phyſicum, argumentis experimentisque ſuffultum, quo diſſolutio aluminis in vino quoad conſeruationem vini et ſanitatis diſquiratur. (*l'examen phyſique et raiſonné de la diſſolution de l'alun dans le vin, conſiderée relativement à la conſervation du vin et à la conſervation de la ſanté*). Inuitat praeſertim Auctorem commentarii cum ſymbolo: *Sunt certi denique fines*, vt experimenta ſua cum maiori materie (*im Großen*) repetat referatque, atque praeſertim ſequentes quaeſtiones reſpiciat: 1) Eſtne mixtio aluminis in vino certum remedium, illud conſeruandi, aut qualitatem eius reſtituendi, ſi deprauata fuerit? In quanam deprauatione vini alumen adhibendum eſt, vt ea vel caueatur, vel corrigatur? 2) In quanam proportione alumen vino eſt immiſcendum, ſi haec commixtio vt proficua probata fuerit? 3) Nocetne vinum alumine ita commixtum ſanitati? et quaenam damna in oeconomia animali eius vſum inſequuntur? 4) Quodſi aluminis cum vino mixtio ſanitati noxia fuerit recognita, eſtne remedium aliquod, corrigendi vini effecta noxia?

noxia? 5) Quaenam eſt methodus maxime ſimplex et exacta, cognoſcendi praeſentiam aluminis eiusque quantitatem, diſſoluti in vino, praeſertim in vino rubro?

Commentarii mittantur ante calendas aprilis anni 1785. Praemium conſiſtit in 4 monetis aureis, quarum ſingula 300 librarum Gallicarum valore eſt. Leges reliquae ſatis ſuperque ſunt cognitae.

Societas regia ſcientiarum *Monſpelienſis* propoſuit praemium monetae aureae 100 thalerorum gallicorum (*écus*) illi, qui indicauerit methodum parum ſumtuoſam parandi ſpecula, quae vnam tantum imaginem clare et perfectis limitibus circumſcriptam repraeſentent (*indiquer un procédé peu diſpendieux pour faire des Miroirs qui n' offriront, qu' une ſeule image bien nette et parfaitement terminée.*):

